COMMENTARIUS IN POSTERIORUM D. PAULI APOSTOLI, AD CORINTHIOS EPISTOLAM, IN...

Peter Stevart




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
39 C
47

COMMENTARIVS
IN POSTERIOREM D. PAVLI APOSTOLI, AD CORINTHIOS EPISTOLAM,

In quo

NON MODO SENSVS APOSTOLI, FIDELITER ET ACCVRATE explanatur: sed & pleraq; orthodoxæ fidei controuersa dogmata, ab Hæreticorum corruptelis, & imposturis vindicantur:

Auctore

D. PETRO STEVARTIO,
LEODIO, SS. LITERARVM, IN ACAdemia Ingolstadiensi Professore, Vicecancellario, & Parocho ibidem Mauritiano, Collegijq; SS. Apostolorum Coloniæ Præposito.

*AD REV.*mum *ET SEREN.*mum *PRINCIPEM, AC DN. D. FERDINANDVM, COADIVTOREM Coloniensem, Com. Pal. Rheni, & vtriusque Bauariæ Ducem, &c.*







INGOLSTADII,
Ex Typographia Ederiana, apud ANDREAM ANGERMARIVM.

ANNO DOM. MDCVIII.





REV.^mo ET SEREN.^mo PRINCIPI, AC DOMINO, DN.

FERDINANDO, ARCHIEPISCOPATVS COLONIENSIS, ET PRINCIPATVS LEODIENSIS COADIVTORI, ADMINISTRATORI Berchtesgadensi & Stabuletano: Comiti Pal. Rheni; vtriusque Bauariæ Duci, &c. Dño & Principi meo benignissimo.



VT primum, D. Pauli epistolas publicè explanandas suscepi, *R.^me & Ser.^me Princeps*, mihi fere semper visus sum, *descendere mare in nauibus*, (vt est apud Regium vatem) *& facere operationem in aquis multis*; vbi nihil aliud est *videre*, præter *opera Domini, & mirabilia eius in profundo*. Neque enim ibidem sunt *verba*, sed (vt author est Hieronymus) *tonitrua*; *Licet* Psalm. 105. Hieronymus in Apolog. pro suis lib. cõtra Iouinianum.

enim in Paulo, ait, *videantur verba simplicia, & quasi innocentis hominis ac rusticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias; quocumque tamen respexeris, fulmina sunt: Hæret in causa, capit omne, quod tetigit: tergum vertit, vt superet: fugam simulat, vt occidat.* Si Paulinæ orationis fulmine, Act.24.25 13. præses Iudeæ, Festus tremefactus est, cũ liberè de futuro iudicio, & castitate disseruisset; Si sermonis ipsius horrificum tonitru, Felicis Dynastę pectus, ita concusserat, vt victus homo Ethnicus, rerumq; terrenarum curis obrutus, *multis literis, ad insaniam conuerti Paulum* exclamaret; Si eiusdem Apostoli imprecatio tanti fuit ponderis, vt protinus *Elymam magũ cœcitate percuteret*; qualis quantusq́; idem scribendo fuerit, nemo est, qui nõ facilè conijciat, nisi qui planè in Pauli doctrina & disciplina fuerit peregrinus.

Id certè testari luculenter possent 1.Corinth 5. Corinthij, qui vnius authoritatis & minarum

narum plenissimæ epistolæ lectione, nõ modo incœstuosum quẽdam, suum ciuem, licet Christianũ, diris ante omnia deuotum, à communi suâ societate & consortio excluserunt, sed eorum plerique, impudicitiæ, sæculi illecebris, rapinis, & flagitiis nuntio remisso, melioris vitæ viam, summa contentione, sunt ingressi. Neq; enim minori argumentorũ robore, quam sententiarũ neruosa grauitate, scribẽdo vtebatur *vas illud electionis*, quibus efficaciter, quod vellet, persuaderet, & eorum in se affectus facilè concitaret, ad quos, ille accuratius scripsisset. Hinc est, quod eundẽ dicat Augustinus, *plane non esse cunctatum, scientiam profiteri, sine qua, Gentiũ Doctor esse non valeret: Certè, si quid eius*, (ait) *proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex iis epistolis vtiq; proferimus, quas etiam ipsi obtrectatores eius, qui sermonem præsentis contemptibilem putari volebant, graues & fortes esse, confessi sunt*.

Aug. libr. 4. de Doctr. Christ. cap. 5.

Infra cap. 10.

Quod, gentium Doctor, in hâc, quam ad Corinthios posterius scriptam, explanandam suscepimus, de hoc æmulorum de se iudicio, apertè commemorat. Inde est, *quod sicut Paulum, scribendo, eloquentiæ præcepta secutum non esse dicit Augustinus; ita quod eius sapientiam secuta sit eloquentia, negare non audet.*

Neq; mirum cuiquam videri debet, si pro modico ingenij mei captu, cui adeo modicæ doctrinarum opes suppetunt, huic tanti Apostoli grauissimæ fortiq; epistolæ, aliquid afferre lucis mea scriptione cogito, cuius lectio passim obuiis quæstionibus, & tractationibus altissimorum fidei nostræ mysteriorum scientia, legum sacrarum sapientia est referta, quemadmodum in posterioris epistolæ suæ fine, B. Petrus hisce verbis insinuauit: *Sicut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis.* Si quis enim consilij mei rationes

tiones cognouerit, eum, tanquã æquum rerum iudicem & æstimatorem, spero hanc operis mei molitionem non improbaturum: Non quod, hac probatione, aliquam laboris & industrię laudem, velut nauatæ à me operæ pretium aucuper, sed quo candidius, de meo facto iudicium, qui mea sunt lecturi, faciant.

Ego, si non omnes, plerasque tamen D. Pauli epistolas in Academia Ingolstadiensi ita explicandas sumpsi, vt collectas, ex prælectionibus meis, exegeses quasdam ad publicam disputationem ferè semper proponerem. Ad eam rem, Gręcorum & Latinorum interpretum, & eorum, qui de fidei cõtrouersiis scripserunt, lectione cùm assiduâ semper opus mihi fuerit, tùm ita fæcundam, & diuitem Pauli doctrinam semper reperi, vt quicquid ad eius explanationem & intelligentiam, omnes magno labore contulissent, in ipsius tamen contextus

medulla,

medulla, quaſi ſub cortice literæ conclusa, aliquid vtique relictum mihi videretur; quod cuiq; obuium non eſſet; Adeo, vt non multos repertos fuiſſe putem, qui vel ſenſum, vel mentem, vel ſcopum Apoſtoli, ſe per omnia eſſe aſſecutos, auderent gloriari. Multorum commentariis in iudicium & examen adductis, nouas in ſcriptis Pauli ſententias, nouaq; & recondita dogmata ſanæ doctrinæ conſentanea, diuerſa diuerſis temporibus ingenia eruerunt, quibus ad religionis Catholicæ fidem ſtabiliendam, errores verò Sectariorum conuellendos, grauiſſimi Theologi hactenus ſunt vſi: ſed ita tamen, vt ſinguli, veteris & noſtri ſæculi ſcriptores, non ſemper ipſius Paulinæ doctrinæ medullam funditus exhaurirent, quia pelagus immenſum eſt, emetiri velle, quod Paulus *in tertium cælum raptus* didicit, & quod primo ſuæ ad fidem conuerſionis triduo, non

Act. 9. Infr. 11. Galat. 1.

ab ho-

ab homine, ſed à Domino accepit. Neceſſarium itaque fuit, vt quod vnus, vel alter interpres ſiue ſcriptor non inuenit, ſubſequerentur alij, qui ſuo labore & induſtria, quod abſconditum ſepultumq; latebat, inueſtigarent. Hinc tot in epiſtolas Pauli libri conſcripti, tot commentarij editi, tot monumenta ad poſteritatis memoriam tranſmiſſa.

Quod ſi cuiq;, Paulo paulò familiariori, ad eius reconditos & profundos ſenſus eruendos, aliquid conferre hactenus licuit, quis mihi iure ſuccenſeat, ſi & ego, qui quatuor & viginti prope annos, in eiuſdem epiſtolis operam luculentam poſui, aliquid etiam adiunxero. Non quod doctiores aut ſubtiliores eorũ lucubrationes nõ eſſe exiſtimem, qui ante me, in D. Paulum ſcripſerunt, *(hoc enim Sectariorum eſt, inter quos Lutherus, Origenis & Hieronymi commentaria, meras eſſe nugas & ineptias nequiter nugatur;*

)( )(*ſicum*

ſi cum ſui Melanchthonis Annotationibus comparentur.) ſed inſtar viduæ illius Euangelicæ, duo duntaxat *minuta*, ad Ecclesiæ commune gazophylacium afferre volui, in quo non ſolum ſumptuoſa opulẽtorum hominum, ſed & inopum ac indigorum exigua donaria, vel potius voluntates ſpectantur.

Marci 12.

Cur autem huic meo qualicumq; labori *S. V.* patrocinari voluerim, hæ potiſſimum ſunt cauſæ, quod in priorem ad Corinthios epiſtolam, editum commentarium, *Seren.mo Principi Ferdinando Archiduci Auſtriæ, &c.* non ita pridem inſcripſerim, qui cum *Ser.ti V.* in *nomine* conſentit, ac ſanguine, religione, virtute, amicitia, par omnino ſit; quo cum etiam ſtudiorum communitatem, in hac florenti Academia olim habuit. Ita honeſta propè ratio videatur, ſi *Ser.ti V.* hos qualeſcumque induſtriæ meæ labores nuncuparem. Nam in vtroq; veſtrum, ſummæ

summæ humanitatis, clementiæ, & benignitatis erga me exempla hactenus reluxerunt.

Ad *Seren.^tem^ V.* quod attinet, iam à pluribus annis; eiusmodi beneuolentia *Ser.^tas^ V.* licet immeritum, me complexa est, vt si eiusdem luculenta argumenta, singulariter euulgare contendam, non tam *Ser.^tis^ V.* beneficia prædicare, quàm me iactare videar. Quid, quod ante paucos annos, in Canonicorum Leodiensium numerum me cooptari curauit? Quid, quod superiori hyeme, vt cætera sileam, cùm hãc Academiam, bonorum ingeniorum matrem & educatricem, cum suo *Ser.^mo^ fratre ac optimo lectißimoq; Principe Alberto*, viseret, (veteris vitæ ibidem transactæ memor) ædes Mauritianas humanissimè voluerit cohonestare, vt suam, in veterem suum Capellanum, & ferè domesticum, benignitatem declararet. Itaque *Ser.^me^ Ferdinande*,

 quod

quod olim Panegyriſtes, Conſtãtinum Principem, à pietate, hoc eſt, ciuilitate, ac in ſubditos benignitate commendauit; iure optimo, hoc de *Ser.ᵗᵉ V.* dicere poſſumus. *Iuſtitiam patris, atque pietatem ſic imitaris, ac ſequeris, vt omnibus ad te confugientibus, diuerſamq; opem, aut contra aliorum iniurias, aut pro ſuis commodis, poſtulantibus, quaſi legata patris, videaris perſoluere, idque ipſum gaudeas prædicari, quicquid iuſtè ac liberaliter feceris, filium Conſtantij (Gulielmi V. Ser.ᵐⁱ Principis) neceſſariò præſtitiſti.* Præclarè enim *Ser.ᵗᵃˢ V.* intelligit, quod ſapienter Leo Pontifex Max. Leoni Auguſto ſcribit, Regiam poteſtatem, ſibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, quo ſcilicet, ſolidæ veræq; fidei, ſe cultores, erroribus, hæreticiſq; profligatis, atque propugnatores Religionis ſacrorum ac ſacerdotum exhibeant. Nihil eſt enim, (vt Ioannes Ponti-

Epiſt. 23.


Pontifex ad Iuſtinia. ſcribit) *quod lumine clariore præfulgeat, quàm certa fides in principe: Nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quàm vera religio. Hoc eſt enim, quod veſtrum firmat imperium, hoc quod veſtra regna confirmat.* Deus Opt. Max. *Ser.tem V.* Eccleſiæ Catholicæ ſaluam, & Romano Imperio incolumem ſeruet. Ex curia Mauritianæ parœciæ. Ingolſtadij, die Theophoriæ Colonienſis, XVIII. Aprilis. Anno M. DC VIII.

L. Inter claras. cap. de summa Trinitate.

Ser.tis V.æ

Submiſs. Sacellanus

PETRVS STEVARTIVS Leodius.



AD REV.^{mum} ET SER.^{mum} PRINCIPEM, AC DOMINVM, DN.

FERDINANDVM,

ARCHIEPISCOPATVS COLONIENSIS, ET EPISCOPATVS LEODIENSIS COADIVTOrem, Administratorem Berchtesgadensem & Stabuletanum, Com. Pal. Rheni, & vtriusq; Bauariæ Ducem, &c. cui hic Commentarius inscribitur.

Acclamatio

CLARISSIMI VIRI, DOMINI

PHILIPPI MENZELII,

P.L. Medicinæ Doctoris, eiusdemq; in Academia Ingolstadiensi Professoris.

Virtus in infirmitate perficitur. Infra cap. 12.



CRESCIT *ab ærumnis, & per discrimina mille*
Perficitur virtus, acuens se; pressaq; in altum
Surgit, Idumæa velut arbos viuida palmæ.
Atq; hoc illud erat, quod, maxime PAVLE, *canebas,*
Diuersas obiens, CHRISTI *pro nomine, gentes,*
Munerum, opumq; DEI *promus, tuba mystica clangens,*

Salsa-

Sal sapidus terræ, iaculatrix luminis illa,
Quæ refugit modio supponi lampas opaco,
Lucifluis ardens radiis, spectabilis alto
Imposita vrbs monti, mundo lux desuper orta.

Nam simul auricolor te circumfulserat æthra,
Spirantemq́; minas, & vincla, necesq́; piorum,
Expulerat vox missa polo tibi pectore Saulum:
Ex illo vnus erat semper tua gloria CHRISTVS,
Vnus amor, desiderium, spesq́; vnica, & idem
Qui crucis in diro pendens, moriensq́; patiblo,
Efflauit magnam illam animam, capite inclinato.
Ergò & eum propter, quantum sub Sole caduci est,
Calcabas, ceu vile lutum, contemptor honorum,
Illecebrarum, & opum summus: sic deniq́; ad vnguem
Tu mundo crucifixus eras, tibi mundus & ipse.

Quis numeret fando terraq́;, marisq́; labores,
Quos forti immensos patienter mente subisti?
Exilium, sitis, atq́; fames, ieiunia, frigus,
Pauperies nuda, & somni sine munere noctes
Innumeræ, ærumnaq́; graues, carcerq́; catenis,
Verberibusq́; sonans, acter sublimia tergo
Flagra incussa tuo, triplexq́; in gurgite vasto
Naufragium, atq́; caput contundens saxeus imber,
Longarum duri tot itus, reditusq́; viarum,
Mille domiq́;, forisq́; pericla, & mille per vrbes,
Desertisq́; locis, per flumina perq́; tumentem
Oceanum, sæuis hinc à latronibus, indè
Cognato à genere, &, te præceptore, docendis
Gentibus, & falsis simulato fratribus ore,
Hæccine nota parùm tua sunt certamina, PAVLE,
Quæ tanto certâsti animo bona? quaq́; repostam

Iustitiæ

Iustitiæ æternam tibi promisere coronam?
Sancte pater, veri columen, diuine magister,
Gentibus, in tenebris lethiq; sedentibus vmbra,
Propitio quondam demissus ab æthere doctor,
Almaq; lux, ades: & (tua quandò oracla quibusdam
Esse obscura locis, contrà hæc quàm secla profano
Vociferant fremitu, sat testatur Barionas
Ipse, sacri princeps, & dux, & pastor ouilis)
Te nobis aperi: facito, quæ fonte perenni
Aurea doctrinæ cælestis flumina manant,
Haustibus ambrosiis pura, atq; illimia dentur
In medium, per aquæ synceros ducta canales.

Huc quoque STEVARTI *curas spectare putandum est,*
Qui tua scrutatus non infelicibus ausis
Abdita sensa diu, nucleum modò cortice nudum
Expromit solerter, auosq; imitatus auorum,
Authores sequitur diuino à flamine doctos.
Nam neq; cum vulgo potis est sentire nouantum
Omnia, quæ gemina claudit sacra pagina legis,
Cuncta liquere palàm, & tam clara effulgere luce,
Vt pateant lixis, pateant calonibus: vtq;
Non vltrà crepidam sapientibus obuia prostent.

Tu verò, heroum soboles, sate sanguine regum,
Cæsaribusq; potens atauis, FERNANDE, *bicorni*
Quem Rheno patrius dudum iure inuidet Ister,
Boiaricæq; Vbiis Agrippinatibus ora,
Nosce tui studium, dux magne, piosq; labores
STEVARTI: *atq; foue, solitus velut antè, clientem.*
Multa, & magna docet, quanquam tibi cognita pridem,
Emenso Sophiæ cælestis amæna vireta.

Sed

Sed quæ pulcra, eadem quid obest bis, terq́; referri?
Hæc verò ad Superos etiam mortalia tollunt
Pectora: & ingenerant vitæ melioris amorem,
Et minuunt curas, & inania vota retundunt,
Præsidio forti nobis animalia contrà
Sensa, atq; in bruto stabulantes corpore pestes.

Viuite diuitiæ, regumq́; valete coronæ:
Seruitium seruire DEO, *regna omnia vincit.*





APPROBATIO.

Cum in his Commentariis admodum Reuerendi & Clarissimi viri, Doctoris PETRI STEVARTII, &c. in Epistolam secundam S. Pauli ad Corinthios, non modo nihil fidei aut bonis moribus aduersum reperiatur; sed & textus Apostoli diligenter inprimis enarretur, & in eo deinde pleraque tum ad sanam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam confirmandam, tum ad insana Hæreticorum deliria infirmanda & redarguenda, tùm etiam ad animos bonis moribus informandos spectantia luculenter & copiosè explicentur, idcirco dignos iudico, qui typis excusi publicam lucem aspiciant.

ADAMVS TANNERVS *Societatis* IESV, *SS. Theologiæ Doctor, eiusdemque in Academia Ingolstadiensi ordinarius Professor, & Collegij Theologici pro tempore Decanus.*





ARGVMENTVM,

IN POSTERIORIOREM D. PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

CVm priore epistola, Ephesi, ad Corinthios data pollicitus esset, se ad eosdem venturum, cum Macedoniam pertransisset Apostolus; nec tamen id præstitisset, se excusans, hanc secundam ad eos scripsit Nicopoli. In quâ primum narrat, quanta ob positam in prædicatione Euangelica operam, tum in Asia, tùm apud Macedones fuerit perpessus. Huic autem persecutioni, consolationem aliquam attulisse Titum subiungit, quem vna cum sociis, Collectæ causa Corinthum amandârat. Ex eo enim, Corinthiorum, ad opera misericordiæ, in fratres, ob fidei Christianæ professionem mirificè afflictos, studium & procliuitatem perceperat. Corinthiis ad patientiam, animi demissionem, &

cæteras virtutes commonefactis, incœstuosi (quem priore epistola, Sathanæ tradiderat) misertus, absens eum ita absoluit, vt à se concessam eidem grauißimi sceleris indulgentiam ab ipsis Corinthiis ratam haberi velit; maximè, quod iam ex parte, certa, veræ pœnitentiæ & emendationis argumenta edidisset. Qua interim occasione, Corinthios hortatur, vt officij memores, à similibus flagitiis & sceleribus, in posterum abstineant, ni suam ipsius indignationem velint incurrere, si quando ad eos ipse venisset. Deinceps, sui Apostolatus insignia, & quæ Euangelij prædicati causa tolerasset, neceßitate compulsus, illis recenset, propter æmulos quosdam, siue impostores, siue Sectarios, qui nimis iactanter, in magnum veritatis præiudicium, aduersus Apostolum, se extulissent. Denique, tertio suum ad eosdem Corinthios, aduentum pollicetur, vt ipsos, ad melioris vitæ frugem, pœnæ comminatione, sensim prouocatos impellat.



COMMENTARII, IN POSTERIOREM D. PAVLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM,

CAPVT I.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi.



E Pauli nomine, officio, dignitate, cõditione, cæterisque, quæ ad huius Epistolæ Epigraphes expositionem pertinebant, in prioris Epistolæ commentario ad eosdem Corinthios, quædam pro rei instituto, breuiter diximus; quæ Lectori, ne molesti eorundem inutili repetitione videremur, prætereunda hoc loco censuimus. Quãobrem, ab ipsius Epistolæ tractatione, huius nostri Commentarij initium esse sumendum consulto iudicauimus.

Cum igitur vnius Dei præsidio, aduersariorum insidias, omnisque generis persecutiones & calumnias, per summam patientiam, superasset gentium Doctor, ab actione gratiarum, & Dei laude, hanc orsus est Epistolam. Quam exordiendi rationem, in sua priori Epistola, Apostolorum Principem, & cæteros Aposto- *Hier. in cap. 1. Epist. ad Ephes.*

 licos

licos viros obseruasse, notauit Hieronymus. Ait igitur Paulus, *Benedictus*, id est, laudatus sit, DEVS. Vbi notandum, *Benedicendi*, vocem tam DEO quam Intellectuali creaturæ esse communem, licet aliter DEVS, aliter homines, & Angeli benedicant: Dei enim benedictio, causandi vim, & rationem efficiendi complectens, tam boni diffusionem quàm donorum communicationem significat. Cum enim diuinæ voluntati (quæ si absoluta fuerit, semper efficacissima est.) nihil possit resistere, tum quicquid dixerit, vel mandauerit Deus suũ protinus effectum sortitur: Eo enim ipso, quod alicui Deus benedicit, munus eidem aliquod efficaciter impertitur, aut virtutem quandam reipsa imprimit. Ideo à Psalmo grapho dictum est, *quod Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecerit, quod ipse dixerit, & facta, quod mandauerit, & omnia sint creata.* & Hester cap. 13. *Nemo est*, ait *qui tuæ possit resistere voluntati.* Quare *Domini benedictionem* dicit *esse priorem* Augustinus, *& consequens est*, ait, *vt & nos benedicamus Dominum.* Illa, subdit idem Doctor *pluuia, ista fructus est: Cum nos Dominus benedicit, nos crescimus, & cum benedicimus Dominum, crescimus, quia vtrumque nobis prodest.* Quasi Dei effecta, & beneficia, nostræ benedictionis, id est laudis, prædicationis & gratiarum actionis incitamenta, prouocationem & materiam esse insinuare velit. vnde Dei benedictionem, in maxima multiplicationis vbertate esse sitam, ex lib. Gen. ibidem confirmat idem Augustinus, vbi primis parentibus, generandi vim, & Patriarchis rei bene gerendæ facultatem ac posteritatis augendæ virtuté benedicendo largitur. *Benedixit Deus Noe*, ait scriptura, *& filÿs eius.* Item *Benedicã tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Item. *Ecce odor filÿ mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus.* Sic cum

Aliter Deus aliter homines benedicunt.

Psal. 148.

Aug. to. 5. in Psal. 66.

Gen 5. in 22. Luc. 9. Math. 6. Mar. 8. 10. 6

cum panes in melius commutare, aut multiplicare vellet Dominus, ijs dicebatur benedicere, id est, virtutem eis aliquam insculpere quam antea non habuisset. Quo sensu, calicem Eucharisticum, *benedictionis*, hoc est, consecrationis (quæ certa verborum efficaci formula constet) calicem appellauit Apostolus, qui & per Dei verbum, certum scilicet, benedictionis ritum, cõmunes cibos, aliquam induere sanctitatem affirmat. *1. Cor. 10. 1. Tim. 4.* Qua ratione, accepisse Iesum & benedixisse panẽ narrant Math. cap. 26. Marc. 14. Luc. 24. Ioan. 6. Rationalis porrò creaturæ benedictio, licet boni melioris ꝓuentus, & faustorum imprecationem, salutisque alicui exoptationem significet, in iugi tamen beneficiorum diuinorum agnitione, frequentissimè consistit, *Rationalis creaturæ benedictio quid significet. Luc. 1. & 2.* quæ tam cælites, quam hominum animos, ad Dei gloriam, hymnis & laudibus celebrandã prouocatos quodammodo impellit, quemadmodum plerique psalmi, *Tob. 12. Daniel 3.* & carmina diuino spiritu composita, faciunt testatum. Nihil enim est apud Regium vatem frequentius, quam sui ipsius ad Deum laudandum, excitatio. *Benedic*, inquit, *anima mea Dominum. Laudate pueri Dominum &c. Deum* ergo dilaudans Apostolus eundem *Domini nostri Iesu Christi patrem* appellat, quasi vniuersorum sit ita conditor, vt Iesu Christi sit etiã pater, licet *Dei*, & *Patris* voces, ad Christum relatæ, hunc possint efficere sensum, vt is dicatur benedictus, qui Christi secundũ humanam naturam, est Deus, qui & ideò Christi pater est, quod ipsũ *Deus qua ratione Christi pater dicatur.* Christum, ab æterno, suam ei communicando naturã, siue essentiam, generet. Hinc fit, quod tametsi patris & filij opera, sicut & spiritus sancti cõmunia sint, Christus tamen, quæ diuinitatis suæ sunt, patri frequenter attribuit, vt se esse personam à patre distinctam in qua carnem assumpsit, seque Dei filium esse declaret, vt videre est apud Ioan. multis locis.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

Deo, de duplici beneficio, gratias agit, nempe insignis *misericordiæ,* ſibi in medijs calamitatibus declaratæ, & multiplicis conſolationis, in maximis anguſtijs diuinitus præſtitæ. Ideo tum miſericordiarum parentem, tum conſolationis authorem, Deum appellat, quod non ſuis ipſius meritis ſed vna eiuſdem ad miſerendum propenſione & facilitate, non ſolum diuerſi generis malis ereptus, (quibus Chriſti cauſa, ad Corinthiorum vtilitatem, iactabatur.) ſed & virtutis ac conſtantiæ donis ad ſuſtinendum, & reſiſtendum rebus iam fere deſperatis fuiſſet indutus. Cum enim, ſua ipſius ſtabilitas, inciperet nutare, & ab hoſtibus, exanimis quaſi humi proſtratus ipſe iaceret, diuina ſe protectum gratia, erigi ſentiebat, qua remotâ, fieri facile non poſſe videbat, quin funditus interiret. Et cum Dei legem, ſiue per infirmitatem, ſiue per ignorationem, fuiſſet vel leuiter præuaricatus, mentem ſuam, ad reſipiſcentiam & emendationem agi, impellique cælitus percipiebat, de peccatis, vt veniam implorãs, indulgentiam impetraret: Cum denique diuturnis laboribus prope eſſet fractus, acerbam duri operis moleſtiam, ſuauem reddebat, propoſita diuinitus æternæ hæreditatis adipiſcendæ merces: adeo vt cum Regio Vate, poſſet ſuo iure confiteri, *Niſi Dominus adiuuiſſet me, paulominus in inferno habitaſſet anima mea,* Et quod pſal. quarto conſcriptum eſt: *Cum inuocarẽ exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.* Dum enim iuſtitiæ cauſa, perſecutionem pateretur Apoſtolus, latitudinem ſiue conſolationem internè maximam experi-

In aduerſis quomodo ſe Apoſtolus geſſerit

peri-

periebatur, sibi à Deo (quem inuocarat) immissam, quia *sicut abundant passiones Christi in nobis* (ait paulo post) *sic & per Christum abundat consolatio nostra.* Rectissime autē Deum vocat *misericordiarum parentem*, quia pauperum & afflictorum indigentiæ, nunquam non subuenire consueuit, imo non rogatus, sæpe se sponte ad succurrendum exhibet efficacem. Etenim tanto misericordia perfectior est, quanto liberalior: tanto autem liberalior est quanto minus rogari expectat. Petitionis enim expectatio apud homines, precij quędam est acceptio: Neque enim perfectissimè is misericors dici debet, qui semper petitionem expectat, nisi inquantū per eam defectus ignotus ei manifestatur Deus aūt noster, si peti vult, id facit, quia petitio in nostram cedit vtilitatem, & adhuc vti petamus, misericordiæ beneficium est: secus inter homines accidit. Vnus est enim Deus.

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo.

Sensus est, Quod misericors & miserator Dominus, eam seruorum suorum curam assidue gerat, malis discriminibus & periculis eorum sollicitè leuandis, quodque eorum exitijs, tam improuisa, & salutaria afferre soleat remedia: non tam ad eorum priuatam vtilitatem, aut proprium commodum pertinet, quam vt proximos in aduersis, iuuandi rationem ipsorumque calamitatibus compatiendi modum & conuenientiam, ipsos doceret. Ob quam causam, Luc. cap. 22

Seruis suis occurrit Deus vt ipsi alios iuuēt cum tentātur.

principi Apostolorum & communi pastori futuro, dicebat Dominus: *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ad hoc siquidem à Christo electi, ad hoc positi, & in hunc promoti gradum atque ijs donis diuinitus locupletati fuerant Apostoli, vt homines non modo, quæ fidei sunt docerent, sed viam & rationem eisdem exemplo suo commonstrarent, resistendi tentationibus, patienter aduersa tolerandi, diuinam opem in medijs periculis implorandi, quemadmodum & ipsi faciebant.

Dei siquidem dona, quæ supra cæteros, gratis acceperant Apostoli, & sibi, & alijs maximo esse debebant vsui: Quemadmodum enim astris, illucendi influendique vim prouida natura impressit, vt non tam sibi, quam toti mundo illuceant & influant: ita dona & beneficia, quibus fidelis populi Antesignanos cumulatissime Dominus prosequebatur, & in proprium suum vsum, & in communem aliorum vtilitatem debebant redundare. Elegi vos: dicebat Dominus Apostolis, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Maximus autem fructus is est, qui ex victoria, de tentatione decerpitur.

Sic etiam primos fidei præcones affligi patiebatur, vt ex afflictionibus, ope diuina sæpius erepti, discerent curæ suæ commissas oues consolari: eosdem labi subinde priusquam spiritus sancti descensu, in gratia confirmati essent, sinebat grauiore casu, vt in integrũ cælitus restituti, suis subditis scirent & compati, & ignoscere, si quando vel in Deum, vel in proximum aliquid per culpam, designassent. Sic fœdo Petri communis pastoris Ecclesiæ futuri lapsui non occurrit,

cum

eum Christum secus ac promiserat, negauit, vt suo malo edoctus, tandem *aliquando conuersus, suos fratres confirmare me* minisset; quemadmodum Luc. *22*. à Domino in mandatis acceperat.

Nemo enim misericordiæ operibus exercendis, malisque oppresforum per consolationem, & sana cõsilia, medendis, aptior est, eo, qui non modo per affectus vnionem, sed per eiusdem mali experientiam ac communionem, aliquando fuerit afflictus. Neque enim consilia, quæ (dum rectè valemus) ægris à nobis dantur, tam grata efficaciaque sunt, quam dum simili ægritudine prius affecti sumus, vel fuimus. Vnde vitio datur alteri latronum, in cruce cum Christo pendentium, quod ab errore, vel malitia potius, non resipuerit, cum à socio eadem supplicij crudelitate affecto officij moneretur.

Quinam ad miserendum proximi malis, sint procliuiores, & magis idonei.

Nihil enim est, quod hominem magis ad misericordiam impellat, quam alieni mali communicatio, eò quod (vt author est Philosophus) ij ad miserendum procliuiores sint, qui vitæ conditione, rerumque statu, afflicto homini sunt similiores, quia eiusmodi facile iudicant, in similem calamitaté, se omni momento, posse incidere. Inde senes & sapientes, quibus humanæ vitæ discrimina sunt optimè perspecta, ad miserendum, vsus quotidianus proniores ostendit. *7. Ethicorum.*

Hinc Deus, cuius in nutu sunt omnia, vt magis suam erga nos charitatem & misericordiam commendaret, nostram induit naturam, quo reipsa quoque, posset nostrarum miseriarum, & ærumnarum fieri particeps, maioremque miserendi, dolorũ vsu, conciperet occasionem. *Debuit* enim, ait alibi *Hebr. 2.*

noster

noster Apostolus, *per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex, ad Deum, vt propitiaret delicta populi: in eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potēs est, & ijs, qui tentantur auxiliari, Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatū autem per omnia pro similitudine*, (id est, vt nobis, quos redimere volebat, in omnibus similis fieret) *absq; peccato* per quandam scilicet, misericordiæ conuenientiā, quæ proprio vsu & experientia niteretur, quod ij verius compatiantur, qui tum afflictiones, tum varia sunt experti incommoda ac discrimina. Hinc Diuæ Parenti cuius animam *doloris gladius* transuerberarat, semperque animi summa demissione, ac æquitate fuerat, eleganter, id quod à Poëta, de Iunone fuerat dictum, plerique pij homines accommodarunt.

Non ignara mali, miseris succurrere disco,

Superbi miserorum non facile miserentur.
Gregor. Hom. 34 in Euangel.

Qui n. à superbia & ambitione abhorrent, in misericordiam maximè propendent; Cum è contra superbi, ad lenitatem & compassionē soleant esse segniores, quod alios contemnendo, iustè quicquid patiuntur, tolerare cum acrimonia quadam existiment: sicut insinuasse videtur S. Gregorius, quando dixit, *falsam iustitiam, quæ superborum est, non habere compassionem sed indignationem.* Copiosæ igitur diuinæ consolationis dulcedinem quam in extremo vitæ discrimine gustauerat Apostolus, Corinthiorum singulare ad patientiam, incitamentum esse sapienter concludit: quasi malorum remedia, & in aduersitatibus eius consolationes cælitus immissæ, alios in malis consolandi quædam essent forma, atque amussis; vt cognoscant, ait Ambrosius, Christi cultores, quod timentium se, Deus incompara-

rabi-

rabilem curam gerat, qui, cum eos hac in mortali vita non derelinquat, ſed curet, defendat, protegat, multo magis, in futura ſit eoſdem remuneraturus.

Quoniam ſicut abundant paſsiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum, abundat cõſolatio noſtra.

Hoc adiunctũ fuiſſe putat Chryſoſtomus, vt Corinthios erigeret, quibus, ceu membris, ad Chriſti capitis imitationem, acerba rerum imminere diſcrimina inſinuarat, ne animis concidant, aut malorum imminentium metu fracti minus reddantur ad incommoda toleranda animoſi. Cum etenim, Chriſti cultores habent perſpectum, ſolere diuinam clementiam, tentationum & tribulationum mirabiles facere cataſtrophas, in ſpem magis erecti, confidentius ad certamen veniunt: Quis enim pugnam per timiditatem detrectet, qui Eſaiam audit promittentem: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſeratus ſum tui.* ſic enim ſuos in hac vita conſolari Deus conſueuit, vt poſt tempeſtates tranquillitatem immittat; ſicut Tobias poſt cæcitatem, viſum recuperauit, & reliquum eiuſdem vitæ tempus in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace, ſic Iob. *poſt plagas ſuas, accepit omnia duplicia, & poſt illas, vixit 140. annis* ſic Ioſeph, poſt exilium & carceres, ſic Dauid, poſt longam Saulis perſecutionem, ſic Iacob poſt diutinum de Ioſepho perdito mærorem conſolationem maximam inuenerunt, in ſumma pace florentes. Eſt enim fidelis Deus, *qui neminem tentat ſupra id quod poteſt, ſed dat etiam cum*

Eſaias 4. *Iob. 42.* *1. Cor. 10*

tentatione prouentum, vt poßit sustinere, gratiæ *scilicet* vires subministrando, donec tentationum procella transeat. Ideo *beati qui lugent prædicantur* à Domino *quia ipsi consolabuntur*, quando scilicet, Deus *absterget omnem lachrimam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neq; clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierũt.*

Math. 5. Apoc. 21.

Cum enim non tantum duri laboris formido, sed & incomparabilis lucri, siue mercedis spes etiam certa proponitur, cum non solum ad certamen aduersus hostem, quis incitatur: sed & imarcessibilis coronæ, per victoriam Dei iuuante gratia consequendæ, maxima præsidia simul ostenduntur, tum quod graue, molestũ, & arduum erat, mollius, leuius & facilius redditur. *Quid* inquit Chrysostomus, *dulcius, quam me Christi afflictionum fieri participem? atque hæc illius gratia, perpeti? non enim* (subdit) *quanta est afflictio, tanta datur & consolatio, sed multo amplior, quia non dixit afflictionum magnitudinem æquare consolationis modum, sed excellere consolationem, vt certaminum tempus, rursus aliarum coronarum excipiat occasio.* Quod si laboris & dolorum magnitudo quenque deterret, conuertat oculos in Iesum, aspiciens iuxta Pauli sententiam *in authorem fidei & consummatorem*, vt discamus currere certamen. sicut enim filij parentes, & discipuli in certaminibus, magistros, attendunt, informantes mentes ex parte doctorum, per visum, regulas quasdam sumentes: sic etiam, nos si volumus in stadio currere & discere, quomodo bene curramus, ad Christum attendemus, sic vsu ipso experiemur, quod quantum tristes cogitationes iustorum animos, excruciant, tantum imo longe magis, eos diuinarum consolationum iucunditas recreat, queadmodum reipsa, explorauerat, qui dicebat, *nisi Dominus*

Heb. 12.

Psal. 93.

mihi

mihi subuenisset, actum erat de salute mea: si enim dicebã motus est pes meus, hoc est, *si querebar iam vacillare meam constantiam, neque me posse calamitatum magnitudini obsistere, Domine eras præsto & sustentabas animum meum iam labantem: & secundum multitudinẽ dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificabant animam meã.* Sicut enim diuersi generis sunt, Christi cultoribus angustiæ, calamitates, discrimina, dolores, sic eos diuersa subsequuntur refrigeria, diuersæ manent consolationes, diuersa condolantur & reficiunt remedio Hæc enim laborũ, quos Christiani sustinẽt, est conditio, vt non ad mensuram, sed cumulatissimè cõpensentur, sicut enim ijs qui *Christi causa, res terrenas dimisissent, centuplum accepturos, & beatam vitam possessuros promittebat* saluator, quid ni aduersa sui causa patientibus millecuplum restituat? vt huius remunerationis spe tanquã æterni solatij potiundi torrente ebrij, *gaudentes* cum *Apostolis eant à conspectu consilij* quod *digni fuerint habiti, pro nomine Iesu contumeliã & verbera pati,* maiora semper & atrociora ferre & sustinere parati. Sciebant equidẽ Apostoli Christo familiariter vsi sibi in hac vita esse mundo gaudente, flendum, plorandum, & lamentandum, sed suo tempore, *tristitiam* sibi *suam, in gaudium* nunquam tollendum *vertendã* esse. Cognito enim Apostoli, erga se Christi affectu, nouerant ipsum magis solicitum de sua ipsorum salute futurum, in medendo eorum tristitiæ, & illos consolando, quam de propria morte sua vitanda, propter ea primitiuæ Ecclesiæ ciues hortabatur Apostolorum princeps, vt *communicantes Christi passionibus, gauderent, vt & in reuelatione gloriæ eius* (dicebat) *gaudeatis* gaudio scilicet immenso, & incomparabili, atque æterno, quod paruis modicisque laboribus & ærumnis abundantissimè rependitur.

Cur homines iusti tam alacriter aduersa patiãtur.

Siue autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute, siue consolamur, pro vestra consolatione, siue exhortamur, pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionũ, quas & nos patimur.

Vnitas spiritus (à quo reguntur fideles) & communis æternæ fælicitatis hæreditas, quam omnes Dei gratia, Christiq; ac suis meritis freti, expectant, faciũt, vt omnia ipsorum, sint communia. Quæcunque enim piè sanctèque ab vno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, & vt illis prosint, charitate, *non quærente quæ sua sunt, efficiuntur*. Sicut enim *membrum*, ait Ambrosius, *particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum. Non dicat alteri, membrum non es de corpore meo: hoc est, non dicat pauperi diues, non ignobili nobilis, non ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat, non estis mihi necessarij, particeps Christi corporis est, quod est Ecclesia.* Hanc ideo bonorum communicationem, membrorum humani corporis aptissima similitudine, sacræ literæ sæpius demonstrant: quod sicut in corpore, multa sunt membra quæ singula proprio, nõ autem omnia eodem munere funguntur, Ita Ecclesiæ Christi ciues, vnum quoddam corpus sub Christo capite constituuntur, quemadmodum Apostolus noster, in ea, quam Romanis scripsit cap. 12. & 1. Cor. cap. 12 Item ad Ephes. cap 1. & ad Colos. cap. 1. testatur. Hæc est autem natura & ratio membrorum eiusdem corporis, vt alterum alteri officio suo prosit, vicissimq; sibi mutuò inseruiant, quemadmodum expressit in ea, quam

Ambros. super Psalm. 18.

Catechis. Roman.

quam Galatis scripsit Apostolus: Alter alterius, inquit, onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Omnia enim tam apta inter se & connexa sunt vt si vnum dolore afficiatur, cætera item naturæ cognatione & consensu, doleant: Si, contra, bene affectum est, communis sit ille iucunditatis sensus. Ita hoc loco, dicit Apostolus, siue nos calamitatibus iactari diuina prouidentia patiatur, siue malis eripiendo, nos in malis consoletur, siue nos officij, per spiritũ suum moneat, omnia ad vestram consolationẽ, profectum, eruditionem, & salutem cedunt. Nam Deus, inquit, miserijs nostris ad patientiam, & inuictum animi robur, viam nobis aperit, quibus æternæ hæreditatis patrimonium possidere suo tempore, possimus. Nostra consolatione, ad nostri imitationem, vos prouocat Deus, vt maximi præmij proposita spe, dura & aduersa nobiscum alacrius sustineatis. Nostra cohortatio & monitio, ad hoc maximo vobis est vsui, vt ad publicam cæterorum fratrum & conciuium vtilitatem vberiores virtutũ fructus, ad Ecclesiæ horrea reportetis. Nihil enim præclari à vero Christi cultore & milite vel efficitur, vel possidetur, quod sibi cum reliquis omnibus, non sit commune. Quibus ideo hanc orandi formam præscripsit Dominus, vt dicerent *Pater noster*, non meus, *panem nostrum* non meum, ac reliqua eius generis, vt non nostræ tantum sed omnium saluti ac cõmodis prospicere nos, tanquam fratres fratribus doceret, qui communi adoptionis filiorum iure donati, vnum patrem inuocamus, qui est in cœlis, in quibus commũne fælicitatis patrimonium, omnes vnà exspectamus.

Sanctorum cõmunio probatur.

Psal. 8. Math. 21.

Cum ergo ait, *omnia nostra vestra sint* iure potestis gloriari, vos esse beatos, quod in Domini domum recepti, sub eo agatis œconomo, qui communia laborum stipendia vestris necessitatibus affatim diuidat, ita vt nihil nobis in vlla re spirituali desit, & licet ea œconomia, difficiles operas, pro suis viribus, cuique diuidat, laboresque in ea, graues exantlandi sint, vnicuique ne ocio vel torpeat, vel diffluat: cum tamen eodem adoptionis iure nobiscum, ait, gaudeatis, cælestium & immortalium bonorum estis hæredes: quæ hæreditas, vestris laboribus affluentissimè suo tempore respondebit Nam prout charitatis ratione, vos præbueritis spiritus sancti, (quo authore, ad virtutem, salutaresque actiones impellemini, vt eius freti gratia, in salutis certamen fortiter descendatis) ministros & coadiutores decurso huius vitæ spacio, iustum coronæ præmium, à cælesti parente, cum omnibus, qui eundem vitæ cursum tenuerint, recipietis. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quã ostendistis in nomine ipsius.* Quid hic pigri Lutherani & Caluinistæ, qui rectè operantibus, nihil deberi, nihil reddi nequiter fabulantur, vna fide, omnia quæ ad fælicitatem spectant, nefariâ eorum sententia, præstante, cum apostolus alibi iubeat *abnegantibus impietatem, & secularia desideria: sobriè vero & iustè & piè viuentibus in hoc seculo, vt expectent beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi*, hic vero subiiciat.

Bonis operibus merces promissa.

Hebr. 6.

Cõtra sectarios sola fide æternã vitam mercantes.

Vt spes nostra firma sit pro vobis, scientes, quod sicut socij paßionum estis, sic eritis & consolationis.

Sensus

Sensus est. Quod ad nostri, imo Christi imitationem hactenus adeo strenuè fide, & pietate decertastis, eam de vobis spem concipimus, certaminis huius vberem fructum, vt aliquando recipiatis salutem animarũ vestrarum. Nam similes Christo patienti, cum per patientiam, efficiamini, ait Paulus, nemini dubium esse potest, quin eam hoc tempore, , gaudij sentiatis vbertatem, per quam, ad æternam fælicitatem pertingere suo tempore, possitis, quod cum reipsa abundè experiemini, quando Christus gloria nostra *cum potestate magna & maiestate* ius dicere cunctis gentibus veniet, tum enim eidem glorioso & immortali etiam similes efficiemini. Quod enim Christi cultores, cum laboris molestia nunc seminant, & quem cum patientia magna fructum boni operis hoc tempore afferunt, *venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos* psal. 125. Tales ille manipulos portabat, qui dicebat, *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum* Marc. 13. Eius generis spe mercedis recreatus erigebatur, qui audiebat, quod *centuplum esset recepturus, eo quod Christi causa omnia* (scilicet terrena) *reliquisset*. Nam exercendæ patientiæ causa, æquo animo huius mundi voluptatibus contemptis, carnisque illecebris posthabitis, pericula fei imus, malorumque difficultates aure surda præterimus, quod patientia nostram stabilitatem & constantiam probet, qua cognoscimus, quanti Deum, & cælestia faciamus. Nam qui sibi iam ita exploratus est, vt Dei vnius causa, tolerare in hac mortali vita, quæuis aduersa sit expeditissime paratus, in certam vitæ cælestis adipiscendæ spem erigi vehementer potest, Quæ spes, nunquam sperantem *Math. 26.* *1. Cor. 13.*

tem fallit, vt quæ suum, certo certius semper sortiatur euentum.

Ea siquidem spes, sanctorum Martyrum animos ita erigebat, vt inauditam suppliciorum crudelitatem non solum patienti & constanti, sed etiam lubenti gaudentique animo perferrent. Hinc B. Augustinus in serm. 44. de sanctis *gloriosus*, inquit (*Christi athleta.*) *futuram coronam ac gloriam in agone suo attendens, non exhorruit carceres, ad imitationem capitis sui tolerauit opprobria, sustinuit irrisiones, flagella non timuit, & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, altè retinebat. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Huius itaque promissionis *amore à terrenis suspensus & gustata supernæ suauitatis dulcedine ineffabiliter affectus dicebat cum psalmista. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum &c.*

Huius ait populo post, ibidem *perfectæ libertatis contemplatione, nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium, & si millies posset mori, non putabat se tantam gloriam posse aliqua ratione promereri.* Atque eam ob causam, maximis sæpe difficultatibus etiamnum suos affligi patitur Deus, vt eorum singularem & prõptam probet obedientiam, periculumque faciat, an verè illum ament & timeant: Quemadmodum mandato de im̃olatione Isaac, probabat quanti faceret Abrahamus Deũ in corde suo, sicut & cęcitatis im̃issione Tobiæ fidem explorabat, num scilicet, in aduersis, etiam immobi-

mobilis permaneret in timore Domini? quemadmodum Tobiæ seniori cap. 15. reuelat Angelus Raphaël: dicens: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te:* *Beatum* autem eum *virum* prædicat D. Iacobus; *qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Pati sanè, & credere, diuersa sunt, quod vtinam desides & molles sectarij expenderent, vnius fidei præsidio, omnia ad salutem necessaria malitiosè metientes, nulla charitatis, ac cæterarum virtutum, atq; operum habita ratione. Iacobi 1.

Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam viuere.

Licet doctrina, maximum ad virtutis imitationem & patientiæ studium, calcar addat; fortium tamen hominum, fortia & heroica facta, atq; exempla, longe maiori sunt ad id incitamento: Ideo priuatæ persecutionis suę commemoratione, quod hactenus docuit, confirmat Apostolus: nempe malorum Christi causâ perpessorum acerbitatem, multiplici consolationum suauitate, non modo compensatam, sed multis modis superatam extitisse; In quem finem, publicis diuinis officijs, res sanctorum hominum pręclarè gestas, & labores pro Christo, Christiq; religione exantlatos, ad eorum imitationem ab Ecclesia proponi arbitror; Quę enim in officij matutini ritu Historiæ ręcitantur; eo-

Cur sanctorum res gestæ in publicis officijs Ecclesia fidelibus ob oculos ponat;

rum denique sanctorum, quorum memoria annua; solenniter recolitur, Catalogus, in Prima horarum Canonicarum recensetur, eô duntaxat spectant, vt ad eorum normam, cæteri Christiani ciues, & actiones, & cætera vitæ officia instituant; Quæ, licet ab improbis sectarijs rideantur, nihili tamẽ facienda est eorum improbitas & audacia, quę eo progressa est hactenus, vt nihil tam sanctum, tam bonum, diuinumq́ue sit, quod mendacijs proscindere, quod ridere, & maledictis mordere non soleat.

Sectariorum impudentia & audacia.

Sicut enim Martyrum glorificationi congaudet Ecclesia, ait Augustinus, serm. 44. de sanctis: *sic eius proponit sequenda vestigia. Ab ijs* enim, subiungit idẽ doctor, serm. 47. *SS. Martyrum, in veritate festiua gaudia celebrantur, qui ipsorum matyrum exempla consequuntur, solennitates enim martyrum, exhortationes martyriorum sunt, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat*: sed non capit hoc verbum in Lutheranorum damnatis mentibus, quibus fides, nescio quæ iam cœli palatia aperit, licet Christi docentis tempore, *vim patiebantur, & à diebus Ioannis Baptistæ à solis violentis poterant rapi*, Lutheri tamen sęculo, citra difficultatem vllam, cœpta sunt obtineri.

Eius persecutionis, hic Paulum meminisse aliqui existimant, quam ab Argentario quodam Asiatico Ephesi, concitatam fuisse, author est B. Lucas; Quæ, quàm grauis & acerba fuerit, commemorat imprimis á loci celebritate, vbi in veneratione potius haberi, quam pati debuerat, eiusmodi Antistes, quod ibidem primo Christianæ fidei semine sparso, religionem fundasset; Commonstrat deinde eiusdem magnitudinem; quando suas ad eam sustinendam vires fuisse impares commemorat, quasi instar nauigij fuisset grauatus,

Actor. 19.

Tribulationis & persecutionis D. Pauli magnitudo & grauitas.

ctus, quod ingenti suo onere in profundum mergitur. Adeo, vt cum Dauide videatur potuisse suo quodá iure dicere, *Infixus sum in limo profundi & non est substantia, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*, quasi præ magnitudine perturbationis & vi calamitatū, pedibus non posset amplius consistere. Qua ferè ratione, Dei pmissu, solent periclitari, qui ab eo diliguntur, tùm vt virium suarum infirmitatem cognoscant, tùm, vt se sub potenti ipsius manu humiliandi habeant occasionem; ac sic viriliter decertantes, immarcessibilem gloriæ coronā reportent. *Qui enim in agone certat, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Vnde *beatum illum virum* prædicabat Iacob. cap. 1. *qui tentationem sufferret quia cum probatus fuerit*, ait, *accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Psal. 68.

Iusti à Deo cur probentur & tententur?

1. Corith. 9.

Non est tamen ita existimandum, quasi Deus ita continuo suos patiatur aduersis iactari, vt solatijs, mala quæ patiuntur, non aliquando etiam inspergat & compenset quo facilius possint sustinere: imo Paulus hoc loco, id ipsum testatur, qui cum supra naturæ vires, eam suppliciorum crudelitatem pateretur, vt sibi moriendum existimaret, in ea cogitatione, salutis recuperandæ spem, exitijq; solatium reponebat, quod talem Pontificem nactus esset adiutorem, qui per omnia fuerat tentatus, vt qui suorum infirmitatibus, didicisset vsu dolorum compati, gratięq; suæ præsidia largiri, ne tentationibus vel decepti assentiantur, vel calamitatib. fracti cogantur cedere. Est n: humanarum viriū tanta imbecillitas, vt nisi diuina gratia pręsto sit, non facile sit tētationib. obsistere, & nisi Christo duce, qui victoriā de Diabolo gnauiter pugnando, reportauit, in certamen

descendant; non est opis humanæ, victoriam reportare. Quam victoriam, & Christi cultores facile consequi poterunt, modo fide, spe, charitate fuerint armati. *Scribo vobis*, inquit, Domino dilectus Apostolus, *iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Vincitur autem Sathanas non otio, non somno, non vino, non commessatione, non libidine; sed oratione, labore, vigilia, abstinentia, castitate, & in Deum fiducia. Quibus præsidijs munitos fuisse viros sanctissimos, author est Paulus, in ea quam Hebræis scripsit; vbi dicit *sanctos per fidem vicisse regna, operatos iustitiam, adeptos repromissionem, in Christo Iesu Domino nostro.* Et licet Domini frater, *fratres*, id est, Christianos omnes hortetur, *vt exemplum mali exitus, & longanimitatis, laboris & patientiæ Prophetarum, qui locuti sunt in nomine Domini, accipiant*: rident tamen ea improbi Lutherani, quasi parum vtilia ad salutem sint id generis exercitia, atq; adeò, aperta ad omnem licentiam & impunitatem fenestra, omnis virtutis tollunt exercitia, quasi frustra noster Apostolus persecutiones, famem, nuditatem, assiduos labores perpessus fuisset.

Diabolus quomodo vincatur? 1. Ioan. 1. Matth. 16. Iacob. 4.

Heb. 11.

Impij Lutherani & Sectarij omnia virtutũ exercitia è medio penitus tollere conantur, seu pecudum imitatores.

Sed ipsi in nobis metipsis, responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis nos periculis eripuit, & eruit.


Asiaticæ persecutionis grauitatem exaggerat eo ipso quod ad hanc afflictionum extremitatem deuenisset, vt sua, & aliorum opinione, morti lata iam sententia videretur adiudicatus: ac tandem vnius adiuuantis Dei

Dei ope, non in se, sed in Deo confideret qui dixit, non te deseram, neq; derelinquam, ita vt confidenter pronuntiaret: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Iosue. 1. Hebr. 13. Psal. 117. Ioan. Chrysost.

Tam graues autem erant Pauli afflictiones, & molestæ, vt nihil aliud portendere ac loqui viderentur, quam instantem mortem; Quo sensu, videtur Christus dixisse. *Tristis est anima mea, vsq; ad mortem*, hoc est, adeo tristis sum, quam si iam morerer, sicut Dauid dicebat, *Circumdederunt me dolores mortis*, qui scilicet tam magni sunt quam qui in morte sentiuntur. Hæc porrò, percenset Apostolus, ne quis de Dei bonitate, præsentiq; auxilio & patrocinio, vel in extremo constitutꝰ discrimine, vnquam desperet, vt qui mortuos etiam, in se sperantes, possit ad vitam reuocare. Beati proinde sæpe numero prædicantur à Psalmographo, *qui in Deum in opportunitatibus*, in extrema scilicet necessitate & afflictione, *posuerunt adiutorium suum*. Cuius amplissima promissio est: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meũ*. Eiusmodi promissionum in aduersitatibus plenissimus est totus Psalmus. 90. Matth. 26. Luc. 14. Psal. 114. Psal. 90.

In quem speramus: quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis.

Ea mentibus eorum ingeneratur fiducia, quibus se Deus in arcem inexpugnabilem, & tutum perfugium semel præbuit, vt salutis & dignitatis suæ propugnatorem Deum, se semper habituros sibi firmissimè persuadeant, quemadmodum pleriq; Dauidici Hymni, & carmi-



carmina Prophetarum, luculenter testantur; præteritorum enim beneficiorum assidua recordatio, opis futuræ, spem maximam afflictis mentibus pollicetur. Qua fretus, sperare se gloriatur Apostolus adiuuandum à Deo, idque per fidelium Corinthiorum preces, tam publicas quàm priuatas, & maximè, si gratiæ cælestis, authori numini, donorum acceptorum nomine, ab iisdem fuissent summa animi demissione, iugiter actæ: Orationes enim publicæ, quas plurimi in vna charitate vniti, solent fundere, quasi vnius sint, plurimum valent. Quia multi minimi, vnius moris in Ecclesiæ domo, vnanimiter congregati sunt, inquit B. Ambrosius, quos est impossibile non exaudiri, quemadmodum B. Petri cathenæ testantur, quæ ad publicas fidelis populi deprecationes, & assidua vota, solutæ, fractæque sunt.

Orationis tam pub. quam priuata vsus.

Actor. 12.

Vt de priuatis nihil dicam, quæ Dei misericordiam sæpe desperatis in rebus impetrarunt, vt profusa, cum lachrymis oratio, luculento est exemplo, quæ mortalis vitæ hujus, quindecim annorum spacium, Ezechiæ Regi impetrauit, quemadmodum & Annæ, vxoris Helcanæ intima cordis & viscerũ effusio, continuusq; gemitus loquuntur, quibus Samuel Propheta sanctissimus, mærenti parenti est concessus, &c. Ad hoc enim malorum suorum remedium, nempe ad orationem, Ecclesia semper catholica confugit. Christi nimirum non modo, vsu consilio atq; authoritate instituta: sed eiusdem etiam exemplo edocta, quem omni ætate iustissimos vtriusq; sexus homines, imitatos fuisse, sacri & Prophetici scriptores posteritati tradiderunt; eorumque vetustissimi testantur annales, qui sanctitate præditorum hominum res gestas, ad publicam vtilitatem con-

1. Reg. 1.

Ester. 14.
I. Cor. 4.
Roman. 10.

conſcriptas, poſteris imitandas propoſuerunt: Sicut enim communis Chriſtianorum ceu membrorũ vnius corporis oratio, capiti Chriſto grata non eſſe non poteſt; ita beneficiorum diuinorum grata recordatio, diuinæ clementiæ largitatem, fauorem & beneuolentiam, mirum in modum, ad ferendam opem potens eſt prouocare: Ideo hæc duo à Corinthijs exigebat Apoſtolus, vt ſcilicet orarent, & debitas de cæleſtibus donis, gratias agerent. Quaſi diceret; Adiuuate me deprecatione, gratias agite, tanquam pro vobis facientes: Mea enim conſolatio ac ſalus, etiam veſtra eſt: neque nunc hoc admonens dico, verum etiam in hoc ſæpe glorior; quod adeo ſitis in me procliui animo, vt meam conſolationem; veſtram eſſe ſalutem exiſtimetis.

Magna vtilitas pro beneficijs à Deo acceptis ſæpe gratias agere, & eorum recordari.

Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Cum probè sciret Apoſtolus, quid Chriſti cauſâ, ad publicam Chriſtianorum, & maxime Corinthiorũ vtilitatem & commodum geſſiſſet, in eam ſe ſpem venire confirmat, vt periculis ereptus, aliquando ſalutem incolumis recuperet, ſi modo precibus bonorum aſſiduis conatus & conſilia ſua iuuari ſenſiſſet. *Nam ſi* *Ioan 1. cap. 3.* *cor noſtrum, non reprehenderit nos*, ait D. Ioannes, *fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Maior enim corde noſtro eſt Deus*, qui perſpicatius, mentium noſtrarum latebras rimatur, quam nos, vel declarare, vel occulere poſſimus. Nam *ſi infernus & per-* *1. Cor. 9.* *ditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum; infernus enim coram illo nudus eſt, & nullum eſt operimen-* *Prou. 15.* *tum perditioni* ait Iob. *Iob. 26.* Cum ergò ritè, ſecundum ſapientiam, & vires ſibi à Deo datas, pura & ſincera mẽte, hoc eſt, ſine fraude, ſine aſtutia, ſine ſimulatione ſcilicet

inter

inter Corinthios, se fuisse conuersatum Apostolus gaudio, hoc nomine, maximo gestiebat. Ad cuius imitationem, iustitia præditis hominibus, serio & humiliter, in aliquibus bonis & pijs studijs, permissum est gloriari, quę in se senserint, quando nullius peccati lethalis sibi fuerunt conscij. Quo pacto sępe gloriatur Apostolus noster in cruce Domini nostri Iesu Christi, in infirmitatibus suis, &c. infra c. 11. 12.

Bonæ conscientiæ encomia.

Quæ causa est, quod non modo Orthodoxi patres, sed & infideles Ethnici, frequentissimè, maximam in bono conscientiæ testimonio pacem, gloriam, fortitudinem, & tranquillitatem esse positam existimarint. Vnde *murum aheneum* vocabant, *Nil conscire sibi, & nulla pallescere culpa*, & mens, *summa boni est, quæ sibi conscia recti est.*

Culpâ etiam vacare, magnum Cicero solatium reputabat. Quare Augustinus, lib. contra Manichæum, *Senti*, inquit *de Augustino quod libet, sola me conscientia in oculis Dei, non accuset.* In quam sententiam, Chrysostomus. *Quando damnare non potest conscientia nostra, quasi factis improbis à recto discesserimus, etiam si infinita patiamur acerba; etiamsi vndiq; feriamur ac periclitemur, sufficit nobis ad solatium, immò non tantùm ad solatium, sufficit nobis pura conscientia, verum etiam in hoc, vt coronemur, dum præbet nobis testimonium, quod nihil commiserimus mali; sed iuxta Dei placitum, hæc perpetimur ob virtutem, ob Philosophiam, ob multorum salutem.* Verum, ne de suæ conscientiæ testimonio, quis sibi iusto plus blandiatur, attendendum est, quod ad Eugenium scribebat D. Bernardus. *Volo,* ait, *glorieris testimonio conscientiæ, sed non minus, vt eodem ipso humilieris. Rara vox, nihil mihi conscius sum: Cautior in bonis ambulas, si & mala non lateant: Quamobrem,*

vt

vt dixi, noueris te, vt inter angustias, quæ non desunt, fruaris conscientiæ bono; magis autem si scias; quid desit tibi: Nam cui non desit? Omnia desunt, qui nihil sibi deesse putat. Vnde, quod omnes ferè Lutherani, suo errore S. Bernhardum patrocinari iactant, falsum est; cum enim in primo sermone (quem suum Achillem esse arbitrantur) de annunciatione Dominicâ, illa Psalmi illius verba sibi explicanda, proposuisset, *Vt inhabitet gloria in terra nostra*, dixit hanc gloriam esse illam, de qua hoc loco, loquitur Apostolus: Atq; hoc testimoniū esse conuicit, quod perhibet spiritus sanctus in corde nostro; non testimonium, quod perhibemus de nobis. Addit verò testimonium triplex, nempe de remissione peccatorum, de meritis vitæ æternæ, de electione ad gloriam; cum videlicet, aliquis credit sibi per Christum, peccata indulgeri, donari merita, & paratam esse vitam sempiternam: non tamen sine conditione, nempe confessionis, conuersionis, & fructuum pœnitentiæ similiumq; operum: Ex quibus, vt ex signis quibusdam, gratiæ diuinæ persuasio, & securitas gignitur: non tamen certitudo infallibilis, qualis de fidei articulis haberi debet; Potest enim vir iustus, spiritualiter gloriari, & lætari, & confidere, & tranquilla ac tuta esse conscientia; etiamsi testimoniū, quod ei reddit conscientia, eius tantum probabilem, vel moralem quandam ei præbeat certitudinem; nec ei quicquam occurrat, quod veri similem & idoneam rationem adferat, de eo dubitandi. Etenim, vel par, vel minor etiam certitudo, de testimonio humano, solet nobis, in rebus humanis, gloriandi & gaudendi fidendiq; causam adferre.

Contra Sectarios, sibi certam salutis consequendæ spem stultè pollicētes.

Qui siquidem operibus bonis, sese iugiter exercet, non abs re sibi persuadere potest, se Dei gratiæ munere preditum, sed non ea certitudine, cui nullo modo falsum subesse possit, cum non solum de ijs rebus læte mur & gloriemur, quas certi sumus nos habere, vel habituros, sed etiam de ijs, quas vel non habere fidimus, vel esse habituros speramus; quamuis non sine timore. Sic Psalm. 2. iubemur, *Deo seruire in timore*.

Eiusmodi certitudinem à Christianis videtur desiderasse B. Petrus, cum ab ijs petiit, vt *satagerent per bona opera, certam facere vocationem, & electionem suam.* Quanquam scholia græca, ab Apostolorum principe, nihil ibidem requiri velint, quam vt ipsorum integritatem vitæ, probitatemq; morum, innocentiam atque præstantiam bonorum operum, liquido alij cernentes agnoscant, & fateri cogantur vocationem, & electionem suam, hoc est, disciplinam fidei & religionis Christianę professionem ad quam ipsi vocati, & à Deo electi sunt, & quam ipsi tum colunt, tum profitentur, esse veram, sanctam, & à Deo profectam.

Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis & cognouistis.

Eorum quæ hactenus de sua innocentia, synceritate, & patientia fusius commemorauit, testes ipsos Corinthios inuocat, vt omnem superbiæ, & simultatis suspicionem declinet, hoc sensu, vt interpres est Chrysostomus, Ne quis existimet, ait, quæ narrauimus, esse verborum fumos; quandoquidem ea vobis significamus, quæ nostis ipsi, & de quibus, nos nequaquam men-

mentiri, non alii magis noſſe poſſunt, quam vos. Cum enim legitis, agnoſcitis, quod quorum, nobis in factis conſcij, eadem in epiſtolis loquimur: Nec vſquam noſtrum teſtimonium, meis epiſtolis aduerſatur, ſed lectioni conſentit cognitio, quam prius de nobis conceptam habebatis; Neq; enim ex aliorum narratione, cognouiſtis quę geſſimus, ſed ipſa operum meorum experientia: quod ſcilicet, in cordis ſimplicitate, & non ſubdolè, aut fraudulenter ſimus inter vos conuerſati; Carnali enim ſapientiâ, vti paulò ante dixi, quę fraudes, inſidias, ſermonis lauticias, & perplexa Sophiſmata complectitur vſi non ſumus: ſed Dei gratia, (in quâ veræ ſapientiæ, hoc eſt veræ pietatis ratio conſtituta eſt) vires, irreprehenſibilem vitam, & miraculorum virtutem nobis ſuppeditauit; adeo, vt ſi quæ inter vos præclare ſint à nobis geſta, DEI dono magis, quàm noſtris viribus & facultatibus ſint aſcribenda.

Spero autem, quod vſq; in finem cognoſcetis: ſicut & cognouiſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die DOMINI *noſtri* IESV CHRISTI.

Senſus eſt, quod ſi hactenus pſeudo Apoſtolorum impoſturis decepti, omnimodam earum rerum veritatem, necdum eſtis aſſecuti, quam verbo & exemplo vos iam dudum diligenter docui, nempe me ſincerè, & patienter, inter vos vixiſſe: Spero tamen, quod ante mortalis huius vitæ finem, perfectam omnium cognitionem ſitis adepturi: Quia cum

optimè in Christianismo cœperitis, cui dubium esse potest, quin maximos progressus suo tempore, sitis in eodem facturi? Certum enim est, quod *qui in vobis cœpit, opus bonum*, fælicissimo exitu terminaturus est, quæ ad salutem vestram & comparandam, & augendam pertinent. Tum sicut ego pater de vobis filijs: ita vos de me patre, filij, magnificè gloriabimur: *corona enim senũ* (vt est apud sapientem) *filij filiorum, & gloria filiorũ patres eorum*. Nam in die Domini, clarissimè percipietis, quod iam obscurè, & vix quidem tenuiter assequimini, licet in hoc mundo *luceatis, sicut luminaria, verbum vitæ continentes, ad gloriam meam, in die Domini nostri* IESV *Christi*.

Prou. 17. 1. Thes. 2. Philipp. 2.

Cur extremi iudicij dies Christi dies vocatur.

Extremi iudicij dies, Christi vocatur dies, quod tunc, de peccatoribus, & ijs, qui in hac vita, suæ voluntati, neglecta diuina, obsecundarunt suam voluntatem sit declaraturus, quemadmodum priore epistola, Cap. 3. amplius est declaratum.

Et hac confidentia, volui prius venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis: & per vos, transirem in Macedoniam, & iterum à Macedonia venirem ad vos, & à vobis deduci in Iudæam.

Hæc, firmæ defensionis, & excusationis suæ causâ, adiunxit Apostolus; vt vel leuitatis, vel inconstantiæ suspicioné à se procul remoueret, nempe quod profectionis ad ipsos Corinthios suscipiendę, tã subito consilium mutasset; Hanc ob fiduciam ait, q; mea gloriatio etiã promissa in illa die népe iudicij, vos estis, & ego vicissim vestra essem: Ité, quod haberé persuasum, me, tãquã magistrũ, & vestrũ parenté esse peramãter, à vobis

&

& honorifice suscipiendum, mihi omnino constitutum erat ad vos venire, vos reuisere, vos complecti, vobiscum dissuauiare.

Vt secundam gratiam haberetis.

Vocat secundam gratiam, respectu prioris, qua scilicet per Euangelium, eos genuerat ac formarat lactantes adhuc in Christo quasi modo genitos infantes. Alteram gratiam, appellat suam, eosdem in fide stabiliendi, voluntatem, augendæque gratiæ ipsorum, ardens desiderium. Græci porrò, duplicis gratiæ beneficia, tum ad Pauli præsentiam, tum ad eiusdem epistolas reuocant, quasi dicat, ex eorum sententia, Paulus: Ideo ad vos volui venire, vt duplam haberetis gratiam, nempe, & Epistolarum, & meæ præsentiæ. Itineris porrò instituendi rationem hanc percésset, quod Corintho in Macedoniam transire, è Macedonia vero ad eos reuerti cogitasset. Et cum prioris epistolæ, ad eosdem scriptæ Cap. 16. animi sui consilium declarat nempe quod esset Corinthum venturus, & è Macedonia, ad eos reuersurus non esset (maiorem fortasse diutius apud eos morandi, captans occasionem) fit euidens, per eos transeundi propositum (cuius hoc loco fit mentio) habuisse Apostolum, priusquam priorem epistolam scripsisset, adeo vt sibi contrarius, scribendo fuisse, minime debeat existimari.

Gratiam secundam, quam vocet Apostolus.

Est enim, secundum Græcos, ac si dicat: tantum abfuit, vt pigritarer ad vos venire, vt quantum attinet ad meum animum, etiam priusquam Macedoniam viderem, ad vos venire vellem: at non successerunt mihi res iuxta voluntatem, Si quidem tunc ignorabam, quo me spiritus iuberet proficisci, quod postea cognoui.

Oecumen. Photius.

Cum ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me est, & non?

Quando Corinthij, negotiorum Apostoli, non ita conscij hanc sententiæ, de suscipiēda ad se profectione mutationē inexpectatam & improuisam alicui humano Pauli, vel affectui, vel inconstantiæ poterant ascribere: se per anticipationem, purgat, Dicit verò, non secundum hominum leuiorum morem, vel per instabilitatem quandam mentis vel per leuitatē animi, hoc consilij cepisse, vt quod certe promiserat, præstaret, aut quod apud se constituerat, protinus effectui non mandaret, ac denique inficiaretur, quod paulò ante affirmarat. Sed ad sui excusationem, varios rerum euentus adducit, qui sapientissimos quosque homines, in arduis & difficilibus rebus frequenter mutare sentētiam cogunt, quasi dicat, Quæ semel statuo, non lubricæ carnis aliqua cupiditate adductus, soleo temerè mutare, ita, vt sint apud me, *est, est, non, non*, id est, quasi futilis, aut instabilis sim, aliudque stans, aliud sedens de grauibus rebus ad hoc, vt vos fallam aut decipiam cogitem, Res, inquit, aliter, ac aliqui de me sentiunt, habet. Nam meus ego non sum, sed *in manibus Domini sunt sortes meæ*: atque adeo quod semel statui, mihi semper exequi, fas non est, quod spiritus S. impetu frequenter alio impellar, quam in animum induxeram: Huius spiritus nutu & imperio, mos mihi necessario gerendus est, Atque adeo mihi ita comparatum est, vt publica proximorum vtilitas, imò Dei ipsius iussa, & imperata priuatæ meæ voluntati semper mihi sint anteponenda, quemadmodum cap. 1. epist. ad

Dei potius quā priuatæ voluntatis morem gerebat Apostolus

ad Roman. dicit se sæpe proposuisse Romam proficisci, *sed prohibitum fuisse*.

Eam ob causam, iuste reprehendit eos D. Iacobus qui sua freti industria, res futuras præsentibus metiuntur, quasi semper in sua essent potestate, dicentes, *Hodie, aut crastino, ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, pro eo, vt dicatur, si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Et cum alia Dei, (quæ sæpe latent) alia hominum sint consilia, sæpe fit, vt quod firmiter apud se homo spiritualis, statuit, reuocare debeat. Trito siquidem est apud omnes prouerbio, Hominem proponere, Deum vero disponere. Inde sanctis & Apostolicis viris vsu receptum videmus, vt nihil constituant, nisi diuina interposita permissione, aut voluntate, aut licentia, nempe si Deus voluerit, si Deus permiserit *Vita comite*, vt cuius, sicut & mortis, Deus est author, cum *Dominus viuificet & mortificet, deducat ad inferos & reducat.* *Gen. 18. Rom. 14. 1. Cor. 16. Iacob. 4.*

Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est & non, sed est in illo, est.

Apostolici Doctoris inconstantia, nihil est perniciosius: Quare eam doctrinam esse duntaxat Catholicam semper affirmauit Ecclesiastica authoritas, quā ab Apostolis acceptam integram, inuiolatamque per manus sancti patres, sine vlla mutatione, aut corruptela, aut varietate, ad hæc nostra tempora deriuassent, ita vt de quolibet dogmate, non aliter iam sentiant Orthodoxi quā semper, Ecclesia vigente, veri Doctores & pastores siue verbis, siue scriptis, vel tradidissent, vel probassent vel iudicassent. Ideo totus in hoc est Apostolus vt ex *Quomodo fidei doctrina cognosci debeat.*

ani-

animis Corinthiorum, inconstantiæ & mobilitatis animi opinionem eximat, ne scilicet, Pauli doctrinam, æque instabilem ac incertam esse dijudicent, ac eius humanas promissiones & priuata decreta.

Hierem. 3. Psal. 14. Iacob. 1.

Ait ergo promissiones diuinas, non esse, vt humanas, quæ mutari possint, cum *Deus* per naturam *verax in omnibus verbis, & operibus suis fidelissimus sit, apud quem, nec transmutatio est, nec vicissitudinis obumbratio.* Vnde quos veritatis & promissionum suarum præcones, in orbem mittit, nihil eos, vel tradere, vel docere per spiritum suum permittit, quod à veritate menteque sua sit alienum. Quæcunque ergo *spiritu sancto inspirante, sancti Dei homines loquuntur*, infallibilia, vera, & omnis varietatis, falsitatisque expertia sunt.

Gal. 2.

Vnde Galatis dicebat, si *quæ destruxi, hæc eadem iterum ædifico, præuaricatorem me constituto*, Ideo Apostolorum princeps, non humana volutate aliquando allatam prophetiam, sed spiritu S. inspiratos, locutos esse sanctos Dei homines, affirmat. Summa itaque fide & pertinaci constantia, Christum annunciando, se vsum, fuisse testatur Apostolus, quasi iam hoc, iam aliud plane diuersum non docuisset, sed idem, sibi semper constans dixisset, & inculcasset, quod ab iniquorum sectariorum (quales sunt scelestissimorum Lutheri & Caluini sequaces) consuetudine maxime est alienum, de quibus ait Psalmographus, *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*, quæ sicut omnia Dei mādata sunt ipsa veritas, Quæ etenim impij dæmones, & peruersi homines, (quales sunt sectarij) suggestionibus malignis, prudentibus & iustis hominibus proponunt, vt nugæ, mendacia, inanes fabulæ, & tanquam deliramenta pura, meræque insaniæ ab ijs reputantur.

Psal. 118.

Neque

Neque enim, quæ ab hæreticis, & impostoribus narrantur, vlla ratione comparanda sunt cum ijs, quæ ex lege diuina orthodoxi homines docent.

Nam in æternum Domine, ait idem, *verbum tuum permanet in cælo, in generatione & generationem veritas tua &c.* Ideo ad idoneos prædicatores pertinere concludit Ambrosius *vt sit apud illos est, est*, vt non aliud faciant, quam sciunt vtile, & quia frequenter aliud volumus, quam est vtile, ne voluntas vincat vtilitatem ideo suæ voluntati vtilitatem proposuit Apostolus ne iret ad illos, id est Corinthios. In Christo enim Iesu, non fuit est, & non, sed est in illo fuit, quia nihil aliud voluit, quam quod est vtile. Maneat ergo quod fuerit Apostolus, vnius scilicet eiusdemque veritatis, idem imobilis semper & perennis assertor nec *omni doctrinæ vento*, se passus fuerit *circumferri*, quod pseudo Apostolorum, Hæreticorum & falsorum Prophetarum est proprium, qui priuata, clandestina, peregrina, propria magnifice venditãt, quæ non ab omnibus, in omni loco, & semper, retro, atque constanter sunt credita, docta aut tradita *Ecclesiæ enim Catholicæ hæc vnica certissima nota est*, ait Vincentius Lirinensis, *ad quam, non vna natio, non vnus angulus, sed maris multitudo conuertitur, id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Nam sicut Christi, quæ militat Ecclesia, perpetua est, ita fidei doctrinam eandem, & perpetuam habere debet, ait* Augustinus. Cui perpetuitati consuluisse videtur noster Deus, eidem de pastoribus, & Doctoribus prospiciendo, qui fidem & religionem Christianam defenderent: quos ideo *Doctores & Pastores datos Ecclesiæ dicit* Apostolus *ad consummationem sanctorum, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum*

Math. 16. 28.
August. in psal. 101.
Lib. 2. de Eccles. Vni. ca. 13.

Ephes. 4. *Zacha. cap. 9.* *Ecclesiæ, cur & in quem finem Deus dederit Doctores & Pastores.* *Timoth. 2.* *Cantic. c. 3.*

Id enim promisisse videtur Deus, per Zachariam prophetã *circumdabo*, inquit, *domum meam ex ijs, qui militant mihi*, qua militia, militare volebat Timotheum Deo & Ecclesiæ, Gentium Doctor, cui dicebat. *Labora vt bonus miles Iesu Christi*, Atque hi sunt, nimirum, *illi fortes, qui custodiunt lectulum Salomonis*, qui scilicet, eodem armorum præsidio, eadem doctrina & disciplina quam olim Apostoli primorum Ecclesiæ sæculorum parentes tradiderũt defendunt, propugnant, sustentãt.

Act. 1.

Nam, quemadmodum rebus naturalibus, quicquid perfectionis, & vigoris habent, cælestium corporum ministerio, Deus impertitur; ita per Apostolos legittimeque vocatos pastores ac Doctores Ecclesiam, de rebus ad cælestem doctrinam pertinentibus, voluit instructam, quos eodem modo, rerum diuinarum insigni & firma cognitione necesse fuit excellere, quo omniũ rerum perfectiones, cælestibus corporibus eminentissime contineri.

Mark. Marc. Gls.

Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit in illo, est, & non, sed est in illo fuit.

Sensus est, Christi fides non recipit est & non, nõ ait modo, modo negat, sed constans, eademque semper perseuerat. Non modo hoc, modo illud asserit. *id enim* vt in huius loci commentario, ait Chrysostomus, *non fidei est, sed animi aberrantis, qualis* animus est Nouatorum quibus illud psalmi maxime conuenit, *dixi semper hi errant corde*, errant inquam, corde primum, deinde ore atque vita à regia via antiquorum patrum, diuinorumque vestigijs consignata aberrant, quibus insistere

ſtere oportet eos, qui in cæleſtem patriam peruenire deſiderant.

Vndeveritati conſentanea ſe ſemper docuiſſe, Syluani (qui Silas in actis, à *D. Luca* vocatur) & Timothei teſtimonio confirmat Apoſtolus; Quibus cooperatoribus, in Eccleſiæ Corinthiæ fundatione, fuerat vſus. Nam Chriſtus cum ſecundum naturam, non modò vita, & ad vitam via, ſed & veritas ipſa infallibilis ſit, fieri non poteſt, vt eiuſdem dictis aut factis, minima inſit falſi ſuſpicio, cum à veritatis fonte, præter veritatem, nihil poſſit deriuari, atque adeo fit conſequens, vt illi quos Euangelij miniſtros ſelegit, à veritate non poſſint aberrare: licet enim per ſummam iniuriam, ſcribæ & Phariſæi Chriſto, id genus falſitates aliquando quidam obijcerent, ea tamen ſapientia veritas ipſa blaſphemias ipſorum retorquebat, vt mendacia puta, & meras calumnias, quæ fuerant obiecta, fuiſſe facile intelligerent qui recte iudicabant, ſicut vna blaſphemiæ illius retorſione probabat Dominus, cum apud Lucam in Beelzebub dæmonia eijcere per conuitium diceretur. Bene porro Dei filium in illo, fuit, id eſt, ſemper veracem fuiſſe dicit, quia *fidelis eſt, & ſeipſum negare non poteſt*, cum mutationis in ipſo vel vmbra minima diſpici non poſſit qui ſolus natura verax eſt. *Ioan. 11.*

Omne, inquit, *regnum in ſe diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet: ſi autem & ſathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius quia dicitis in Belzebub &c. filij veſtri in quo eijciunt? Ideo ipſi Iudices veſtri erunt. porro ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei,* nempe *filius hominis, qui deſcēdit de cælo, & eſt in)* *Luc. 11.*

cælo vnigenitus in sinu patris, qui omnem veritatem enarrauit mundo: & ad veritatis perhibitionem se natum fuisse impio & iniquo iudici Pilato summa cum modestia respondebat.

Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est Ideo & per ipsum, dicimus amen Deo, ad gloriam nostram.

Doctrinæ Christi veritaté confirmat, quod in ipso, & per ipsum, omnes Dei promissiones humano generi olim factæ, sint impletæ, quia Christus est veritas, qua, quod promissum est, ad effectum deducitur, sicut Psal. 84. scriptum est, *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.* Ex misericordia enim promisit Deus, sed veritate, promissa adimpleuit, sicut Psal. 88. promiserat. *Misericordiam autem meam, non auferam ab eo, neque nocebo in ueritate mea.* Inde est, quod Christus *veritatis plenus* dicatur, tum quod in ipso, & per ipsum, veteris legis vmbræ & figuræ, excussæ fuerint ac declaratæ, tum quod diuinæ cognitionis plenus, omnes scientiæ & sapientiæ Dei thesauros, in vnum aperuerit. Eam enim ob causam Pilato *se* dicebat *in mundum venisse, testimonium vt veritati perhiberet*, vt fidem scilicet, & Dei doctrinam mortalium generi declararet, sine qua, salutem consequi nemo poterat.

Tolet. in cap. pri. Ioan.
Christus cur plenus veritatis dicatur.
Luc. 24.
Math. 5.
Ioan. 4. 19.
1. Ioan 2. 4.
2. Timot. 2.
Hebra. 16.
Col. 2.
Math. 26.

Nemo enim Deum rectius noscere poterat, atque is, qui Deus erat, & qui vt homo, ab ipso incarnationis exordio, Deum videbat, Inde est, quod *maxima & pretiosa*, per eundem Christum dicat Apostolorum princeps, *nobis esse donata*, & quod beatæ plenitudinis tempus, Christi vocetur *Aduentus*, quia nimirum in eo prophetiæ, promissiones, & figuræ credentium Eccle-

2. Pet. 1.

siarum

ssarum fuerunt impletæ, bonis per eum mundus repletus. Nam cum eo, qui est omne bonum, omnia bona quocunque tandem ierit, confluũt. Per eius n. aduentum, & mundi inhabitationem, Ecclesia ditata est diuinorum mysteriorum scientia, gratijs, virtutibus, donis, Sacramentis, miraculis, gentium multitudine, virtutum omnium exercitijs, & veteri sepulta lege, per Christum data est Ecclesiæ lex gratiæ & amoris perfectissima, ligandi atque soluendi potestas concessa est, ad ipsam eandem regendum & perficiendum, sicut & mirabilis facultas, panis & vini substantiam, in corpus & sanguinem commutandi, vt eius plenitudo, nobis nunquam desit, apertisque cælorum ianuis, cœpere repleri Angelorum ruinæ Sanctorum & iustorum hominum ingenti numero, adeo vt mundi totius repletum dici possit esse in bonis desiderium suum.

Dispensationis Christi aduentus commoda

Psal. 102.

Ideo & per ipsum Amen, Deo ad gloriam vestram.

Cum igitur, ait Apostolus, vera sint, quæ de Christo veritatis authore, & Doctore prędicamus, in mentē vobis veniat, nostræ prędicationis scopũ, esse Dei, vestram, & nostram gloriam, Dei quidem, quia cum Deus infallibiliter in suis promissis verax prædicatur, religionis ei cultus exhibetur, vnde nominis eius celebritas, lōge lateque extenditur, quemadmodum sancti Prophetæ, multis locis abunde sunt testati, cum veritati nihil maius aut sublimius excellentiusque dici fingiq; possit. Nostra autē gloria ex fidei, siue diuinæ veritatis prędicatione, etiam incrementum sumit, quod nihil laudabilius sit, quã mundo, per nos innotescere Dei promissiones fuisse efficaces in ijs, qui Deo opem ferente crede-

diderunt, & morem gesserunt ad nostram prædicationem Euangelio.

Nihil enim dignius, quam Dei legatione, ad homines & ad eorum procurandam & promouendam salutem fungi, In qua summa eorum gloria, summum bonum & æterna fælicitas est constituta, quam suo tempore, reipsa consecuturi sunt, modo sibi ipsis non defuerint. De voce Amen, quæ Hebræis confirmandi particula est, à verbo Aman (quod firmum esse significat) deriuata, plura dicta sunt in priore ad Corinthios Cap. 16.

Qui autē confirmat nos, vobiscum in Christo.

Susceptos à se pro Christi Euangelio labores sobrie & cautè solet Apostolus prædicare, sicut hoc loco, ne partæ Corinthiorum salutis fructum, sibi vendicet sed eum ipsi Deo tribuere potius videatur, hoc sensu: Quod ad meam inquit, vestri Doctoris & progenitoris prædicationem (qua diuinas in Christo promissiones impletas fuisse, ad vestram vtilitatem & gloriam estis edocti) vna mecum, firmi statis in Christiana fide & religione, non humanæ duntaxat id opis est, sed diuinæ etiam virtutis & cælestis adiumēti. Quare, qui Ec-
1. Pet. 2. clesiæ fundamentis ita *viui lapides estis super ædificati*, vt vos ceu membra nobis coniuncti, vni Christo capiti adhæreamus, vni inquam Deo huius vnionis authori maximę sunt agendæ gratiæ, qui per suum spiritum eiusmodi seruorū suorum *vocib. virtutem dedit*, vt non solū quod veritati consentaneum eloqui (dum Euangeliū annunciant) sed in Christi etiam societatē allicere plurimos possint: Neq; enim tam Apostoli sunt, qui loquūtur, quam *patris cælestis spiritus, in ipsis loquens* qui in ijs, iuxta Christi promissionem æternum manet.

Hic etenim veritatis spiritus est, & appellatur, quod veritatis Doctor & Magister, veritatem hominũ cordibus infundat, ne aliquando seducti à vero discedant. Euangelij siquidem præcones, eius instinctu, partim res per vmbras significatas, mundo exhibent, partim promissiones à Deo factas, esse impletas, docent, partim res diuinas, ad salutem necessarias patefaciunt. Quorum causa omniũ se & Christus in *mundum venisse non semel est testatus*, & se *Doctorem, in fide & veritate vocatum fuisse affirmat Apostolus*, qui de vocatis ad Euangelium profitetur, *quod elegerit eos Deus primitias in salutẽ, in fide & veritate*, item quod Ephesij *verbum veritatis*, id est, Euangelium receperint, nempe per spiritum sanctum, cuius lumine fuissẽt & illustrati & confirmati.

Math. 12. *Ioannis 15. 16.* *Psal. 88.* *Ioan. 17. 19.* *Ephes. 1.* *Galat. 5.* *1. Timot. 2.* *2. Thes. 2.*

Et qui unxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.

Talis est, ait Theophylactus, quisquis baptizatus est, nempe Propheta: quippe qui viderit, *quicquid oculus non vidit: nec auris audiuit*. Sacerdos etiam, vt qui debeat se ipsum offerre hostiam viuentem, sanctam, Deo beneplacentem, tum Rex, vt Dei summi Regis & Imperatoris filius factus, futur iq; regni hæres, & qui nunc regnet domineturq́; in omnes absurdas cogitationes, constitutusque super vniuersum mundum.

Quæ expositio, tria baptismi effecta, non obscure declarat, ac primum quidem, *inungi* dicit baptizatos Apostolus nempe gratiæ diuinæ dono impetrata prius peccatorũ remissione: Sicut enim oleo non modo membra curantur, sed solidiora robustioraq́; & ad labores ferendos, redduntur aptiora magisque idonea

Tria Baptismatis effecta.

nea: ita iustitiæ diuinæ munere, ad virtutum exercitia hominis animus maxime roboratur & confirmatur.

Notum est enim illud quod ait Eusebius lib 4. de Demonstr. Euang. cap. 15. quod sicut diuinæ naturæ virtutem illam quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, oleum in sacra scriptura appellat, ita oleum lumen augeat, fessos subleuet, labores auferat, eos qui ipso vnguntur, hilares reddat, instar luminis de seipso vibret splendores, nitidumque ac micantem eorum reddat vultum qui ipso vtuntur, sicut est in psalmo 103. *vt exhilaret faciem in oleo.*

Olei & vnguenti effecta.

Quæ omnia cum in ijs relucere debeant, qui per lauacrum regenerationis, Christum induerunt, merito post baptismum, & in vertice, & in pectore, inunguntur.

Hinc est, quod & obsignari dicantur ab Apostolo regenerati, quod ad numinis diuini cultum deputentur, ac sigillo sibi impresso, ad eam rem tantum consignentur, quæ Dei honorem, gloriam & maiestatem toti mundo, magis reddat illustrem: quasi Christo, per baptismum insiti, non suum, sed Dei commodum, non suam, sed Dei gloriam quærere duntaxat, & se Christi hostibus, vt muros opponere, debeant.

Nam licet olei vna sit natura, vnguenti tamen multarum in solam concursum significat: proinde virtus illa DEI, quatenus simplex, nullique alij naturæ commista intelligitur, oleum vocatur:

Quatenus autem vt multiplex consideratur: vt quod facere potest, regnare, quod prouidere

quod iudicare, quod amare proſequi homines, quod ſalutem afferre, atque alia huiuſmodi, vnguẽtum dicitur. Quoniam verò, adeptæ iuſtitiæ diuinæ, certum argumentum eſt ſecura mentis tranquillitas, *& pax omnem ſenſum exuperans*, ait, fidelium mentibus *à ſpiritu ſancto* re ipſa, *ſpiritus pignus dari*, quaſi futuræ gloriæ adipiſcendę arrabonem, quẽ *teſtimonium bonæ cõſcientiæ* antea nominauit. Quia enim gratiâ, ſecundum humanitatem inunctus eſt Chriſtus, eadem ad menſuram vncti, eidem Chriſto, per Baptiſmum & alia nouæ legis Sacramenta coniungimur, plenitudine vnctionis eiuſdem Ioan. Cap. 1. in nos abundanter redundante; adeo vt cum ſponſa in Canticis Cap. 1. dicere iure poſſimus, *oleum effuſum nomen tuum*; quaſi olei huius ſpirituali liquore, ceu indicio quodam delibuti, ſentiamus nos ita Chriſto per gratiam, in hac vita iunctos, vt (modo ex parte noſtra nihil fuerit deſideratum) cum eodẽ in futura, eandẽ cum ipſo, gloriæ æternæ hæreditatem adire poſſimus; Duo enim pignus complectitur, vnum quod rei poſſidendæ (cuius arrha & pars eſt) ſpem faciat, & quod tanti, quantum res ipſa valet, æſtimetur. *Pignus duo includit.* Qui ſpiritum iam ſanctum per gratiam, adeptus eſt, ſpe vitam æternã eſt conſecutus, quamuis plus habeat, qui vitam reipſa æternam habet; cum Deum ipſum longè magis ſibi vnitum, quam qui per gratiam duntaxat habet, poſſideat: eo enim modo, non ab ijs poſſidetur, qui per gratiam tantùm hæredes & æternæ vitæ conſtituuntur, quam habent tantùm per fidem & ſpem. Vbi ſciendum eſt, hunc Pauli locum, *ad confirmationis Sacramentũ ab Ambroſio*, Theodoreto, & multis Patrib. reuocari qui verbo (Confirmat) in ſpititualem adepti per regenerationem, Chriſtianiſmi gratia con-

Aug. contra Parmen.
Confirmationis Sacramentum ex hoc loco probatur.

confirmationem volunt significari. (*Vnxit*) verò vocabulum, tàm ad internam, quàm externam vnctionem, referunt; per id autem quo *nos signatos* dicit Apostolus, & internam per characteré, obsignationem; & externum crucis signaculum, quod in hoc Sacramento, in fronte imprimitur, interpretantur. Donum deniq; charitatis, quod per idem Sacramentũ confirmatis datur, *pignus spiritus* vocari arbitrantur. Siue itaq, ad Baptismi, siue ad confirmationis Sacr. hęc sentétia referatur, manifestũ est, huius authoritate, vtriusq; Sacramenti quędam effecta, tùm à SS. Patrib. tùm ab Oecumenicis Cõcilijs, fuisse roborata. Concilium siquidem Tridentinum sess. 7. can. 9. de Sacram. in genere & Conc. Florent. in decreto Eugen. characteris in anima impressionem, per baptismum & confirmationem huius anthoritate loci probant; cui sententiæ non absimilis est ea, quæ cap. 1. ad Ephes. scripta est: *In quo, & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis*. & ad eosdem 4. c. *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in diem redemptionis*.

Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni vltra Corinthum.

Quia per calumniam, detrahebant Apostolo impostores & Pseudo Apostoli, inconstantiæ & leuitatis eum accusantes, ideo diuinum testimonium inuocat, vt consilij, & sui ad eos prorogati faciat aduentus fidé; nempe, ideo se non venisse Corinthum, vt illis parceret, id est, ne coram apud eos existens, virgæ & correptioni manum cogeretur adhibere.

Multa sæpe occurrunt, quæ præpositi, & Ecclesiarum pastores coràm impunita non possunt relinque-

te, quæ absentes, ad maiorem emendationis spem & resipiscentiæ expectationem, maiorisque mali fugam, prudenter sæpenumero dissimulant. Quoniam verò plurimum intererat, vt bonam de se, in aliorum opinione, retineret existimationem Apostolus, duplex adhibet iuramentum, nempe assertionis, qua se omninò cupere, quantùm in se est; significat, vt Deus manifestet veritatem sibi cognitam, quā iuramento confirmat, & hoc quidem, cum ipsi Deo placuerit, siue in hac, siue in futura vita, execrationem etiam adiungit, qua se & animam ad se pertinentem, diuino offert iudicio, vt in ea DEVS iniuriam sibi irrogatam vlciscatur, si falso per se inuocatur eius testimonium: Quasi signum aliquod, iuramento posterius, edi cupiat (si ita visum Deo fuerit) ad veritatis suæ contestationem: Cuiusmodi iurandi formula, in veteri Testamento (sub alia tamen verborum forma) frequens erat, Vt, V. g. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Ex quibus, fit perspicuum, actionem iuramenti bonam, rectam, & laudabilem esse, vt quæ ad Religionis virtutem, pertineat, si modò congruas conditiones habuerit iudiciū, iustitiā & veritaté comites. Dei enim præceptū, est in Deuteron. *Dominū Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis, laudabuntur omnes qui iurant in eo*, ait Regius vates. Laude enim digni sunt, qui de infallibili Dei veritate, bonam æstimationem habent: Ideo sæpissimè Apostolus iuramento, religionis cultum, Deo, suis in epistolis suis, exhibet: Sicut & Christus ipse, ex sanctorum Patrum sententia, toties dicitur iurasse, quoties illud Amen, Amen, vsurpauit. Vnde Hieronymus, in ea verba, *Viuo ego dicit Dominus, &c. Iuramentum*, inquit, *Dei, in veteri Testamento erat, viuo ego. In nouo autem Amen, Amen.* Qua-

Iuramentum duplex.

Assertionis iuramentum.

Aug. in serm. 28. de verbis Apostoli.

Iuramentum vt sit licitū & laudabile tres conditiones requirit.

Deut. 6.

Psal. 62.

Rom. 1. 1.

Philipp. 1.

Quasi per seipsum, qui veritas ipsa est per essentiam, iuraret, quod neminem habeat, per quem iuret, maiorem. Christus enim vt firma haberentur quæ dicebat & promittebat, omnia, adhibebat, quæ ad dictorum & promissionum suarum fidem adhibere homines solent, & ideo iurabat: homines autem per maiorem se iurare solent, & venerationis causa, & vt ille vltor sit violatę religionis in iureiurando, quemadmodum hoc loco Paulus facit. Christus autem hoc facere non poterat; qui neminem se habere maiorem sciebat, faciebat tamen quod poterat, cum per semetipsum iurabat.

Hieron. super c. 16. Ezec. Chrysost. homil. 11. super Epist. ad Hebr.
Cur iuramenta nonunquam prohibeantur.

Quod verò subinde prohiberi videtur actus iurandi in scriptura, sic existimandum est, vt temeritas, vsus & facilitas restringatur, quibus scribæ & Pharisæi sępe occasionem, ad peierationem dabant. Ii enim, cum per Creaturam iurare, non esse iuramentum putarent, & peccatum in vsu iuramenti, non esse timendum arbitrarentur, nisi quando ex veritatis defectu, esset periurium, fiebat, vt pessima passim consuetudo leuiter ac temerè iurandi, apud Iudæos inoleret.

Non quia dominamur fidei vestræ; sed adiutores sumus gaudij vestri.

Maioris, quam par est, vsurpandæ potestatis in Corinthios, suspicioné diluit, quasi imperiosus (casu, quo suscepta ad eos profectio fuisset) in eos, tanquam Dominus in seruos, animaduertissèt; quando dixit, *Parcens vobis.* Non ita dictum est, ait, quasi vestrę vnius fidei, (quam accepistis à nobis) causâ, potestatem authoritatemq; mihi vsurpans, in vos animaduertendi, vestros defectus puniendi, vobisq; parcendi, vt Dominus sumpsissèm:

psissem: sed, vt vester Coadiutor, ex charitate vos officij duntaxat monuissem: Omnia enim mea consilia, ait, eo tendunt, vt vos iuuem, quò vitam consequi possitis æternam. Quod Dominus præceptum videtur præscripsisse, quando Prælatum Ecclesiasticum docuit, non gentilium principum more potestatem exercere debere, sed potius omnium esse seruum. Vnde est, quod Ecclesiæ præpositos (quos *& fideles & prudentes esse* vult) *seruos* sæpius nominet: Et quod Ezechiel reprehendat eos pastores; *qui, se ipsos pascebant, lac comedebant, lanis operiebantur*, pingues *oues occidebant, & cum austeritate, potentiaq; eis imperabant*: Rursus, *quòd ipsas non pascerent, nec infirmas consolidarent, nec ægrotas sanarent, nec confractas alligarent, &c.* *Matth. 20. Luc. 22.* *Ezech. 34.*

Quamobrem Ecclesiæ præpositos, & pastores monet Apostolorum princeps, vt non *sint, sicut dominantes in cleris, sed potius*, ipse, ait Augustinus, *qui vobis praeest, æstimet se, non dominante cupiditate, sed charitate seruiente, fælicem.* Vnde Hieronymus, in epistola ad Nepotianum: *Illud dico*, ait, *quod Episcopi, Sacerdotes se esse nouerint, non Dominos; honorent Clericos, quasi Clericos, vt & ipsis, à Clericis, honor; quasi Episcopis deferatur,* *Tom. 1. epist. 2*

Scitum est illud Oratoris Domitij, *cur ego te, habeam ut principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem? Præstant authoritate laicis Episcopi, & Ecclesiæ pastores: esto. Sed tamen alia Politici, alia Ecclesiastici magistratus, ratio esse debet, quod illi charitate, secundum quam vnus alterius onera portare deberet, hi minis, potentia & vi, ciues in officio retinent.* *Discrimen ciuilis & Eccl. magistratus.*

Vbi locum habet illud sapientis: *Rectorem te constituerunt, esto sicut vnus ex ipsis.*

Nam fide statis,

Quasi dicat, non mea, vel voluntate, vel imperio, vel authoritate coacti, fidem retinetis; sed per fidem in Dei gratia coram Deo, liberi & ingenui, hunc statum & conditionem estis adepti, vt Dei filij effecti clametis, *Abba pater*. Fidei nomine, hoc loco eam intellige, quæ viua per charitatem operatur. Nam credentes, qui in peccatis sunt, iacent potius, non surrexerunt & sunt erecti. Stare siquidem, rectum corporis habitum denotat; & hominem excitatum erectumq́ue, ad aspectum & contemplationem rerum cælestium demonstrat firmum ad resistendum, paratum ad pugnandum, promptum ad ambulandum, & quasi accinctum ad operandum designat, quemadmodum aliæ Pauli videntur innuere sententiæ; *Si quis se existimat stare, videat ne cadat*. 1. Cor. 10. & ad Rom. 11. *Tu autem fide stas*, & c. 14. Domino suo stat aut cadit: stabit autem. Licet verò verbum *stare*, subinde significet esse, manere, versari, vt illud, *medius vestrum stetit, quem vos nescitis*: ij tamen quorum cor gratia Deus stabilit; iuxta Apost. c. vlt. ad Heb. *verius dicuntur, & stare & permanere, imò*, ita augeri & roborari, vt vel temporis iniuria, non consumantur, vel aduersis rebus labefactati, *frangantur*; Qua ratione, homines hui⁹ mundi neutiquam *stare possunt*, dici, *vt qui nunquam in eodem statu permaneant, cū mundus transeat, & eius concupiscentia, prætereatq; huius figura*, iuxta eundem Apostolum 1. Cor. 7. At, qui cœlestis Domus, desiderio flagrant, licet in terra versentur, spiritus sui tamen, vires in superas illas, beatæ Hierusalem mansiones, *suos pedes*, hoc est, intimos cordis affectus *in atriis Hierusalem stetisse* confitentur Psalmo 121.

CAPVT II.

Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia, venirem ad vos: Si enim ego contristo vos: & quis est qui me lætificet; nisi qui contristatur ex me?

Sciens & prudens, se mutato consilio, fatetur noluisse Corinthũ proficisci, ne sibi dolorem pareret, Corinthiorum verò animis tristitiam afferret, & perturbationem. Nam cum terribilis supplicij, quod de fornicario sumpserat, memoria esset ad huc vtrinq; satis receẽs, prudenter admodum vulnus refricando, nolebat quos amabat vel acrius exacerbare, vel contristari. Parem enim, ex animaduersione illa, cum ipsis Corinthijs molestiam senserat; quapropter, facilè intelligebat, si coram adfuisset, repetitis monitionibus, acrioriq; reprehensione, eorum qui infirmiores erant, animos facilè posse commotos recrudescere. Sicut enim ex immodicis increpationibus, aliquando obdurantur homines, vt nullum honestæ & studiosę actioni locum amplius dare velint. Præteritorum enim malorum crebra refricatio contemptionem, contemptio verecundiam, verecundia tristitiã; tristitia deniq; duram obstinationem frequenter parit: Nam sicut, authore Sapiente, *anima gaudens, ætatem floridam facit, ita spiritus tristis, exsiccat ossa: & sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri, nocet cordi*, ipsum scilicet, ita grauiter deprimendo, vt omnem prohibeat operationem: & eam maximè, quæ ad veritatis intelligentiam, & ratiocinationem spectat. Patris ergo sapientissimi fungens officio, (cuius moderatæ correptionis, filij emendatio, scopus esse debet) iam non acrioribus, vti prioris epi-

1. Corinth. 5.

Singularis Pauli prudentia cõpassio, & dilectio.

Prou. 17. 25.

stolę

ſtolæ c. 5. verbis, non tetricis minis, non importuna & minaci virgæ mentione, ſed amore, ſed beneuolentia, ſed lenitate, ſibi agendum putat, cùm omnem triſtitiæ occaſionem ſublatam velit, quam alibi, *multos occidere,*
Eccleſiaſt. 30. *in eaq; nullam ineſſe vtilitatem legiſſet.* Eodem modo non, aut ſuperciliosa ſeueritate, aut nimia ſeuerioris diſciplinæ grauitate; ſed clementia, blandaq; facilitate, diſcipulos ſibi deuictos reddebat Saluator, cùm primùm in ſuam eos ſocietatem & familiam admitteret: ſciebat enim, editis paternę beneuolentiæ argumentis, ſtabilius confirmari ſæpe bonorum & ſimplicium hominum animos, adeo vt maximis etiam malis imminentibus, à Dominorum ſuorum OEconomia, ſe diuelli non paterentur, qui vitam & ſanguinem pro ea, qua ſunt, fide & conſtantia potius eſſent dominorum cauſa parati prodigere, quam eos, vel negando deſerere, vel de ſe-
Cantic. 8. tos negare. Eam enim quæ hominem bene & grauiter ſemel inflammarit *charitatem, aquæ multæ difficulter poſſunt exſtinguere*: ſicut imis viſceribus radicatus amor, facilè non poteſt extirpari. Ideô viuendi genus rudiorum ſimpliciumq; adhuc diſcipulorum captui conſuetudiniq; aptiſſimum accommodabat Dominus, ne præter morem, cogerentur initio aut V. G. ieiunare, aut ardua inſuetaq; aliqua opera exercere, quibus deterriti, cœptum ſalutaris vitæ inſtitutū erant relicturi. Quem-
Marc. 2. admodum duplici ſimilitudine (*rudis ſcilicet panni, veteri veſtimento aſſuti, & vini recentis, vtri antiquato infuſi*) ſapientiſſimè demonſtrabat, vt oſtenderet minimè decere, diſcipulis faciliori viuendi modo ac rationi aſſuetis, genus vitæ difficilius, ac prorſus priori diſſimile, ſubitò & ſine prudentia præſcribi, & hoc ne inſuetæ difficultati ſuccumbentes, á bene cœpto melioris vitæ in-

ſtituto

inſtituto deficeret. Vnde Eccleſiarum didicerint Antiſtites, maiora, ſæpe manſuetudine lenitateq; quã moroſa & inuiſa vultus auſterioris cõpoſitione, à ſubditis eſſe ſperanda; ex quorum prudenti correptione, non tàm amarulenta contriſtatio, quàm emendatio eſt expectanda, quæ lætitiam & illi qui corrigit, & qui corrigitur pariant, non indignationem & amaritudinis occaſionem, &c.

Euthym. Theophyl. Mald in cap. 9. Matth.

Subditi quomodo corripiendi.

Quod inſinuauit hic Apoſtolus quando dixit: *quis eſt qui lætificet, niſi qui contriſtatur ex me*, id eſt, ſolus is mihi mœrenti gaudium afferre, meq́ue conſolari poteſt, qui mihi puniendi cauſam dedit, quando reſipuerit, & ad ſaniorem fuerit mentem reuerſus. Hanc lætitiæ capiendæ vbertatem, à Chriſti ſpiritu hauſerat Apoſtolus, quod hominem poſt peccatum, in meliorem ſępe ſtatum quam in quo ante peccatum erat, videtur eo ipſo reponere. Quod gaudere magis dicatur & lætari *peccatoris vnius conuerſione, quàm multorum aliorum ſalute*; eo enim ipſo, ad maiorem honorem illũ euehit, quod cũ in peccato eſſet, emerſit, & ad Deum redierit: Nam, qui ad eandẽ, quam ante peccatum habebat, virtutem reuertitur, ob hoc ipſum ſuæ priſtinæ dignus eſt recuperatione gloriæ, quod cúm ante cecidiſſet, ſurrexerit. Quam quidem gloriam, maiorem reputare ſolemus, ſicuti eum militem merere digniorem locum dicimus, qui multis acceptis vulneribus, & plagis vicit, quam qui integro ſemper corpore pugnauit.

Luc. 15.

Quomodo intelligendum, maiorem Angelis eſſe lætitiã ſuper vno peccatore pœnitentiam agente quam ſuper nonaginta.

Atq; hoc eſt, quod apud D. Lucam dicitur, *maius eſſe gaudium ſuper vno peccatore, pœnitentiam agentẽ, quàm ſuper nonaginta nouem, qui pœnitentia non indigent.*

Et hoc ipsum scripsi vobis: vt non, cum venero, tristitiam super tristitiam habeã, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis: quia meum gaudium, omnium vestrûm est.

Sensus est. Literis, absens agere vobiscum, malui, quàm concepto, de admisso istic facinore, mærori coràm, vel disceptando, vel disputando, maiorem adiungere; Licet n. in peccatum labi, humanum sit, obstinato tamẽ esse animo, ad perseuerandum in malitia, perniciosissimum est; quod nec ferri potest, nec debet dissimulari. Id genus obstinatos homines, vbiq; cum sæpe sit reperire; ideo satius esse per epistolam, iudicaui vos, & officij monere & ad dignos saluti feræ pœnitudinis fructis cohortari; & ad meliorem frugem prouocare, quàm coràm (cum de vestra in me voluntate mihi non satis constaret) vel defectus vestros carpere, vel errores reprehendere, vel alienationis animorum dare occasionem. Quam tamen de vobis concepi, opinio, eam mihi spem facit, aliam melioris vitæ, vos iam inisse rationem, vt cum isthuc aduenero mihi non tàm dolorem & tristitiam, quàm lætitiam & summam voluptatem, vestra probitas, virtus, & religio afferant. Cum verò, mei gaudij fructus, vester sit: & mea, in vos ipsos, lętitia redundet; in mentem veniat, quanti futura sit ponderis & momenti veteris vitę, in meliorem & nouam commutatio. Licet verò *viua vocis actus, latentis energiæ plus habeat (quod in aures discipuli transfusa fortius sonet, & efficatius commoueat, quàm vel epistola, vel scriptura, vel historia)* Paulus tamen, quâ erat sapientiâ, & dexte-

Hieronymus in epist. ad Paulinum in proleg. Bibl.

dexteritate ad agendum, ſuboriri quædam poſſe ſibi præſenti præuidebat, ad ſpiritualem vtilitatem minus accommodata, quæ ſibi abſenti non contigiſſent; atq; ideo tempori ſeruiebat, vt daret iræ locum.

Sicut Dominus faciebat, qui Iudęis aliquando, ſe *Ioan. 8.* minimè credebat, vt eorum furori cederet. Nec communes, hic cuiuis occaſioni emergenti humanarum actionum leges, & regulæ omni euentui, loco, aut tempori, poſſunt accommodari aut conuenire. Sicut enim bili, v. g. detrahendæ Reubarbarum maximè idoneum *Regula ſeruanda in ſubditorum reprehenſionibus.* eſſe communis medicorum ſententia iudicat, quod tamen, ſi alicui ſingulariblioſo malè affecto tribuatur, noxium eſt, & aliquandi mortiferum futurum; *Simile.* ita licet artificioſa dicendi facultas, maximæ ſit ad perſuadendum ęfficacitatis, eiuſmodi tamen auditorum genus nanciſci Orator poteſt, vt eum tacere pro tempore præſtet, quàm vel dicere, vel loqui; Quis ſanctiſſimam cum Chriſto conſuetudinem, vtiliſſimam, eſſe vnquam dubitauit? & tamen Apoſtolorum, à Chriſti ſenſibili familiaritate diuulſionem, longè futuram vtiliorem *Ioan. 16.* dicebat ipſa vęritas, quę, quod ſenſuum officijs gratum iucundumq; erat, conuerti in ſpiritum eſſe vtilius nouerat; vt non tàm corporea familiaritate, quàm toto mentis & ſpiritus conatu, ſibi eius diſcipuli adhærerent. Atq; hoc eſt, quod apud D. Ioannem, dicebat Dominus. *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt* *Ioan. 16.* *ego vadam: ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi autẽ abiero mittam eum ad vos, &c.* Ita Paulus, licet coram diſſerendo, conſolando perorandoque nihil non poſſet, ſingula tamen ad trutinam revocabat, quod varios & abditos in hominum animis ſciret latere ſępe receſſus.

Nam ex multa tribulatione, & angustia cordis, scripsi vobis, per multas lachrymas: non vt contristemini, sed vt sciatis, quã charitatem habeam abundantius in vobis.

Prioris epistolę, præsertim erga fornicarium illum, quem cap. quinto notauerat, reprehensionem, ex beneuolentia, fuisse profectam ostendit; seq; non sine lachrymis, & saluandi magis studio, quam contristandi voluntate, reprehendisse commonstrat, vt minus æquam de suo facto conceptam à se remoueat & declinet opinionem.

Quare, tristitiæ suæ magnitudinem, *tribulationis* & *angustiæ* nominibus adiunctis, vehementer exaggeret, quod alienæ calamitatis & perditionis, tanquam propriæ, perculsum dolore suum animum, tanta depressisset anxietas & angustia, vt nullum aliud esse reliquum refugium videret, quàm si paternæ, siue disciplinæ siue animaduersionis, siue misericordiæ antidotum posterius adhiberet. Ne verò vsurpatæ per inanem arrogantiã, potestatis in subditos, redargui posset Apostolus; quasi maiore, quàm par est, imperio, in ipsos, vel castigando, vel puniendo fuisset vsus, suam plusquam parentis, in filios charitatem ardentissimam, his argumentis commendat; quod gaudio scilicet incredibili gestire soleat, si quando fidelium res, ex sententia, tàm spirituales, quàm corporales prouenire cognouerit; sicut vehementissimè contristatur, si præter expectationem, aduersa eisdem accidant; quod suorum calamitates & miserias, suas esse arbitretur, magnamq; capiat,

piat, vel ex ipsa correptione molestiam, prout fortasse testari potuit, ad eos missa epistola, lachrymis inter lita, quas scribendo vberes fortè profuderat. Quamobrem, omnes monitos cupit, vt omni deposita animi ęgritudine, patris potius tenerum in filios amorem, sollicitamq; vigilantis medici erga morbidum, curam, emendationis scilicet desiderium, salutisq; proximi cupiditatem agnoscant, & deprædicent, quàm seuerioris iudicis acriori sententiâ conturbari velint; quia quicquid in ea re gestum est, ait, *charitatis* (*quæ benignissima est, nec sua quærit*) impulsu, gestum est; Qua charitate, etsi in omnes feror, in nullos tamen, quàm in vos ô Corinthij, magis videor exarsisse, quod vos Christo genuerim.

Si quis autem contristauit me: non me contristauit, sed ex parte, vt non onerem omnes vos.

Modestiæ causâ, nec criminis admissi genus refricat, nec præuaricatoris nomen exprimit, vt lenitate, quam (Corinthiorum sententia) adhibuerat seueritatem, sapienter temperet & compenset. Accusatiuum, *me*, Græci non legunt: Sed hunc faciunt sensum. Si quis tristitiæ, occasionem attulit, eam non solum mihi, sed bonis ac cordatis omnibus Christi cultoribus, eam etiam attulit; qui ex huius sceleris, fama, veriti sumus, ne Christi nomen blasphematum notabile sumeret detrimentum. Me verò non solùm, ait, sed vos vnâ mecum, inde maximum dolorem, cepisse commemoro, *ne vos onerem*; quia graue scio, vobis foret, ne dicam onerosum, si vobis eam flagitij turpitudinem placuisse, tacitus innuerem, quasi nullo doloris sensu,

Cap. 7. ex memorabili fratris delicto, fuissetis compuncti. D.
Tristitia dupl. Thomas, duplicem tristitiam distinguens (vnam quæ non modo mentem debilitet, sed totam obruat, quam infra, mortem operari Apostolus, & in sapientem non cadere dicit Philosophus; alteram, ex parte, tantùm hominis affligentem animum, cuiusmodi commotum, ait, fuisse Apostolum) hunc sensum reddit; quasi dicat Apostolus, suam mentem, nimia doloris vehementiá minimè oppressam, sed gaudio simul etiam, alias ob causas, perfusam fuisse; nempe ob bonorum, de hoc flagitio, maximam anxietatem, & ob præuaricatoris pœnitudinem, & tempestiuum, ad melioris vitæ frugem, reditum; quasi dicat; Dolorem, suo scelere, attulit mihi fornicarius: sed non ita me conturbauit, quin simul de vestra virtute, constantia & ęquitate lætarer ac gaudio gestirem; ex malo siquidem pœnæ, licet aliquid gaudij concipere, quando ex eius, qui punitur pœna & emendatione, magnum aliquod virtutis bonum sequitur.

Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis & consolemini; ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.

Simile. Vt prudens medicus, ęgrotantis vires prius explorat, quàm in morbi curationem adhibitis remedijs, incumbat: ita animorum ęgritudinibus, pœnas, (quæ vitiorũ salutaria sunt antidota) debēt adhibere medici spirituales, quæ laborantem sanent, non verò interimant. *Nam, si, quis flagellis cæsum dimittat tantùm, & non lenit*, ait Chrysost. *nihil agit*. Ideò tùm temporis diligentem sibi rationem

Lenitate potius quàm seueritate in subditos esse vtendum.

nem esse habendam ratus Apostolus, sat pœnarum dedisse fornicarium dicit, quod salutarius sit, in errantes lenitatis spiritu, ad correctionem animaduertere, quàm inhumana austeritate, ad eorum desperationẽ vti, *quia obiurgatio*, ait Sapiens, *& iniuriæ, annullabũt substantiam*. Cũ itaq; Corinthius ille, à reliquo fidelium cœtu, per summam infamiam, ad tempus exularit, ait Apostolus, cùm publicè ab ipsis Ecclesiæ primorib. asperrima reprehensione correptus & mira seueritate obiurgatus fuerit; Cum deniq; Sathanæ traditus, mirum in modũ, hinc inde iactatus, vexatus, cruciatusq; sit, sufficit ei hæc poena. Vos itaq; hanc ei noxam condonate, á conuitiis in eum abstinete: Varia eidem charitatis argumenta ostendite, ne plus nimio, post mutatam in melius vitam, contemptus, desperet. Nihil n. tàm validũ est, ad amoris fraterni declaratione, quàm mutuæ in eum charitatis ostensio, quàm compassio, quàm consolatio. Id verò consolationis genus, huic instituto maximè est accommodatum, vt his, qui de *scelerum propitiatu sunt ita pauidi*, quasi cum impio Cain sentire videantur, *maiorem esse suam iniquitatem, quam vt veniam mereantur*: eorum inquam, imoderatæ formidini, diuinæ promissiones in primis obiiciẽdę sunt, quib. ad saniorem mentem redeuntibus, paterna beneuolentia, imò obuius cœlestis parẽtis cõplexus, & prioris stolæ deperditæ restitutio, promittitur. Adhibenda sunt exempla, quibus sera etiã de peccatis pœnitudo nõ ingrata Deo probetur fuisse, quę ex imis cordis visceribus fuerit profecta. Quid n. aliud hęc sibi volunt, *Venite ad me omnes, qui laboratis*, &c. *Viuo ego, nolo mortem peccatoris*, &c. Ex quibus, Dei ad miserandũ procliuitas deduci potest; qui licet iustitię partes nõ negligat, in misericordiã tamẽ multis argumẽtis se magis ꝓpẽdere frequenter

Eccles. 21. *Gen. 4.* *Luc. 15.* *Matth. 11.* *Ezech. 18. 36.*

quenter testatur: vt qui Dauidi peccatum confitenti, Petro lachrymas profundenti, latronis iam morituri precationi, &c. se promptissimũ & benignissimũ exhibuit. Ad hæc, diuinæ charitatis commendatio, pondus maximum afferet, quâ mortalium genus, ita complexus est, vt filium suum vnigenitũ, in crucis mortem turpissimam, daret. Cuius diuinę benignitatis, minimè ignarus Gentiũ Doctor, ita alibi corripiendos inquietos volebat, vt pusillanimis, qui peccassent, cõsolatio nõ deesset. Vnde in ea quę est ad Galatas, spirituales monet, *vt qui eiusmodi sunt*, id est, in culpã sunt lapsi, *spiritu lenitatis instruant, considerantes, ne & ipsi tententur*, &, in ea, quam Ephesijs scripsit, ad eum modum peccantibus, noxam donari vult, quo Deus quotidie nostra debita liberalissimè dimittit. Huc spectat, quod futurum Apostolorũ principem monebat Saluator, *vt aliquando conuersus, fratres suos* vsuris peccatorũ laborantes, scilicet, *confirmaret*; &, *vt ipse fratri suo septuagies septies peccãti, noxã remitteret*. Vnde fratres delinquẽtes, nõ vt hostes, odio prosequẽdos sed vt fratres, corripiendos volebat Apostolus, sicut hoc loco, Corinthiũ, licet peccatorẽ, omni charitatis & amoris officio prosequendum cupit, vt quam diuinorum mandatorum de integro viam ingressus est, maiori alacritate possit vsq; ad extremum decurrere. Viderint proinde nimis morosi, in aliorum defectus Aristarchi, qui nunquam non semel admissos proximorum errores refricant, corripiunt, & in memoriam, ex vindictæ cupiditate, reuocant.

Deus in misericordiam magis, quas iustitiam propendet.

Ioan. 3. Ephes. 1. 4. Gal. 6.

Matth. 6.

Luc. 22. Matth. 18.

Ideo enim & scripsi vobis, vt cognoscam experimentum vestrum an in omnibus obedientes sitis.

Quia

Quia, vt author est Augustinus, *in præcepto, obedientia commendatur, quæ omnium virtutum custos & mater est*: ideo plurimum intererat, vt Corinthiorum obedientiam, haberet Apostolus perspectam: Cum itaq; primum Corinthijs mandasset, ne facinoris authorem abire sinerent impunem, sed durioribus verbis increpatum, ad tempus proscriberent, nunc contrarium planè iubet, vt scilicet, in gratiam & pristinum locum restitutum, gratis studijs eundem prosequantur, Ideo se, ait iussisse, quo animos ipsorum exploret, an in posterum sint eius imperatis, morem expeditè gesturi: promptæ siquidem subditi voluntatis, periculum fieri melius non potest, quam (iustitiæ interim ordine seruato) repugnantia eodem fere tempore, eidem iubendo fieri ab eo, qui præcipiendi pollet authoritate. Cum enim subditus, non suo, sed superioris iudicio nititur, nec rationem curiosius disquirit cur iam hoc (in licitis, honestis, & indifferentibus rebus) iam illi penitus contrarium est faciendum, talem ad omnem honestam vitæ actionem esse confirmatum, & bene gnauiterque obedientem esse oportet, hæc nimirum cæca illa est obedientia, à sanctis patribus tantopere commendata, qua subditus superioris authoritate non suo arbitratu, se regi patitur, quam in eo maxime consistere putat Hierony. vt non de maiorum sententia iudicet *cuius officium est obedire & implere quæ iussa sunt*, dicente Moyse, *Audi Israel & tace*, siue obserua, vt facias. Eandem præcepisse videtur Apostolus, in ea quam Hebræis scripsit, cum dixit, *Obedite præpositis vestris & subiacete illis: ipsi enim peruigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus vestris*, quasi dicat, pertinere ad superiores, vt cogitent, eaque curent diligenter, quæ subditorum vtili-

August. lib. 14 de ciuit. Dei c. 12.

Obedientia laudes.

Hierony: epist. 4. ad Rusticũ cap. 7.

Deuteron. 6. Hebra. 3.

tati, officio, & saluti conueniant, atque adeo eorum quæ præceperunt subditis, rationem extremo iudicij die reddituros. Quam eisdem subditis obedientiam D. Gregorius inculcatam volens, *eam*, ait, *nec præceptorum intentionem discutere, nec præcepta discernere.* quia qui omne vitæ suæ iudicium maioris arbitrio subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. *Nescit enim iudicare, quisquis perfecte didicerit obedire.* In quam sententiam, noster Apostolus, iam hoc, iam illud Corinthijs præcipiebat, vt sibi, de eorum voluntate, quid posset promittere, exploratum haberet Quod in religiosorum exercitijs ad retinendam disciplinam, & obedientiæ meriti incrementum in vsu semper fuisse, diuersa austerioris vitæ testatum faciunt instituta.

Gregor. lib. 2. cap. 4. in lib. 1. Regum.

Cui autem aliquid donastis: & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi: vt non circumueniamur à Sathana: Non enim ignoramus cogitationes eius.

Eam exulanti Corinthio mentem & intellectum attulerat vexatio vt lubens, erroris non modo sui pœnas daret, sed & ea omnia, quæ Paulus cum toto fidelis populi Corinthij cœtu imperasset, effectui tam prompto animo mandabat, vt ciuium suorum in se misericordiam vltro prouocaret. Qua adeo vehementer commoti fuerant, qui antea grauiter erant offensi, vt ipsi Paulo supplicarent, de pœnæ seueritate, vellet aliquid remit-

remittere, quod pœnæ mitigatione & venia, illum esse dignum, iam ipsimet inter se iudicassent.

Quorum precibus, locum daturus Apostolus, quatuor insinuare videtur conditiones, quibus non minus honestam, quam æquitati consentaneam esse hanc condonationem probat: Ac primum, naturæ lege, hanc deberi dicit, quæ errantis publicam confessionem, pœnæ loco solet æstimare. Cum enim tota cum suo Episcopo, fuisset ab eo Ecclesia offensa, iustũ erat vt illi simul suo modo pœnam condonarent, quæ ad fidelium satisfactionem, fuerat eidem imposita, posteaquam dignos vere pœnitudinis fructus ediderat. *D. Tho. in hunc locum.*

Videbat etiam Apostolus facilem, pœnæ huius relaxationem, Ecclesiæ incredibilem fructum allaturam; quod austeritate disciplinæ per mansuetudinem temperata, facilius Christiani ciues ad obedientiam prouocari soleant, quemadmodum hoc loco, insinuat Apostolus, quando dicit *propter vos.* Si etenim fusis hominum precibus, Numinis vindicta sæpe flectitur, ne supplicium de aliquorum sceleribus sumat, quid ni iudices & prælati conciuium deprecationibus ad lenitatem prouocentur, ne rigore iuris summo in sontes vtantur?

Verum ad eam rem, authoritate etiam opus esse subiungit, quando summam huius moderandæ pœnæ authoritatem, ad Christum reuocat, cuius nomine, tanquam qui eius vices gerat, vna cum Ecclesia Corinthia eandem inflixisset: Quamobrem huius condonationem non suæ ipsius, sed Christi personæ dicit niti, à qua princeps peccata remittendi potestas, ad eius vicarios est deriuata. *1. Cor. 5.*

Huius denique remiſſionis pœnæ neceſſitatem, non exiguam eſſe exprimit, eam communis hoſtis eſſe vafriciem, verſutiam & malignitatem ſubiungens, vt quos diuinæ miſericordiæ exaggeratione, ad peccandi impunitatem & licentiam pellicere non poteſt, incuſſo auſterioris correptionis metu ac formidine, in deſperationem extreme præcipitet.

Eccl. 7.

HincSapiẽs ſapiẽter eos qui præſunt, hortatur *ne iuſti nimis eſſe velint*, hoc eſt, ne curioſa quadam minimorum defectuum inquiſitione, notent aut reprehendant ſubditos vt qui ad compatiendum, quam puniendum proniores eſſe debebant.

Chryſoſt. Theophyl. Amb. Theodoretus.

Excoicatus quomodo Eccleſiæ reſti.uendus?

Ex quibus, perſpicuum fit, non eſſe ſatis excommunicato, ſi ad ſaniorem mentem redierit, niſi in Eccleſiæ conſortium receptus, ab ipſa ſpiritualis exilij pœna fuerit abſolutus, vnde huius loci præſidio S.S. Patres, & D D. Indulgentiarum authoritatem toti Eccleſiæ conceſſam, ſemper docuerunt: quaſi ad Pauli imitationem, poſſit Eccleſia, pœnam iudicio diuino debitam, dimiſſa iam culpa, Chriſti freta authoritate, donare ac remittere, quod nihil aliud eſt, quam indulgentiam conferendi, poteſtatem accepiſſe.

Probatur ex hoc loco Indulgentiarum poteſtas Eccleſiæ conceſſa.

Licet vero, hanc pœnam Eccleſiæ iudicio, ad aliorum ædificationem, & diſciplinæ duntaxat cauſa, debitam condonaſſe hic Apoſtolum, mentiantur Lutherani (quorum vna cura eſt, Eccleſiæ authoritatem infirmare) quod iam Corinthius ille, ſatis magnam internæ pœnitentiæ ſignificationem dediſſet, qua re, Eccleſiæ ſatisfeciſſe videbatur: Attamen, cum in Chriſti perſona, ſe pœnam condonaſſe affirmet Apoſtolus, ſatis illam diuino iudicio fuiſſe debitam oſtendit, quẽadmodum Anſelmus hunc locum exponens, *vt ratum* in-

Confutatur falſa Lutheranorum huius loci explicatio.

inquit, *ei, cui donauit, ostenderet, apud Deum, qui ait, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quam explicationem, veritati consentaneam esse, faciunt eorum patrum documenta testatum qui ex hoc ipso loco, cõtra Nouatianos probant infallibilem esse in Ecclesia, remittendi peccata potestatem, post baptismum, (in quo, dicitur homo perfecte *in Christo mori*) â Christo traditam, Ioan. 20. Clarum autem est, quod nullam peccati culpam remiserit hic Apostolus, quam antea vno vnius pœnitentiæ remedio, impetrauerat Corinthius. Quem modum extra sacramentum, peccata, quoad pœnam, tantum remittendi, iam ab Apostolorum temporibus, in vsu semper fuisse, testes sunt Doctores Scholastici, qui de Indulgentijs, ingentibus voluminibus, ad veritatis doctrinam confirmandã, contra sceleratos huius temporis sectarios, conscriptis, Christi & sanctorum meritis, tanquam communis Ecclesiæ thesauro niti, sanctissimorum Ecclesiæ patrum authoritate comprobarunt. *Ioan. 20.*

Cum venissem autem Troadẽ propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo: eo quod non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam.

Ea fide & diligentia, magnificum munus, & officium exequebatur Apostolus, quod à Deo sibi traditum acceperat, vt non in angulis, non priuatis in locis, aut conuenticulis, sed in Emporijs celebrioribus, cla-

ſimis vrbibus, in maxima omnis generis, & ſtatus hominum frequentia Chriſti fidem & Euangelij veritatem conſtantiſſime prædicaret, quemadmodum hoc loco, teſtatum facit, cum ſe Troadem prædicationis cauſa appuliſſe commemorat.

Qua in re, diſcipulus magiſtrum rite imitabatur, *qui palam mundo*, hoc eſt, in ſynagogis & publicis locis adeo libere, ſine timore & occultatione loquebatur, vt nihil in occulto ſibi putaret eſſe pronuntiandum, quod ad ſui aduentus diſpenſationem & hominum ſalutem pertinere, fuiſſet arbitratus.

Sciebat nempe à Chriſto ſe *vas eſſe tale electum*, Apoſtolus & ad eam rem eſſe miſſum, *vt nominis ipſius famam coram Regibus & principibus portans* longe lateque extenderet.

Actor. 9.

Erat autem Troas, Aſiæ minoris regio, quam Ptolomeus minorem Phrygiam appellat, quæ Plinio teſte, Helleſponto adiacet, quam alij Myſiæ attribuunt, quæ ad Occidentem ſubiacet, tota mari expoſita: cuius fines, Homerus ab Æſapo, vſque ad Cayci fluminis oſtia produxit: cuius ciuitates nobiliores, erant Dardanus, Simoentis fluminis oſtia, Antandrus, Smyrna, Glazomene, &c. In ea regione, magnam meſſem id eſt, eorum frequentiam incredibilem à ſe repertam dicit, qui Chriſtianæ diſciplinæ imbibendæ, admodum erant capaces: hoc eſt: quod ſæpe inculcat, quando ſibi oſtium fuiſſe apertum commemorat, addens *in Domino*, vt conuerſionis ad fidem, & meliorem vitam, opus diuinum eſſe innuat, ſine quo, nil ſpirituali vtilitate dignum, quiſquam mortalium, vel cogitatione concipere, vel opere poteſt efficere.

Deſcriptio Troadis

Philip. cap. 2.

Nam

Nam, *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere* pro sua voluntate, *cum*, vt author est Augustinus, *vt velimus, operetur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: Nam, vt velimus*, subiungit, idem Doctor, *sine nobis operatur: Cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur.* Licet enim gratiæ prȩsidia quibus mentes præparantur, conuersionis sint causa, præparationis tamen, & facilitatis, author est Deus. Quod si Pelagius hæreticus cognouisset, aliter de hominis imbecillitate & infirmis viribus iudicasset, nempe, (vt paulo post dicetur) iustitiæ adipiscendæ initiũ, Deo prȩuenienti non homini tantum deberi. Quare Colossenses vehementer precabatur, pro se vt vellent Deum deprecari, *vt aperiat*, inquit, *nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi*, quasi diceret, ad hominum Conuersionem, sibi gratia in primis diuina esse opus, quasi Dei verbum, siue sermo Euangelicus quæ ex eius corde, per os egrediebantur, nihil habitura essent ponderis aut momẽti si Dei præsidio non fuissent vel directa, vel adiuta & roborata, quo sensu referebat ipse Paulus & Barnabas, *quomodo Deus aperuisset ostium fidei gentibus.* Tametsi vero, Troade faciebat Apostolus vberrimum in Euangelij cursu, progressum, ob vrgentem tamen Titi absentis necessitatem: suæ se satisfacere voluntati non potuisse, queritur, Ad eam autem rem, Titi operam sibi itidem futuram fuisse subiungit.

Gratia Dei cooperans

Hominis vires à gratia Dei adiuuari debent, priusquam possit iustificari.

Col. 4.

Act. 14.

Vbi sciendum est, *tum alicuius spiritum quiescere* dum eius voluntati omnia respondent, sicut caro quietem dicitur adepta, cum suis cupiditatibus satiata desiderijs suis affluit: qua ratione, quiescebat ille

Quando spiritus dicatur quiescere.

ille diues, qui apud Lucam: *Anima mea*, dicebat *habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede: bibe: epulare.* Cum id quod maxime cupiebat, Troade, consequi non posset Apostolus, nempe multorum hominum mentibus, Christum insculpere, ingentem capiebat inde molestiam & cum in hoc genere sibi facere satis non posse videret, quiete caruisse se dicit, præsertim quod Dei beneficio, plurimos ibidem notasset, in Christi fidem, audita eius confessione, propendentes, Ea enim spe erat, quod magnam eorum frequentiam in suam sententiam traxisset, si familiariter illis vti, & diutius eos docere sibi fuisset summa potestas facta.

Luc. 12.

Quid vero hoc sit, quod ex Titi absentia, tantam animi perturbationem senserit Apostolus, non omnes consentiunt, Aliqui, Græcæ linguæ defectum quo laborabat Apostolus, causam fuisse arbitrantur, quem defectum Titus, Græcè eloquentissimus, si coram adfuisset, prædicando supplere potuisset: Alij, quod Titus Corinthi diutius opinione sua, moras necteret, veritum fuisse Paulum, existimant, quasi ita laceratam & confusam ibidem Ecclesiam esse suspicaretur, cui resarciendæ præsentia Titi atque opera, iusto temporis spacio indigeret. Sed D. Thomæ, & aliorum sententia, vero similior esse videtur, qui ingentium laborum molem, eo loci, huic perturbationi, & animi morbo, occasionem attulisse arbitrantur.

Variæ huius loci explicationes

Nam cum subinde, fidei hostibus esset acriter resistendum, tum prædicationi non ita instanter ac necessitas vrgebat se posse vacare videbat, qua iuuari, plurimos cordatos istic ciues, & Dynastas posse aduertebat. Cui muneri præesse Titum posse sperabat, se interim cum aduersarijs, pro fide, non sine fructu maximo

mo diſputante, Vnde vtrique labori, cum ſe ſibi relictum, minime parem agnoſceret, alio ſe, Philippos ſcilicet, (vt aliqui exiſtimant) contulit ijs prius, qua decet charitate ſalutatis, quos Troade Chriſto lucri fecerat. Cur autem hac altera Epiſtola, animi ſui vehementem ægritudinem Corinthijs tam accurate, explicet, cauſa eſt, vt mutati conſilij ſui, de ſuſcipienda ad eos profectione, ipſas Corinthiorum diſſenſiones, vel ipſorum obſtinatos potius animos, non poſtremam eſſe cauſam ſignificet, vt qui Titum apud ſe præſentem, diutius opinione ſua, retinuiſſent, vnde maxima multorum ſpiritualis vtilitas fuerat impedita, Quod ſi quis, repentini inde diſceſſus cauſam minime ſufficientem obijciat, *Titi abſentiam*, cum fidei maxime prædicandæ, præclaram eſſet nactus occaſionem. Dicendum, vrgente maioris operis neceſſitate, quæ Titi præſentis conſilium atque induſtriam omnino requirebat, alio cogitare compulſum fuiſſe.

Cur ita ſingulariter ſua minutiſsima conſilia Apoſtolus aperiat Corinthijs

Nam quædam minoris momenti bona, plerumque ſapientibus relinquenda ſunt, vt maiora proſequentes, potiora promoueant. In Macedoniam autem ſpiritus ſancti impulſu conceſſerat, quod Troade, vt author eſt Lucas, Viri Macedonis amictum, & ſpeciem præſeferentem in ſomno vidiſſet effigiem, ſe deprecantem ſibique dicentem, *vt in Macedoniam tranſiens, eos adiuuaret*. Quam viri apparentis imaginem, ad Macedoniæ Angelum, viri ſchemate indutum, non nulli recte referunt, ſicut enim ſingulis hominibus præſunt Angeli ſinguli, authoribus Theodoreto & S. Gregorio, lib. 17. Moral. cap. 8. ita ſingulis gentibus & regnis Archangeli ſunt præfecti, quemadmodum D. Hieronymus teſtatur in Math. c. 18.

Act. 15.

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

Suam in Macedoniam profectionem, non inanem fuisse ex duobus facit euidens, primum Deo gratias agendo, cuius ope & auxilio, de fidei aduersarijs, clarissimam victoriæ palmam reportarit. *Deum enim Apostolos, in Christo triumphare, est* illos *in fide Christi victores efficere*, ait Ambrosius, *cum perfidia calcata, fides trophæum habet, dum scilicet* ex per fidis, fiunt fideles, & ipsi maleuoli fideles persequendo, non proficiunt in peius. Duo enim, ad Euangelici Doctoris officium pertinent, nempe, vt sic alios sanam doctrinam erudiat, quo se etiam, murum, veritatis hostibus, inexpugnabilem opponat: denique, vt contra persecutores *bene patiens sit*, si cum euidenti vtilitate atque aliquo notabili profectu, velit Euangelium annuntiando extendere.

Duo ad concionatoris munus spectant.

Qui iuuante Deo hæc duo gnauiter præstat, cum Propheta dici potest victor, à Deo *deduci* ad *Dei laudes & gratiarum actiones in psalmis & carminibus canendum*, Cum boni & perfecti operis principium, & origo Deus sit, cuius *spiritus, in Euangelij præconibus ita loquitur, vt ei nemo sæpe possit resistere*, quemadmodum de sancto Stephano, testis D. Lucas. neque enim frustra Apostolis, pastoribusque Ecclesiæ, se affuturum promittebat, qui dicebat, *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris, qui loquitur in vobis. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.*

Act. 7.

Math. 10.

Non

Non quod huius ſuæ promiſſionis fiducia, aut negligentes, aut ſomnolentos, aut vecordes vellet fidei & religionis Chriſtianæ præcones eſſe Dominus: ſed nimis timidos, & ſollicitos eſſe prohibebat: non inquam, his verbis omnem præcedentem meditationem vetabat: ſed eam, quæ diuinæ opis, & prouidentiæ diffidentiam habet adiunctam, quæque nimio metu ac ſollicitudine, liberam Euangelij prædicationem impediret. Nam, inquit, non tam veſtro, quam patris ſpiritu, & ſenſu, conſilioque aduerſarijs reſpondebitis. Quod parta hoc loco de hoſtibus victoria, altius ponderans gentium Doctor ſe Deo gratias agere dicit cuius ſpiritu immo ſugeſtione, & ductu Chriſto plurimos non modo lucri feciſſet, ſed & veritatis inimicos, verbi diuini gladio, funditus proſtratos viciſſet.

Et odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.

Alterum, cuius gratia, Deo gratias agit, eſt, quod ſua ipſius, & aliorum Apoſtolorum opera, bene fragrantem ſui nominis cognitionem & ſcientiam toti mũdo innoteſcere Deus ipſe decreuiſſet, atque ſingulari prouidentia, vnius Pauli ſtudio atque opera, tanquam peculiari quodã inſtrumento, vti ſtatuiſſet. *Odorem* idcirco dixit, quia ſunt quædam res, quæ cum ſeipſis non videntur, per odoré tamen agnoſcuntur, (ſicut cum intelligis in aliquo loco per odorem eſſe, quod oculorum ſenſu alias non vides) ita & Deus, qui inuiſibilis eſt, per Chriſtum coram loquentem ſe voluit intelligi, vt prædicatio Chriſti, (quæ vtiq; inuiſibiliter, ſicut ad nares odor, ita ad aures peruenit) *Deũ patrem inſinuaret creatorem, & filium eius vnigenitũ,* ait Ambroſius, quaſi diceret Apoſtolus, Chriſtus vnguentum quoddam ſuauiſſimum eſt, quia)

Quid ſit eſſe bonum odorem vitæ: quid pariter odorem mortis.

oleum effusum nomen tuum: at absconditum est nunc hoc vnguentum quoniam ascendit in cælum: sed odore suo, se prodit & ex eo intelligitur vtcumque, quale sit vnguentum. Nos sumus hic odor Christi, qui verbis & factis eum patefacimus *odor* etenim in scriptura, pro fama accipitur. Tum enim bonus odor sumus, cum ita nos gerimus, vt grati & accepti simus, & homines de nobis bene existiment & loquantur, Tum vero grauis & malus odor sumus cum vt viles & abominabiles homines, alij nos horrent. Quo sensu, cap. 34. lib. Geneseos, dixit (iuxta Hebraicam veritatem) Iacob *Turbastis me, vt me fatere faceretis, coram habitatoribus terræ*. Sic Gen. cap. 5. dicunt præpositi filiorum Israel ad Moysem & Aaron *Fætere fecistis odorem nostrum coram Pharaone*. Dei ergo legatione fungentes, odorem notitiæ Dei & Christi, per signa & prodigia manifestamus ait Paulus. Verã hãc esse, de Deo & Christo prædicationẽ, virtutis & miraculorum testimoniũ probari debuit Quæ ideo in odore significata est virtus quia, cum Deus non videatur, per hanc, quæ inuisibiliter operatur, in Apostolis esse intelligitur, vt doctrinæ veritas manifestetur. Quæ enim supra naturam, de Deo cognouerunt, prædicatione sua toti mundo aperuerunt Apostoli, qui coram Christi gloriam viderant. Sicut is, qui, quando solis splendorem in terra videt, solẽ esse supra Horizonta certus est, & veluti qui opobalsami odore, opobalsamum istic esse vel fuisse sentit: Sic ex gloria verbi in carne, quam viderant, qui Christum coram intuebantur, Deum esse factum hominem, esse Redemptorem, Veracem, Misericordem agnoscebant, Cuius gloriam, non meri hominis, sed etiam Dei esse postea ex odore prædicarunt.

No-

Notitiæ n. huius odorem, quem in hominum genus sparserunt Apostoli ab ipso Christo hauserãt, ex scilicet prædicatione, innumeris & inauditis miraculis, morte, resurrectione, transfiguratione, baptismo, vita & innumeris alijs ac prope infinitis argumentis, quæ omnia, quidam odor, splendorq; diuinitatis erant. Nec n. merus homo talem odorem potuit diffundere, sicut Christus, qui vitis erat vera fructificans miram odoris suauitatem, cuius flores, honoris & totius honestatis vberes fructus erant secuturi.

Boni odoris in hõies sparsi radix & origo Christus Dom.

Patris enim odor, ipsum, cum videri non possit, sicut odor, rem, manifestabat, eius enim odor, vt balsamum non mixtum, & vapor virtutis, Dei, veritatem & doctrinam mundo, quam in sinu patris hauserat, enarrabat, adeò vt fragranti veritatis odorē, totũ orbem repleuerit. Is enim solus erat, qui talem odorem poterat longè lateq; spargere, quia solus *viderat patrē*, à quo & natus fuerat, cuius dictis, mos erat gerendus. Quare cum eius prædicatio, tam esset suauis, tam fragrãs, & bene spirans, dicebat futurus Apostolorũ princeps, *Domine, quo ibimus? verba æternæ vitæ habes, &c.* Ipsi hostium Christi, vel impij ministri eius innocentiæ, & veracis doctrinæ delibuti suauitate, cogebantur fateri, *quod nunquam ita locutus est homo, sicut hic homo*; tam enim mirabilia loquebatur, & tanta virtute ac energia, animos alliciebat audientium, quanta nemo hominum. Magna sanè Apostolicæ dignitatis celsitudo qua de huius vnguenti plenitudine tam copiosum odorem potuerunt haurire, quo postea, totum mundum replerēt. Tum enim, cùm dixisset Dominus, *Ite, docete oẽs gentes, & sicut misit me pater, ita mitto vos. Item accipite spiritum sanctum, &c.* odoris illius fragrantiam cœpére diffundere. Vtinam, & *nos curramus semper in odorem vnguentorum*

Ioann. 2.

Ioan. 6.

Prædicatio & vita Apostolorum, est bonus odor.

Matth. 28.
Ioann. 20.

pud Matth. author est ipse Seruator, ita malorũ flagitiis Matth. 5.
eiusdẽ nomen apud infideles, plurimum inhonestari dicebat Dauidi Nathan Propheta, cum & adulterij, & cædis eum redargueret. Eius generis homines, ait Paul⁹ 2. Reg. 12.
Deum quidem confiteri, *quem factis* interim *negant*. Nõ Tit. 1.
tamen odoris nõie, bene fragrantis, iustitiæ virtutumq́; ad Christi imitationem, exercitatio duntaxat accipiẽda est, sed Apostolica etiã veritatis Euangelicæ prædicatio, sumpta à veteri lege, metaphorâ, est intelligenda; Gen. 8.
In qua sicut hostia dicebatur suauissimus odor Deo, *& quod odoratus esset Deus odorem suauitatis*: ita consuetudinis Apostolicæ sanctimonia, sanæ doctrinæ synceritati respondens, Deo sit holocaustum, q obedientia & veritate magis sæpe delectatur, quam religionis externo cultu, siue sacrificio. Notum enim est illud Samuelis 1. Reg. cap. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Melior enim est obedientia quasi victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.*

Non ait Propheta, Deum nolle sacrificium, cum ipse instituerit, sibiq́; iusserit offerri; sed dicit Deum malle obedientiam, quàm sacrificium, hoc est, sacrificium internum quàm externum; & si alterutrum defuturum esset, malle externum, quod in carnalibus hostijs, quam internum, quod in corde consistit, deesse sacrificium.

Illud tamen mirabile est, ait Augustinus, quod *cum essent Apostoli bonus odor Christi, trahebatur inde bonum, trahebatur inde malum, alijs enim odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem, cum odor ille, non esset vsus mali, sed boni.* Lib. 3. contra Pelagian. c. 23.

Ideo

Chrysost. Ideo quippe bonus erant odor Christi, quia bene vtebantur gratia Christi. *Itaq; bono odore, quidam viuunt, & eodem quidam moriuntur, non quidem ex propria eius natura, sed ex ipsorum malitia,* ait Chrysost. *iuxta indiuum cuiq; affectum, suauis odor, aut viuificatiuus est, aut mortifer: quemadmodum si idem vnguentum Scarabæo & columbæ proponatur, non idem in vtroq; efficiet, sed columba quidem robustior per suauem odorem vnguenti redditur, scarabeus verò interimitur.*

Qui bene viuentem amat & imitatur, bono viuit odore, qui bene viuenti inuidet, bono odore moritur. *Suauissimo pretiosi illius vnguenti, recreabantur Apostoli, odore quod in recumbentis Christi caput effundebat Maria,* quo impius Iudas per summam inuidiam, necem & interitum sibi afferebat: secundum hunc sensum, vult Paulus dicere, suam aliorumq; Apostolorum prædicationis famam Deo esse acceptam, siue fidelibus siue infidelibus prædicent. Quantùm vero ad se attinet, velle doctrina sua, & vitæ exemplo, omnes salutem conseq; licet ea duo, sint aliquibus odor mortis, ad mortem, id est, graue illis accidant & displiceant, quibus mors est, alijs verò quibus arrident, æterna vita, Ad quem modum *in multorum ruinam & resurrectionem Christum fuisse positum, annosus ille Simeon* apud Lucam *dicebat,* quod alioqui Christo non credentes, essent in eum offensuri, quales pleriq; scribarum erant & Pharisæorum, alij verò per Christum, certam peccatorum remissionem essent consecuturi. Non quod eo consilio, Christum venisse in mundum voluerit Euangelista dicere vt aliqui scilicet caderent; sic vt nec ideo Paulus prædicabat, vt aliqui morerentur, cum vterq; *vellet omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: sed quod ita positus

Luca 2.

Greg. Nazian. Orat. 19, Beda Theophyl.

1 Ti. 2.

positus & comparatus videatur;, quasi de industria, ad hoc positus appareret, vt aliqui caderent, aliqui resurgerent. Hic enim loquendi modus, tam certum significat euentum: vt diuino cōsilio tribui posse videatur; quemadmodum ex simili loco Isaiæ, probari potest, qui rei huic maximam lucem affert. *Dominum* inquit *exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israël in laqueum, & in ruinam habitantibus Hierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur:* Cùm enim, non in ruinam, sed in sanctificationem populo suo, se positum esse dicat, multos tamen sua ipsorum culpa, casuros affirmat, secundum quod, apud Prophetam scriptū est, *Perditio tua ex te Israël, solummodo ex me auxilium tuū.* Quo sensu, noster Apostolus, alibi *Iudæis Christum fuisse scandalum, & gentibus stultitiam,* dicit, Qui credentibus erat insignis virtus & maximus honor, *& in lapidem offensionis*; quod ei non credentes, à bono, quod habebāt, exciderint, nolentes scilicet eum nec recipere, nec agnoscere. cuius ope sibi iustitiam comparare poterant; quemadmodum illi, *qui in propria venientem receperunt, quibus & potestas facta est, filios Dei fieri.* Eodem modo, infra cap. 3. dicitur *occidere litera,* quod sicut occasione legis, peccatum magis inualescat, & maior incurratur dānatio; sic bona & salutaris ex se Euangelij prædicatio, odor mortis vocatur in mortem, eorum causa, qui prędicationem Euangelicam respuunt, damnant, reijciūt, qui tum perire dicuntur, quia scientes & prudentes, mortem eligunt, qui per Apostolicam prędicationem, æternùm viuere poterant.

Isa. 8. *a. Cor. 1.* *Ioann. 1.*

Sicut enim diligentibus Deum, omnia, ètiam ma-

la *cooperantur in bonum*. ita malis, à Deo vehementer auersis & abalienatis, omnia etiam bona vertuntur in exitium eorum. Quod enim scriptum est, in l. Sapientię cap. 14. quotidianis experimentis, & exemplis verissimum, & exploratissimæ est veritatis. *Creaturæ Dei*, (ait eo loco scriptura) *in odium factæ sunt, & in tentationem animis hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*. Multa enim Deus facit erga peccatores, quæ proficere eis deberent ad emendationem vitæ, vt sunt inspirationes internæ, externæ admonitiones, correctiones, flagella, beneficia, miracula: quæ illi aspernãtes, & pro nihilo ducentes, euadunt peiores. Largitur præterea Deus illis abundantiam bonorum temporalium, sanitatem valetudinis, opes, &c. quibus tamen deprauatus vitiis eorum animus, Deiq; gratia & auxilio spoliatus, ad maiorem Dei offensam, ad impunius, & flagitiosius viuendum, & ad maiorem animæ suæ pernitiem abutitur. Qua de re legatur August. lib. 5. ad Iulian. c. 3. & lib. quæstionum in Exodum. q. 18.

Et adhuc, quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sicut ex Deo, in Christo loquimur.

Theophylactus hanc vocem (tã) non interponit, sicut nec alij ex Græcis pleriq; q. putant Apostolum de muneris sui amplitudine & dignitate, cum laude dicta, declarare, aut saltẽ moderari velle, ne tam suæ virtuti, merito & industriæ, quàm gratiæ diuinæ, hæc oĩa, tribuisse existimetur: quasi diceret; ad hæc inquit, quæ de nobis p̃dicauimus, nr̃a imbecillitas & nostræ duntaxat vires nõ essent sufficientes, nisi Dei adesset vis, & potẽ-

tia

tia. Alij, Paulũ, se, cæterosq; Apostolos, Pseudapostolis cõparare arbitrantur, quasi doctrinæ hactenus à se traditæ intelligendæ, sint aptiores, magisq́; accommodati Corinthij, quã impostores, quos libenter ipsi audiebãt: Quasi, scḿ Chrysost. diceret Apostolus, ꝑpterea, his, q pereunt, *odor mortis*, prædicatio nr̃a est, his autẽ q salui fiunt, *odor vitæ*, quoniã nõ cauponamur verbum, veluti qdam faciunt, q illud cõmutant, corrũpunt, & scḿ occasiones & personas, turpis lucri grã: scḿ desideria cordis sui, illud interpretant̃, q, Lutheranis admodum esse familiare, corrupta fidei dogmata, Ecclesiæq́; Cathol. calamitates, luculenter hodiè passim testantur, sed veritatẽ prædicamus, vt & q digni sunt, salui fiant; & indigni, ob suã incredulitatẽ ꝑeant: etenim, ex synceritate loqmur, quæ vidimus, & quæ à Christo audiuimus. Impostorũ porrò & Pseudoprophetarũ sermones *velut æs sonans, aut cymbalũ tinniens*, sunt, q̃ nullius in hõium animis, sunt vigoris & efficaciæ; sum̃a ideò cum modestia, muneris sui laudẽ insigni vtilitati coniunctã cõmendat Paulus, q, ei vitio dari non debet, cũ ex inani vanitate, aut superbia, hæc sui cõmendatio nõ sit ꝑfecta, q iure suo, dicebat alibi, *se ministeriũ suum honorificaturũ*, id est, creditũ sibi munus à Deo, honorificè & cũ dignitate pacturum, ac tractaturũ. Priuata siqdem sui ipsius laus, tũ laudabilis est, cũ eã priuata, vel publica vtilitas seqtur, & q̃ cũ verecundia, modestiaq; coniuncta, obiectas calumnias apertè refutat, ac infirmat. Vnde cũ amicorũ sermone, in desperationẽ adduct⁹ Iob videret̃, bonorũ operũ suorũ cũ fructu, sed sine inanis iactãtiæ affectione recordabat̃, quorũ memoria, constantiã & maximũ aĩ robur indut⁹, ita erigebatur, im̃obilis, vt in Dñi timore, iustitiã & innocentiã retinens staret. Sanè verò Christ⁹ ipse, quæ suum aduentum)

1. Cor. 13.

Roman. 11.

Propria sui commendatio aliquãdo laudabilis.

Greg. super Ezechielem.

secuta essent signa, & prodigia apertis verbis pronun-
Matth. 11. tiabat, vt ex eorũ cõmemoratione, fides maius passim sumeret incrementum; sic sua merita, durosq; Euangelij causa, labores susceptos exaggerabat Apostolus, vt ad suæ virtutis & patientiæ imitationem, multos prouocaret. Sed cum gratiæ diuinæ adiumento, hæc oĩa niti semper adiungeret; Dei, non suam, ex his gloriam quæsisse iudicabatur; licet interim sibi bonorum operum suorum commemoratione, authoritatem parare cogitaret, vt maiorem, ad Dei gloriam propagandam, apud homines, fidem sibi conciliaret, quæ causa est, q̃
Matth. 5. *opera nostra bona* velit alibi Dñs, *lucere corã hominibus, vt his visis, glorificent patrem nostrum, qui in cælis est.*

Quam ob causam, in sui commendationem nonnulla paulò ante Apostolus adduxit, vt falsis prophetis & impostoribus, se plura ac præstantiora præstitisse affirmet. q. d. licet plenis buccis, Euangelium iactent Pseudapostoli, instar tamen cauponum (qui vinum vitiatum lucri causa, pro sano & integro, per fraudem, hospitibus propinant) illud ad suam libidinem contorquent, & adulterant, hoc est, Aliquos Christo progignunt, sed ad priuatum compendium, eiusmodi fœtum reuocant, sicut scribæ & Pharisæi faciebant, qui
Matth. 23. *mare & aridam circuibant, vt proselytum aliquem conquirerent,* quem ad priuatam vtilitatem, in suam societatem adiunctum in perditionem nequitia sua, deducebant. quẽadmodũ Lutheranis impiisq; prædicãtibus vsu venire quotidiana docet experiẽtia, quid n. aliud Lutheri doctrina fuit, quã q̃dam Cauponatio, qua principibꝰ & ciuibus persuadebat v. g. Ecclesiasticorũ prouentus, monasteriorũ possessiones, hierothecas, & sacra templorũ vasa absq; sacrilegio ad fiscũ licere reuocare, cum oẽs sint sacerdotes, &c.

Adeo

Adeo, vt qui Lutheri placita sequuntur, omnes sectarij, *Caupones* secundum D. Pauli sententiam, dici debeant, qui in Catholicorum bona doctrinæ Lutheranæ cauponatione, per fas nefasque inhiant, licet (vt illi arbitrantur) sine sacrilegij nomine.

Sicut enim adultera dicitur mulier, quæ ab alio quam suo viro semen, non tam ad prolis generationem quam voluptatem suscipit; ita qui *Dei verbum* (quod *semen* vocatur) ad Dei gloriam & proximi spirituale cõmodum non aut tractat, aut exponit, sed ex eius præconio, lucrum aut potius vanam populi a uram duntaxat aucupatur, adulter est, mœchus est: cuiusmodi virorum Lutheri & Caluini progeniem, prædicantes scilicet impios, multis argumentis probarunt esse Catholici scriptores, qui à Deo missi ad homines nuncij, veritatem Deo dignam, ea synceritate semper docuerunt, vt quicquid locuti sunt, quasi Dei sermones, iuxta Principis Apostolorum præceptum, locuti fuerint. Qui cum Dei oculis omnia pateant officio suo ita ritè semper functi sunt, vt non tam inutilia, vana, & absurda obtruserint sua quærentes, quàm Christi rem, qua par est fide, diligentia & æquitate, promouerent: Neque enim vt ab hominibus videantur, suo munere funguntur veri Euangelistæ, sed vt Dei gloriam, longe lateque extendant, verbo & exemplo gnauiter laborant, & desudant. Quod huius temporis euenire sectarijs, quis non videt? cum ipsi sua, non quæ Iesu Christi duntaxat quærant, cum suo ventri seruiunt. *1. Petri 4.*

CAPVT III.

Incipimus iterum nosmetipsos commendare? Aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs epistolis ad vos aut ex vobis?

Si, cui hominum statui, tum Euangelij præconibus maxima in omni vitæ actione, prudentia opus est, quemadmodum omnibus suis in scriptis & dictis hoc maxime loco, declarat Apostolus, qui ex his, quæ antea dixerat præuidens, quale Corinthij de se iudicium essent facturi, suam in Deum pietatem, constantiam, & doctrinæ puritatem, per anticipationem quandam, declarans confirmat. Muneris enim sui dignitatem, duobus maximi ponderis rebus illustrem reddiderat, primum, quod eius administratio, quibusdam salutem attulisset, quæ alijs, perditionis fuisset occasio, tum denique quod aptior, magisque esset idoneus Euangelij minister, quam quisquam ex Pseudapostolis, quibus plurimum Corinthij tribuebant, Quia vero se visus fuerat his aliquo modo laudare, atque ideo commendandi sui gratiâ seque in illorum beneuolentiam insinuandi, ea dixisse suspicari poterant, tollit hanc suspicionem. Nunquam inquit, in animum induxi, vt, quod omnes rident, propriæ virtutis prædicatione, & conatuum meorum iactantia, vanam à vobis laudem aucuparer, hoc enim sectariorum, inutilium & stultorum omnium est, quos gloria vexat inanis, Si quæ, ad officij mei commendationem in medium attuli, id sciens & prudens, quadam necessitate non arte ad fallendū coactus, deprompsi. Neq; enim est, quod me Christi tam degenerem ministrum esse quisquam existi-

existimet, aut Euangelij præconem, adeo obſcurum & abiectum arbitretur, vt ad vos, ab alijs, vel à vobis, ad alios commendatione indigeam, abſit, hoc enim ad eos ſpectat, qui non tam virtute & induſtria, imo gratia diuina, quam aliorum fauore, falſaque opinione nituntur. Nihil ſane, Reip. tam ciuili quam Eccleſiaſticæ pernicioſius accidere poteſt, quam ad eius moderationem, homines eiuſmodi per fauorem, & falſam commendationem promouere, qui non tam eſſe induſtrij, vtiles & eidem regendæ idonei quam dici malunt.

Dixi, fateor, multa Dei beneficio, in me reperiri ait Apoſtolus quæ admiratione & gratiarum actione ſunt digna, dixi nullam maiorem habere mundum, officij amplitudinem ea, qua ego ad Chriſti nomen extendendum, Deo fautore, fungor, ſed quæ dixi, ita clara, aperta, euidentiaque ſunt, vt vos ipſi iudices ſitis, me fide digna, veritatique conſentanea ſemper docuiſſe, adeo meis vt dictis, non tam inanem arrogantiam, me eſſe ſectatum, quam veſtram ſalutem procuraſſe, vos ipſi teſtes oculatiſſimi ſitis.

Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris.

Senſus eſt: Hæc inquit cauſa eſt, quod nullis commendatitijs indigeam, quia vos ipſi literarum vice fungimini, cum doctrinam meam, vitam meam, virtutes meas longe lateque profertis, commendatis, prædicatis. Quid enim animi veſtri Chriſtianam gnauiter fidem eruditi, aliud ſunt, quam expreſſus doctrinæ meæ Character, accurata cœleſtis diſciplinæ pictura & quidam renidens actionum mearum ſplendor?

Quid

Quid affectus vestri ad omne bonum, honestatem, pietatemque procliuitas repræsentat, nisi meam innocentiam, integritatem, patientiam, & singularem in Christum amorem? Vos estis instar speculi, vel libri potius, quæ verbo & exemplo gesserim continentis, alijsq; spectanda proponentis. Ridiculus videar, si me meaque expressius à quoquam depingi velim, aut delineari. Vos inquam, ad amussim, ista præstatis, adeo vt ineptus sim, si mea per ambitionem, iactare amplius cogitem, quam vna vestræ vitæ imago, ad mei imitationem, efficta referat: Neque enim verbis opus est, vbi res ipsa loquitur, neque scriptis, ad posteritatis memoriam, transmittenda sunt, quæ omnium oculis & conspectibus sunt adeò firmiter impressa & insculpta vt seri nepotes, à suis maioribus accepta, suos in posteros videantur per manus, etiam mei similitudinem eorum animis & corporibus tradituri, ne dicam insituri.

Cum itaque, vos, mei Epistola commendatitia sitis erga alios, nequaquam vlla alia commendatione indigeo, vel aliorum ad vos, vel vestra, ad alios. Hæc causa est, quod antea, vos, gloriam meam ait Apostolus vocauerim, quos coronæ meæ in Domino, etiamnum titulo dignatos volo, quod in fronte vestra, mea frons, in animo vestro, meus animus; immo Christi spiritus; in actionibus vestris, mea studia, ad amussim reluceant.

Tertullianus lib. de præscript. Hæret. cap. 20. contesserationis meminit hospitalitatis inter Christianos, quæ contesseratio, signum erat, quod qui ferret, pro legitimo Ecclesiæ filio duceba-

cebatur, & hospicio à fidelibus honorificè prolixeq; excipiebatur. Quod postea signum, ne adulteraretur, placuit literis committere, quas Niceni Patres nominauerunt formatas, de quibus extat Decretum Sixti.I. & est mentio apud Augustinum qui vocat communicatorias: sed quæ propriè dicebantur Commendaticiæ, quemadmodum Conc. Calced. admonet, Can. 11. Dabantur autem ijs tantùm qui essent in Ecclesiæ opere clariores, vel ab Episcopis, clericis suis peregrinantibus, nonnunquam etiam personis, quæ fuissent suspectæ, quas certè hoc loco, videtur Paulus innuere, quemadmodum author est Ioannes Lorinus, vir doctissimus, in cap. 9. Act. Apostolorum. Sicut enim duo continet epistola, quæ in alicuius gratiam & commendationem alicui scribitur, argumenti scilicet genus, cuius conscius is esse debet pro quo scribitur, & vt lecta, intelligatur ab eo, ad quem fuerit destinata; ita vtramq; conditionem Epistolę commendatitiæ diligenter pręstabant Corinthij, Nam primum, intimis Pauli præcordijs, sic erant agglutinati, vt ab iis nulla vi, nulloq; modo possent auelli, cùm eorum, non aliam, quàm pater filiorũ, curam gereret; Eos è contra, in se videbat adeò procliues & sibi addictos, vt ex ijs summæ perfectionis culmen, ad multos, ad sui imitationem redisse videret, quia non solum sibi ipsis, sed & aliis fuerant, vitæ sanctioris occasio, & efficacissimum ad virtutem, incitamentũ. In hoc maximè triumphabat Apostolus, & inde maximam gloriæ accessionem sibi factam existimabat, si per aliquos eorum, quos Christo genuisset, ad perfectionem incitari plurimos alios cognouisset.

Lib. cōtra Parmen. epist. 16.

Quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui,

His ijsdem verbis, Augustinus lib. 15. contra Faustum Manichæum, c. 4. sic Ecclesiam alloquitur: *Tu, ô Ecclesia es epistola Apostolorum, scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, &c.* Theophylactus, huius authoritate loci noui Testamenti præcellentiam probat. *Lex*, inquit, *atramento scribebatur; Euangelium in nobis, per spiritum, scriptum est. Quanto igitur interuallo, spiritus ab atramento distat, & cor à lapide, tanto & nouum Testamentum, à lege discrepat.*

Commendationis itaq; suæ fructum, repræsentare Corinthios, amplificat ex eo, Paulus, quod dum fidem, Sanctimoniam & cęteras ipsorum virtutes vbiq; deprędicat, inde legatur & intelligatur ab omnibus, quod vice sint Epistolæ sui commendatitiæ: fit enim inde perspicuum, quod eorum mentibus, sit Christus inscriptus, cuius leges & mandata, in corde, expressè scripta habeant; cum ad eorum normam & amussim, suos mores & vitam exquisitè componunt. Qua ratione Epistola dicitur à se ministrata, vt cuius prædicationis ministerio ad Christi gratiam dispositi illiq; aptati, viuentis Dei spiritum ipso eodem DEO coôperante, fuissent adepti. Quo fit, vt huius spiritus, legem, vim, & gratiam, non more veteris legis, id est, non in lapideis, sed in ipsis carneis mentis suę tabulis siue visceribus eos
Matth. 11. insculptam accepisse subiungat. Quod ideo translatis & efficacioribus verbis declarat, vt legis Christianæ suauitatem, eiusdemq; seruitutis facilitatem, præ Moysis one-

neroso & difficili iugo, commendet; Nã, lex per Moy- Actor. 15.
sen, cũ seueritate data fuit ꝑ legis latores tantùm, at Christus Euangelium sic in mundũ attulit, & publicauit hominũ generi, vt non solùm doctrinam vitęq; instituendę rationem subministraret, quemadmodum Moyses; sed vt Redemptor simul, gratiã adiunxit, ita, vt non modò inter virtutes & vicia discernere, sed etiam iustitiam accepta lege, diligere, & odio habere iniquitatem, possent Christi cultores, In quem sensum, Orthodoxi Patres, sic semper docuêre, iustificandi vim habere Euangelium, quod cum doctrina Euangelij literis expressa, sit etiam data fidei & charitatis gratia ab eo, qui legislator simul & Redemptor erat; qui scilicet, simul cum lege, benedictionem fuerat largitus, id est, adminiculum suppeditarat, quo legi mos geri facilè posset, iuxta illud Psal. 83.
Psalmi: *Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in* Ioan. 1.
virtutem. Quod ipsum, & ipse D. Ioannes insinuauit, quando *legem, per Moysen esse datam, gratiam & veritatem, per Christum, esse factam prædicauit.* Vnde noster Apostolus, cum passim dicit, *legem non afferre iustitiã*; legi Moysis, Euangelij doctrinam non opponit, sed legi potius fidem; operibus gratiam; & literæ spiritum: quem admodum inferius explanabitur. Hunc Mosaicæ legis finem fuisse Paulus asserit, vt morbum duntaxat digito notans, de medio quærendo solicitos ægros spi- Rom. 3.
rituales redderet, Christi verò siue Euangelicę legis sco- Galat. 2. 3.
pum esse ait, vt ab iniquitate sui cultores sanatos, iustitiam induat; quod *Euangeliũ, Dei virtus sit, in salutem omni credenti*; *Quare prædicaui* (ait alibi Paulus) *quod & accepi-* 1. Corinth. 15.
stis, per quod & saluamini? quia *virtutem operum Dei*, secun- Psal 110.
dum Dauidem, *populo suo annuntiat*: & est *illud insti-* Iac. 1.

tum verbum, quod potest saluare animas hominum, iuxta Iacobum: Ducit enim homines ad remissionem peccatorũ, quemadmodum Dominus apud Ioannem dixit: *Iam mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis*: Deinde confert Euangelium gratiam sanctificationis, sicut Ioan. 17. Dominus dixit: *sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Ac demum perducit ad vitam æternam, sicut Domino dicebat Petrus: *Verba æternæ vitæ habes*: Est enim efficax Euangelium in credentium animis, per fidem receptum, ex Dei potentia, ad præstandam salutem, hoc est, iustitiam & vitam æternam: Hoc Euangelium, cuius videntur meminisse Ezechiel, cap. 36. & Hierem. c. 31. quemadmodum exponit Paulus, in ea, quę est ad Hebr. cap. 8. & 10. & cap. 5. ad Rom. cum dicit *charitatem Dei esse diffusam in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis*, Vbi legem in corde scriptam, de qua loquitur Hierem. & spiritum in medio nostri positum, de quo vaticinatur Ezechiel nihil aliud intelligit, nisi charitatem qua, eo modo cor hominis imbuitur quo ferrum ignem recipit; Tunc enim DEVS facit, vt in præceptis suis ambulemus, cùm charitate corda nostra inflammat, *Qui enim diligit legem adimpleuit.* Atque ea est illa Epistola Christi, non atramento, non nudis literis, id est, non erroribus aut inanibus ceremonijs & figuris, sed spiritu Dei viui exarata, quem, ait, spiritum ipso Deo largiente, prædicationis etiam nostræ ministerio adiuncto estis consecuti; conscripta enim ita est vt facili negotio morem diuinæ voluntati geratis, quemadmodum incredibilis virtutum vestrarum fama, vbiq; testatum facit; quę se hactenus ita late diffudit, vt vestro exemplo, Christum quisq; obuiis vlnis, amplectatur, ipsumlaudet

Ioan. 6.

Aug. toto lib. de spiritu & litera cap. 17.

det, & aliud non eſſe ſub cœlo nomen hominibus datum affirmet, in quo ſalutis ſuæ ſpem & exitij ſolatium ponere debeat. Ea res ait miniſterij mei dignitatem, ita auget & paſſim commendat, vt doloris magnitudinem, quam in veſtri parturitione paſſus eram, abundantia conſolationis ſpiritualis, ſat ſuperq; compenſet. Quemadmodum enim parturiens aliquando clamabam & cruciabar, vt parerem, *donec in vobis formaretur Chriſtus*; ita ex Chriſti gratię in vobis redundantis abundantia, tantum capio gaudij vbertatem, vt *voluptatum torrente videar inebriari*, cum vice Epiſtolæ commendaticiæ virtutes veſtras, in noſtri commendationé profero in lucem, Chriſtumq́; intimis animi veſtri medullis, ſic inſculptum video, *vt eius ſtigmata iugiter in corpore veſtro videamini geſtare.* Ex his, liquidum fit illud maioris, tùm dignitatis, tùm pretij & vtilitatis eſſe munus, quod obierunt Apoſtoli, vel Moyſeos, vel veterum Sacerdotum officio, quod veteres illi Prophetici viri, circa literam, cęremonias, terena bona, terrores & minas, figuras, &c. occuparentur; noui verò Teſtamenti miniſtri, circa ſpiritum, amorem, veritatem, Sacramenta efficaciſſima, & ſempiterna bona verſentur; Deniq; fit euidens, Pauli doctrinæ conſentaneam eſſe Concilij Trident. ſententiam, impij iuſtificationem, nó in ſola peccatorum remiſſione, ſed in ſanctificatione & interioris hominis renouatione, per voluntariam gratiæ & donorum ſuſceptionem conſtituentis. Quid enim illud eſt, quod ſpiritum Dei inſculptum dicit Apoſtolus hominum mentibus, niſi tabulis cordis carnalibus ſpiritus ſancti gratiam impreſſam, cuius virtute & directione, diuinis mandatis ritè obſeruandis apta idoneaq; redditur hominis voluntas ita vt à mortiferis ſceleribus abſtinendo,

Act. 4. *Gal. 4.* *Ioh. 3.* *Apoc. 11.* *Eſai. 1. 2.* *Duæ partes iuſtificationis ſiue duo effecta.*

enim, de vita ante acta, sibi optimè esset conscius, promisso gratiæ diuinæ auxilio erectus, plurimos heroîcarum virtutũ fructus editos cupiebat, qualibus Dei gloria propagata, Corinthiorum salus sumeret optatum incrementum. Alia enim iustorum, alia peccatorum fiducia & persuasio esse debet; quod *Deus peccatores non exaudiat*, prout dicebat Psalmo. gr. *Si aspexi iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus*; *Timentium verò se voluntatem semper faciat, eorumq́; deprecationibus exauditis*, eosdem faciat saluos. Hanc verò iustorum spem, siue fiduciam, vehementer auget singularis, in Christi meritis & passione posita confidentia, quæ causa est, quod per Christum, se habere ad Deum hanc fiduciam audacter gloriatur Apostolus: Nam sui filij (*in quo nos gratificauit, & in quo habemus remissionem peccatorum*) *per sanguinem eius, secundum diuitias gratiæ eius quæ, superabundauit in nobis, in omni sapientia, & prudentia*) non intercedente patrocinio, nemini quicquam largitur cœlestis pater. Propterea toties monebat sui cultores Christus Dominus, vt, si quid à patre impetratum vellent, id in suo nomine, fusis precibus peterent; quasi nihil, non eo interposito, imploraturi. Hinc Ecclesiæ Catholicæ vsus obtinuit, vt nullæ ab ea, preces ad Deum publicè priuatimq; fundantur, nisi *per Iesum Christum*, tanquam Dei & hominum mediatorem, patronumq́; fuerint directæ; quod, Deo gratissima sit eorum fiducia, quæ filij sui meritis nititur, cum enim filium suum *dilectum in quo sibi iugiter complacet*, intuetur, statim placatur, iras contra genus nostrum deponis, ac per pœnitentiam, ad meliorẽ vitę frugem, conuersos, in gratiam recipit, eã ob causam, se viam ad cœlum; ostium in Ecclesiã, iter ad patrẽ, ad veritatẽ viuentis Dei cognitionẽ, vitam ad æter-

Ioan. 9.
Psal. 144.
Luc 11.
Ioan. 16.
Ephes. 1.
Omnia per Christum debitè petita, facilè obtinentur.

æternitatem, *Verbum caro factum*, se toties nominat, vt si quid obtinendum est quod ad bene beateq; viuendum pertinet, in eius nomine petatur, cui nihil, (cum pro nobis semper interpellet vultui Dei) negari potest.
Psal. 124. Qui hoc modo, de Dei bonitate, sibi cum Paulo, maxi-
Hierem. 17. ma pollicentur, dicuntur à Domino *benedicti, & quod in*
Ezech. 2. *æternum non sint commouendi*, sicut è contra ridentur, qui non *posuerunt Deum adiutorem suum, & male dicuntur, qui vel in homine, vel in multitudine diuitiarum suarum spem suam* posuêre, *furesq́. & latrones appellantur, qui aliunde, quàm per Christum, se in ouile ouium penetraturos* existimãt: Pauli mens itaq; hęc est, quod Dei fretus auxilio, multa, cogitatione & consilio suo consequi possit, quæ ad iustificationis gratiam, & æternæ vitæ meritum ac publicam proximi vtilitatem, spiritualemq; profectum & perfectionem pertinent: licet enim initium conuersionis, & præuia ad gratiam obtinendam dispositio, Dei singulari ope & patrocinio nitatur, humanæ tamen voluntatis concursus, gratiæ simul diuinæ cooperans, plurimum potest, si Christi meritis fulciatur, cùm certa & infallibilis sit D. Augustini regula, quod *qui creauit te, sine te, non iustificabit te sine te.*

Adeo, vt mirũ sit, ea esse mentis cæcitate, nostri temporis Sectarios, qui humanas actiones, virtutũ exercitia & bona opera, nullius esse ad salutem ponderis, ideo obganniunt, quod ea Dei coôperantis auxilio fulciri sit necessarium. Frustra aliâs, se, aliorum commendatione non ideo indigere hic Apostolus diceret, quod iuuante DEO, ea se præstitisse, & adhuc posse præstare speret, quæ commendationi sui; suisq; laudibus, magnum afferre pondus, & præsidium posse existimet. Qui etenim propria virtute, gratiæ diuinæ coniunctâ niti-

nititur, aliquid se laude, præmioq; dignum, conaturũ Tob. 4.
præsumit, in quem sensum, dicebat Tobias, *magnam esse fiduciam, coram Deo eleemosynam, facientibus eam.* Et Regius vates, *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meã.* Et Sapiens, *In timore Domini fiduciam fortitudini ponendam,* & noster Apostolus, qui in sua bona conscientia, spem maximam sæpissimè collocat, sicut D. Ioannes, *si cor nostrum non reprehenderit vos,* ait *fiduciam habemus ad Deũ,* Quid ni etenim spem, aliqua ratione, nostram, in ijs rebus ponere nobis liceat, quibus iure nostro, monemur salutem nostram procurare? eas autem res esse, scriptura Prophetica frequentissimè commemorat, bona opera, quæ diuino ac cœlesti præsidio fuerint fulcita, quicquid contra Lutherani obganniant, & mentiantur, cuiusmodi sunt oratio, ieiunium, eleemosyna, fides, timor, spes, &c.

Psal. 17. Prouer. 14. Rom. 5. Matth. 25. Psal. 118.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.

Eius *cogitationis*, hic meminisse Apostolum vult B. Augustinus, quæ ad pietatem & vitam æternam duntaxat pertinet. Cui synodus Arausicana subscribens, ait. *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod ad salutem pertinens vitæ æternæ cogitare, aut eligere posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu; non intelligens illud, non quod idonei simus cogitare, &c.* Fide siquidem certissimum est, hominis naturæ nõ inesse facultatem, suam iustificationem inchoandi: cũ ea mentis cogitatio & conuersio in Deum, quæ certo iustificationem conciliet, superioris ordinis, actionib⁹ debeat constare: nempe, fide, spe, Domini timore, charitate, pœnitentia, aut similibus, vnde conuersionem

Aug. l. 1. de prædest. sanct. c. 2. Synod. Arausi. can. 7.

M ad

Psal. 79. ad gratiam, Psalmista Deo tribuit, cum dicit, *Conuerte*
Hieremi. 31. *nos Deus salutaris noster*, Idem Hierem. *Conuerte nos Do-*
Thren. 5. *mine & conuertemur.* ad Phil. *Deum* dicit Apostolus esse,
Phil.
Roman. 9. *qui operatur in nobis velle & perficere:* Quam ob causam,
hominem, qui iustificatur à Deo, cum *luto in manu fi-*
guli comparat, quod etiam à figulo, præparatur ad eam
formam, quæ ipsi est inducenda; Item in ea, quæ est ad
Galat. *noua creatura*, homo iustificatus appellatur, quo-
Gal. vlt. niam iustificationis initium est Deus; quemadmodum
Ioan. 15. & apud D. Ioannem, videtur Veritas ipsa confirmasse,
cum dixit, *sine me, nihil potestis facere*, quod de actionibus
quæ ad iustitiam valent, debet etiam intelligi: Nam, ibi
sermo est de fructu, quem faciunt Christo insiti, vt
Sess. 6. viti, palmites.
Can. 2.

Quorum prima inchoatio & vigor, est ab ipsa vite. Vnde inter cæteros, præclarè D. Cyprian. *Dei est*, inquit, *omne quod possumus, inde viuimus, inde pollemus*: Et libro ad Quirinum. *In nullo*, ait, *gloriandum, quia nostrum nihil est; nemo enim potest quicquam accipere, nisi datum ei fuerit de cælo, &c.* Quo testimonio vtitur Augustinus, lib. de præd. Sanct. c. 3. ad probandum præueniri nos à gratia diuina, in acquirenda iustitia.

Lib. 2. epist. 2. l. 3 ad Quirinum.

Sanctissimè igitur Concil. Trident. Patres, non ita pridem, cum anathemate ferierunt, *qui dixisset, hominem sine præueniente spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio credere, sperare, aut diligere, sicut oportet, posse, vt ei iustificationis gratia conferatur:* Neque enim, quod naturæ viribus, longis interuallis præstat donum, menti, superioris ordinis auxilijs non dispositæ & adiutæ contingere potest.

Iac. 1. Cum ergo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum sit à patre luminum descendens*, perspicuum fit iustificationis originem à Deo debere proficisci, quod & ipsa

rei

rei natura videtur iã pridẽ docuisse, nẽpe rem nullam sese aut dirigere, aut mouere posse, ad finẽ naturæ suæ limites excedentẽ, nisi superioris agentis vi, fuerit adiuta. Cũ porrò, humana mens, hac conuersione sua, supra naturæ suæ vigorẽ, ac potestatẽ non possit sese efferre, necesse est, Dei vnius dono, id ipsã consequ. Relinquitur ergo, vt Deus, *benedictionibus dulcedinis suæ præueniendo*, aĩam ipsam disponat, ac pręparet, non ipsa se, aut disponere, aut p̃parare possit, nisi ab ipso Deo, p aliud gratiæ donũ moueatur; licet verò, sæpe scriptura, hõies moneat, *vt cõuertantur*, & alibi dicat Sapiẽs, *hõis esse, præparare animã, &c.* respondet August. *hõis libertatem his & similibus sententijs cõmendari, sed gratiã præuenientẽ minimè excludi, quemadmodum in illis; Conuerte nos Deus salutaris noster, & præparatur voluntas à Domino, commendatur gratia præueniens.* Zach. 1. Prouer. 16. Aug. in l. 2. ad Bonifac. c. 8.

Sic enim primi parentis præuaricatione, humana natura p auersionẽ à Deo, & conuersionẽ ad creaturas, excæcata pturbataq; est, vt ad finis sui vltimi tũ cognitionẽ, tũ psecutionem, prout necessitas exigebat, se sibi soli relicta, nec dirigere, nec deducere possit. Vbi etenim quædã ad finẽ illum psequendum agenda, vel omittenda occurrunt, se procliuitate quadam ad malũ, fini illi vel medijs fini illi consequendo idoneis, contraria sentit impediri; adeo vt naturaliter in malum propendere, sum̃aq; difficultate ac violentia appetere Bonum videatur, quem ob maximum deiecti ex suo statu animi stuporẽ, vsq; adeo necessaria vis cœlestis q̃dã est hõi, vt ei continuo dimicandũ, meditandũ, vigilandumq; sit, contra ppensionem illã ad malũ, & propriũ sui amorem. Quod cum moraliter esse impossibile, tùm ratio, tùm vsus & experientia quotidie dictitent,

Iustificationis hominis primus motus à Deo est, cui homo debet cooperari.

Humanæ natura imbecillitas ad iustificationẽ

Dei vnius gratiæ adiumento nitendum est, quo mens Deo subiecta, corporis sensibus imperare, & sic officio suo, prout prima ipsius conditio requirebat, fungi possit. *Quod si etenim hominem ipsum præditum*, dicit *August. nisi is gratia diuina inseparabiliter agatur*, *ob naturæ infirmitatem, sine dubio casurum*, quanto magis de homine infideli, impio, & qui solis viribus nitatur vitiatæ per peccatum naturæ, idem sentiendum est? Ideo idẽ author, lib. de peccatorum meritis & remissione cap. 5. *Iustitiæ præcepta, omni ex parte implere*, ait, *nos non posse, nisi adiuuemur à Deo*; quod ipsum cap. 8. eius, quæ est ad Roman. docuit Apostolus, cum *spiritum vitæ, quem habemus à Deo per Christum, liberasse nos à lege mortis affirmauit*, qui per gratiam spiritus sancti, legem implemus, quam per naturæ vires, & literã legis implere nunquã potuissemus, quemadmodum paulo post declarabimus. Ex quibus, Pelagij secta facilè conuincitur esse erronea; qui tantum hominis arbitrio tribuebat, vt eius vnius opera, non solum hominem ritè Dei imperata facere doceret, sed & obuenientibus contrarijs tentationibus, viriliter posse, sine vlla alia Dei gratia, resistere existimaret; quasi homo secundum naturam sibi relictus, *à malo declinare: & bonum facere posset*. Licet verò, suã sufficientiã à Deo, in salutis suæ operatione, fateatur Apostolus pendere: non tamen, ea est opinione, quasi, se penitus cessante, Deus eandem solus operaretur; quemadmodum nequiter, sicut & alia id genus loca, Lutherus & Caluinus interpretantur, qui humanas liberæ volũtatis vires, ita extenuant, vel potius extinguunt, vt solis naturæ viribus, nihil boni moralis fieri posse: nec solũ sine auxilio speciali, sed etiam sine fide iustificante, oĩa q̃ fiunt, esse peccata, qua sunt impudentia, mentiant.

August. l. de Correp. & grat. c. 12

Maxima humana naturæ infirmitas.

Error Pelagij.

In iustificatione impij, Deo homo cooperatur.

Quin

Quin etiam eo vesaniæ progressi sunt, vt iustorum quoque opera, peccata esse mordicus defendant, quæ tamen fidei vnius causa non imputentur: quod in infidelib⁹ aiunt, non vsu venire, quorum omnes actiones, vt peccati habere rationem, ita etiam imputari nugantur. Cũ itaq; scriptura, fideles ad credendum, sperandũ, & diligendum inuitat, ad peccata prouocat, & cum homo credit, solus Deus, non homo credit, & cum petentibus Iudæis, *quid faciemus, vt operemur opera Dei*, respondet Dominus, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille*, tum Christus, sectariorum sententia, vnus operatur bonum & non Iudæi: aut si ipsos Iudæos operari cõtingat, tum ipsos peccare, atq; eo ipso, à Christo, ad peccatum prouocari (licet eis non imputetur) fit eorum opinione consequens. Sed Orthodoxa patrũ fides, Paulũ semper ita interpretata est, vt cum alibi fideles monet, quo veteri exuto, hominem nouum induant, & *vt cum metu timoreque salutem suam operentur*, velit operanti Deo homines iustos bonum cooperari. Frustra alias præcepta, persuasiones, consilia à Deo homines accepissét, si fas eisdem non esset, operanti gratiæ diuinæ cooperari. Hinc B. Augustinus lib. de gratia & libero arbit. ca. 15. illud Apostoli 1. Cor. cap. 15. exponens: Non autem ego, sed gratia Dei mecum, *ac per hoc* ait, *nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo* Et idem Author, serm. 13. de verbis Apostoli *prorsus hoc credite*, dicit, *Sic vos agere bona voluntate; quia vultis, vtique agitis: Non enim adiutor est ille, si nihil agitis; non enim cooperator est ille, si nihil operamini*:] Eodem modo ratiocinatur D. Hieronymus, in Lucæ Caput 15. de filio prodigo, *qui redeundi facultatem*, inquit, *non habuisset, nisi pius pater ei in occulto inspirasset*.

Vesania Lutheranorum circa opera.

Zachar. 1.
Ioel. 2.
Hier. 1.

Colos. 3.
Philip. 2.

Homo in sua iustificatione, diuina gratia debet cooperari

Quibus verbis, sic boni operis originem, & finem Deo ascribit, vt hominis illuminati, adiuti, ac corroborati, à Deo, cooperationem non excludat, cum ea sit prouidentiæ diuinæ suauitas, vt naturalia, immobiliter mouens ad agendum, libera libere ad suos fines dirigat. Vnde subdit Apostolus.

Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu.

Non priuatæ salutis operationi tantum, sed & publicis Ecclesiæ munijs rite obeundis, impares hominis esse vires, ostendit, nisi Deo robur largiente, reddantur aptæ & idoneæ, q. d. Et si Deus sine vllis nostris meritis, nos elegerit Apostolos, & sua gratia in Ecclesia sua *posuerit, vt eamus, eumque fructum afferamus, qui æternum duret*, nos tamen tanto ministerio exequendo; imo ad concipiendum quidem mente rei magnitudinem, nos non esse sufficientes libere confitemur, *sed nostra sufficientia, ex* ipso *Deo est*, cui placuit, vt nos tanto negotio apti idoneique essemus. Quæ causa est, quod eius gratiæ ascribimus, si quid vtilitatis, aut fructus in eo administrando, nostra industria geritur. Sicut enim, Baptismi Sacramento, certa regeneratis gratiæ præsidia suppeditantur, vt quæ Christianismus requirit, digne possint præstare: Sic cum solenni ritu ac cæremonia, ministerij Ecclesiastici potestas alicui publico ministro legittime datur, quædam cælitus auxilia simul conferuntur, vt, qua par est pietate, scientia, religione, ac prudentia, suo fungi quisque possit officio.

Ioan. 15.
1. Timoth. 1.
2. Timoth. 1.

Inde est, quod in ordinatis à se Timotheo ac Tito,

cæte-

cæteros Episcopos & presbyteros hortetur Apostolus *ne gratiam negligant, quæ ipsis data est per prophetiam & impositionem manuum presbyterij: Admoneo te*, inquit alibi, *vt exsuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Ex quibus, perspicuum fit, hanc & similes Pauli sententias de Christianis omnibus non esse intelligendas quasi omnes sint Sacerdotes & publici ministri vt volunt Lutherani, sed de solis Pastoribus, Euangelistis, Apostolis, & Doctoribus, *quos ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, Deus dedit, donec occurramus omnes in virum perfectum. Sicut* enim, *in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra, eundem actum non habent*, vt author est noster Apostolus *ita multi vnum corpus in Christo sumus, habentes* ait ibidem, *donationes secundum gratiam, quæ data est ipsis differentes &c.* Quibus verbis, Apostolo de institutione diuina ministrorum diuersorum, quæ in Ecclesia, ad ædificationem fidelium pertinet, est sermo, sicut 1. Corinth. 4. se, suique similes, tanquam Christi *ministros & mysteriorum Dei dispensatores existimatos* cupit, *qui ea, quæ in Ecclesijs desunt corrigant, & constituant per ciuitates presbyteros*, sintque veluti fideles & prudentia præditi serui, super Domini familiam constituti, qui *suo tempore, tritici suis subditis mensuram diuidant* panemque petentibus Ecclesiæ filijs frangant.

1. Tim. 4.
Tit. 1.
Singula Sacramenta gratiã conferunt.
Ephes. 4.
Rom. 12.
Ephes. 4.
1. Cor. 12.
1. Cor. 4.
Tit. 1.

Enimuero ministerij Euangelici publico aliquo munere initiari maximi rem esse momenti magnæque difficultatis declarat illa Christi pro Apostolis, ad patrem fusa oratio, qua Ioan. 17. petebat, vt eos sanctificaret, hoc est, segregaret

in

in veritate, *sermo enim tuus* dicebat, *veritas est*, Quibus verbis, à patre petebat Dominus, vt ad Euangelicum sacerdotium ministeriumque suos discipulos, non tam legalibus illis vmbris ac ceremonijs, quibus veteris testamenti ministri consecrabantur, sed interna spiritus S. vnctione consecraret, de qua idem Ioannes dicit: *Vos vnctionē habetis à sancto, & nostis omnia*. Et rursus *Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos*. Quod ipsum, alijs verbis, hoc loco, noster Apostolus expressit, cum dicit, *se non litera idoneum ministrum esse factum*, id est, Iudaico more, & legalibus ceremonijs, sed spiritu, id est, meliore spiritus sancti gratia.

Sicut enim in omni rerum à Deo constitutarum genere vnæ res per alias, vt postremæ per medias, mediæ per primas, in suos fines diriguntur, sic in Ecclesia sua optime constituta, quosdam, per alios ad salutem dirigit, ac diuersorum hominum ordines instituit Dominus, vt vnus alterius opera, consilio & authoritate, suum scopum possit attingere. Dei enim natura hęc est, vt suis in operibus repræsentari velit, non modo, vt ipse in se est, sed etiam vt alijs rebus se ipso, beneficia cumulatissime largitur. Se porrò non cuiusuis ordinis, aut status esse ministrum, hoc ipso prædicat Apostolus, sed noui testamenti, quod veteris ministerio, longis esse interuallis excellentius, ostendit.

Nam, se, cum Moyse comparans, illum literas lapidibus insculptas, vni populo ministrasse, se autem, & collegas suos spiritum toti mundo ministrare Deo principaliter operante gloriatur, quod ministerium Euangelij proprium fuisse, videtur Hier. prænuntiasse cum c. 31. diceret, *feriam Domui Israel fœdus nouum non vetus*.

Litera

Litera enim occidit, spiritus autem viuificat.

Pergit Euangelici ministerij, comparatione Mosaici, dignitatem extollere: Quod eiusmodi legem Apostoli publicent, quæ peccatis condonatis, homines in Dei, non modo gratiam reponat, sed diuina mandata præstandi, collato ad id præsidio, ad ęternam felicitatem possidendam: aperiat ianuam; at Moyses, talis fuerit legislator, qui mortis, & perditionis potius, quàm salutis author extiterit. Non, quod legis Euangelicæ litera non etiam occidat, si à spiritu separetur (vtraq; enim occidit); sed ideo, dicit Apostolus de Moysis, non Euangelij lege, quod iram operetur, & quod occidat, quod cùm Moyses, legem tulit, nihil nisi literam dedit; Christus autem, cum Euangelium prædicauit, simul cum litera, spiritum est impertitus: Adeò, vt non solam doctrinam ediscant Christiani, quà virtutum à vitijs discrimen, sed gratiam recipiunt, qua iustitiam diligere, & odio habere possint iniquitatem: Atque hanc legem promisit olim DEVS, per suos Prophetas, vt author est noster Apostolus in ijs, quæ ad Hebræos, & ad Roman. sunt scriptæ: Ibi ęnim *noui Testamenti legem* vocat *Charitatem in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis, diffusam*, quod tùm diuinę volũtati mos geri possit, cùm à DEO in hominum animos Charitas diffunditur: Quoniam, *qui diligit, legem adimpleuit, cum legis plenitudo vna sit dilectio*: Licet vero, legis veteris cultoribus, etiam gratia contingeret; ea tamen, non legis illius vigore, sed Christi futuri fide dabatur. *Dispensabant*, ait August. *illi sancti pro congruentia temporis, Testamentum vetus, pertinebant ad testamentum nouum*, Vnde cur *litera* dicatur *occidere* enitescit, nempe, quia cum impleri

Aug. lib. de spiritu & litera.

Ezech. c. 36. Hier. 31. Hebr. 10. 8.

Rom. 13.

Quomodo litera occidat.

N pleri

pleri non possit ab eo, cui datur, eũ quodam modo præuaricatorem constituit; Ideo dixit alibi Paulus, quod *lex iram operetur, Nam vbi non est lex, nec prauaricatio*, quæ cũ sua prohibitione augeat concupiscentiam, (nitimur enim in vetitum, semper cupimusq; negata) occasione accepta, inquit Apostolus, *peccatum per mandatũ, conoperatum est in me omnem concupiscentiam*: Non, quod per se, aut suo aliquo vitio, lex hoc præstiterit, sed ex occasione; non quidem data, sed ab hominibus accepta. Dicitur etiam occidere litera, ex parte ipsorũ Iudæorum, existimantium, in scripturis æternam vitam esse sitam, sicut Ioannis cap. 5. Dominus dicit, cum tamen ignorarent, in qua parte, illa esset sita. Putabant enim in litera, id est, in ceremonijs & vmbris esse sitam, cùm tamen in spiritu, in sensu, in mysterio literę esset conclusa. Hic autem spiritus scripturarum Christus erat, ad quem omnes figurę, vmbrę, & tota scriptura reuocabatur; Neq; enim alio illæ omnes figurę, omnesq; scripturę pertinebant, quàm quòd Christum venturum demonstrarent, ad quem, & cæteros omnes prouocabant, qui salui fieri voluissent.

Differentia veteris & noua Legis.

Ex his, fit etiam euidens, cur ab Euangelio literam disiunxerit Apostolus: quod Euangelium per se hominem in eum statum restituat, quo Dei legem seruando, possit salutem consequi: vetus porrò Testamentum, tabulis incisis, timorem incutiendo, seruitutem ingeneraret; Legis enim Mosaicæ mandato, sine gratia Dei, quam dare non poterat, rei constituebantur homines, & pœnæ obnoxij, Christi verò, libertatis & amoris lex propria est; quoniam Christus, qui mandata dedit, spiritum etiam largitus est, per quem, *in corde*

dif-

diffusa est charitas: ideo in ea, quæ est ad Gal. ait Paulus; *nos non esse filios ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit*, & 2. ad Timoth. 2. *quod Deus non dederit nobis spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis.*

Quod si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita vt non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur.

Facta duorum mediatorum comparatione, quorum vnus, totius virtutis, gratiæ & salutis æternæ, alter, cupiditatum, perditionis, ac interitus quodam modo sit author, probat Euangelici ministerij dignitatem, Mosaico multis numeris, præstare, hoc sensu; Si tantus honor habitus est Moysi, legem grauissimã, difficilem, intolerabilem, mortis matrem, & quodammodo momentaneam publicanti; ita vt faciei ipsius, splendorem ferre populus Hebręus non posset, eandem legem accepturus; quis honor, quæ reuerentia ac veneratio illi sequestro habebitur, qui non tàm legislator, quàm Redemptor, non tam vmbras, figuras & veritatem, quam gratiam vniuerso mundo attulit, qui pacem & reconciliationem communem cum Deo æternum duraturam, toti nostro generi annuntiauit? Quod si ministri mortis, veteris scilicet legis, tanta fuit dignitas, tanta amplitudo; quanta Apostolorum esse claritas debet, quanta eorum gloria & maiestas, qui vitam & bona æterna toti orbi ostendunt; annunciant, promittunt? Si tanta & tam incomparabilis existimata est, vnius ætatis & nationis lex,

Aa. 15.

Cõparatio Christi & Moysis Mediatorum.

quanti ponderis & momenti Euangelium esse iudicabimus, quod & ad omnes omnium gentium homines spectat, & nullo vnquam exitu, est terminandum? Christi siquidem lege lata, ea, quam Moyses tulerat, cessare debuit. Nam *lex & Prophetæ, vsq; ad Ioannem, & translato Sacerdotio, necesse fuit, vt & legis translatio fieret. Quid ergo lex?* ait, noster Apostolus ad Gal. 3. *Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat.* Quantum enim inter imaginé & veritatem inter est, ait Ambrosius, tantum inter gloriam vultus Moysis, & gloriam Christi: Sicut enim vesperi, gloriosæ sunt stellæ, quarum claritas adueniente Sole, euacuatur: ita & Moysi claritas adueniente Christi gloria, extinguitur, velutq; vmbra quædam ita discutitur, vt amplius non appareat. Legem porrò Christi, finis esse nesciam & exitus, eiusdem Sacerdotij probat æternitas; Sic enim Psalm. 109. loquitur eidem filio pater, *Tu es Sacerdos in æternum.* Legis porrò, & Sacerdotij tanta est, & tàm coniuncta societas, vt vno manente, sit alterum necesse durare: sicut finis expers Christi regnum, futurum prædixerat Daniel: Quod ipsum B. Virgini confirmauit Archangelus Gabriel: Cui ergo dubium esse potest, quin & lex, æternum duratura sit? cuius quanta debeat esse claritas, quanta veneratio, quanta reuerentia, nemo non videt.

Luc. 16. *Hebr. 7.* *Daniel. 2.* *Luc. 1.*

Nam si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.

Propositum argumentum clarius explanat Apostolus, tùm vt inanem breuemq; legis veteris gloriam amplificet, quo Iudæorum stuporem & supercilium,

(ait

(ait Theodoretus) redarguat & accuset, qui literæ solius velamine obnubilati, in tanta luce caligauerunt, vt spiritualem literæ sensum, legis scilicet finem, qui Christus est, non intellexerint: tum vt Euangelij perfectionem extollat, nouiq; Testamenti præstantiam, veteri oppositam, magis omnibus commendet: Hinc, *legem damnationis administram appellat*, ob rationes paulo ante allatas: non quod à Deo lex data sit, vt eam obseruando, homines damnentur, cum *lex sancta sit, sicut mandatum sanctum, iustum & bonum*, sed cum ad peccatum vitandum data, non potuerit seipsa efficere, vt peccatum vitaretur, sed contra potius per accidens, occasio fuerit, vt superabundaret, dicitur hic ministratio damnationis. Sic enim primi parentis peccato, humanum genus deprauatum est, vt accepta ex prohibitione legis, occasione, magis ad peccandum exarserit; ac sic & dãnationis materiam videatur lex ipsa attulisse.

Quo sensu, *iram operari, litera occidens, virtus peccati lex dicitur.* Quæ etsi, ait Apostolus, omnia circa legem ita se habeant, nihilominus, in maximo precio & honore semper fuit; Quid igitur nouæ legi deferendum est; quaue in veneratione nobis omnibus esse debet? quæ tantùm abest, vt peccatores depræhensos puniat, quin per Baptisma, & aliâs sæpe impunes dimissos, sua gratia, sanctos & iustos dimittat, dimissos in filios adoptet, adoptatis æterna fœlicitatis præmia polliceatur, Quæ causa est, quod Euangelium, iustitiæ ministerium, hoc loco vocetur, quia videlicet, impios iustificat, lege antiqua, mortis occasionem per accidens (vti dictum est) præbente. *Beati* proinde prædicantur, qui *Euangelium*, Dei scilicet verbum *audiunt*, & non solum prædicant, sed *& custodiunt illud*; quia, qui Christi

ſermones & mandata, vti par eſt, ſeruant, *apti ſunt regno Dei.* Moyſis quidem lex ſanctiſſima fuit, quæ ideo & ſpiritualis dicta eſt, quod peccare prohiberet: Non tamen lex ſpiritus vitę, ſiue viuificans dici potuit, q; reis mortis remittere peccata non poſſet, vt mortuos viuificaret. Lex quidem pręcepta dabat; per quę non peccabatur, qui n. non peccat, rectè ſpiritualis dicitur, tanquam æmulus cœleſtium ſpirituum:(At lex Chriſti, ſiue fidei, dicitur lex ſpiritus, quia Deus) cuius eſt fides, ſpiritus eſt. Illic verba ſunt; hic res: illic quę Dei ſunt, hic Deus ipſe. Lex quidem homini datur, vt bonus fiat, (lex enim quid fieri debeat, vel omitti, docet) & ad ſtudioſos actus dirigatur, At ſpiritus S. hominis mentē inhabitans, non modò facienda fugiendaue præcipit, ſed affectum & voluntatem ad bonum inflectens, ſimul ad bonas actiones adiuuat atq; impellit, hominis volũtatem. Nam fide, quæ per charitatem operatur (*vnctionem eam* D. Ioan. 1. epiſt. cap 2. *appellat*) & docet de omnibus, & ſicut infra c. 5. dicitur, vrget nos. Atq; hæc lex eſt, quam daturum ſe, per Meſſiam, in cordibus ſuorum promiſerat Deus, per Hierem. 31. & Ezech. c. 36.

Nam, nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

Senſus eſt, vix gloriæ nomine, digna eſt ea, quæ Moyſi legem tantopere ornauit, & illuſtrauit, ſi inuſitato & inaudito Euangelicæ maieſtatis ſplendori comparetur: In comparatione ſiquidem Euangelicæ glorię, vmbratur gloria legis, ſicut orto Sole, obfunditur lumē Lunæ, cum tamen ſuo tempore, magnũ habeat fulgorem ait Sedulius: Vnde Chriſti diuinitatem probaturus D. Ioannes, dicebat ſe *Chriſti gloriam vidiſſe*, non alicuius ſer-

ui

ui aut Proph., qualis scilicet, fuerat Moyses, sed *quasi unigeniti à patre*: Cuius nimirum diuinitas, nequaquam sub humanitate latens, se, occultasset, vt quæ doctrinæ cœlestis prędicatione, admirabili vitę sanctitate, miraculis & prodigiosis operibus, se toti mundo, Deum esse declarasset: Nam Dei verbum, cum oculorum corporis obtutu, in suo splendore, conspici non posset, humanitatis vmbram, ceu integumentum quoddam induit; per quod, ea præstaret, quæ ipsum Dei esse filium naturalem & vnigenitum, non adoptiuum (quorum plurimi sunt) testarentur. Quem, idcirco, *amplioris gloriæ dignum fuisse habitum*, author est Paulus, quando pater à mortuis suscitatum, *constituit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem*: quod nec vlli hominum, aut cœlitum vnquam contigit. Et quia cum laude frequentem famam, gloriæ vox significat, Christi nomen, non solum toto terrarum orbe, sed & apud cœlites & apud inferos, semper celebratum esse Paulus innuît; Cum tamen Moysis imperium, solius Iudææ terminis conclusum, eiusque nomen in Israël, duntaxat fuerit cognitum: Vbi, quia populi sui causa, cœlesti *patri, vsque ad crucis mortem, obedientiam*, sicut Christus non exhibuit; ideo *nec nomen, quod est super omne nomen*, vti Christus meruit; vt ad eius inuocationem, *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*: Licet *panem de cœlo præstiterit* Moyses, & ex *silice*, laticem produxerit, legemque ex monte attulerit: CHRISTVS è diuerso, suam diuinitatem, humanitati coniunctam, in cibum & potum, suo populo exhibuit, & quæ in sinu patris viderat secreta, & audierat in cœlis arcana, hominum generi ape-

Ioan. 1.

Christus multis argumentis se Deum esse probauit, cùm in terris versaretur.

Hebr. 7.
Ephes. 1.

Dignitatis Christi, & Moysis legislatorum discrimen.

Phil. 2.
Ioan. 6.

Ioan. 3.

aperuit in terris. Esto, Moysis famam longè lateque extenderit, populi Hebræi *ex AEgypto, populoq; barbaro*, inter maris discissi muros, eductio: longè magis Christi gloriam amplificat, quod infinitam prope hominum multitudiné, non in promissionis terram, sed in cœlum, ad beatam immortalitatem quotidie ex cacodæmonis tyrannide liberatam, per baptismum educit. Splendentis deniq; faciei Moysis claritas, certum magnę ipsius cum Deo amicitiæ indicium fuit, sed quæ talem populo terrorem incuteret, vt in eam intendere non posset: at si Christi transfigurati splendorem, intueare, pręsentium mentes ea voluptate demulcens oblinebat, vt dicerent; *Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, &c.*

Matth. 17. 2. Pet. 1.

Si enim, quod euacuatur, per gloriam est: multò magis, quod manet, in gloria est.

Ex duratione, legis nouæ pręstantiam euincit, quia quod finem nescit, melioris est conditionis, eo, quod ad momentum durat: at, Moysi lex antiquatur adueniente noua; illa igitur, hac est nobilior: sicut charitas, fide & spe dicitur maior, quod his euacuatis, illa etiam in patria, suum vigorem & splendoré retineat; quemadmodum omnia, quæ immortalitatis sunt, augustiora his, quæ sunt ętatis, habentur. Quod, si lex Christi

1. Cor. 13.

æterna est, fit consequens, vt eius præcones semper vigeant, eiusdemq; gloriæ potiundæ, spe maxima fulciantur.

Ha-

Habentes igitur talem spem, multa fiducia vtimur.

Sensus est. Firma Gloriæ Christi aliquando potiundæ, erecti spe, non modo *bene patientes sumus, vt annuntiemus* eiusdem Euangelium, siue legem, sed *certã satagimus per bona opera, facere vocationem nostram*, ad æternitatem, ac in medijs huius vitæ difficultatibus. iuuante Deo, conamur, si quo modo, *in viam mandatorum diuinorum* currendo, assequi Brauium possimus, Ita, vt in hac vita, nulla vel aduersitate frangamur, vel rerum terrenarum pondere a cœpto cursu retardemur, neue nos ea spei firmitudo confundat, aut frustretur, ad quam, sicut ad anchoram animæ firmam, tutamque ea fiducia confugimus, vt spe quodammodo salui facti videamur. *Psal.* *1. Petri.*

Sanctorum siquidem fiducia, quam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascitur, atque ideo summo studio, sibi merita esse quærenda existimant, vt apud Deum habere fiduciam possint: Quæ fiducia, nihil aliud, quam firmam & roboratam spem significat. Cum enim *vitæ coronam* promiserit Deus *diligentibus se*, vt dicit S. Iacobus cap. 1. cumq; ex duobus, gloriæ æternæ adeptio pendeat, ex Dei nempe fidelitate, qui præstat, quod promisit, & ex operibus nostris (*diligere* enim oportet, *non verbo & lingua, sed opere & veritate, vt* ait Ioannes epist. 1. ca. 1.) Proinde, sicut spes certa non esset, si nos bene operaremur, sed Deus fidelis non permaneret: ita nec certa spes esse posset, si Deus quidem fidelis sit, sed nos non bene operemur, nec diligamus opere & veritate. Vn- *Rom. 8.*

de fit euidens, quod ſpes, ac per hoc etiam fiducia, non ſolum ex gratia Dei promittentis, ſed etiam ex meritis & operibus noſtris naſcitur. Attamen cauere homo diligenter debet, ne in bonis meritis, quæ verè eſſe talia compertum habuerit, efferatur, ſed potius propter incertitudinem propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, totam ſuam fiduciam, in ſola Dei miſericordia & benignitate reponat: Non quod homo, bonis operibus operam nauare non debeat, aut in ijs, non etiam confidere, quaſi non ſint vera iuſtitia, aut iudicium Dei ſuſtinere non poſſint; ſed tutius eſt, meritorum iam partorum quodammodo obliuiſci, & in ſolam Dei miſericordiam reſpicere: quia nemo abſque reuelatione, certo poteſt ſcire ſe habere vera merita, aut in ijs, ſe in finem vſque perſeueraturum; vt nihil dicam vix aliquid eſſe facilius, quam ſuperbiam, ex operum bonorum conſideratione, gigni. Atque ideo monebat Dominus, Luc. 17. cap. vt *cum omnia feciſſemus, quæ præcepta ſunt nobis, diceremus, ſerui inutiles ſumus.* Hinc Daniel cap. 9. *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras, ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Quibus ſignificatur, tutum eſſe, in ſola Dei miſericordia, & non in operibus noſtris, fiduciam collocare, quemadmodum publicæ preces Eccleſiæ teſtantur, quæ hac forma, funduntur. *Deus qui conſpicis, quia ex nulla actione noſtra confidimus.* Sic in canone miſſæ: *Intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte.*

Et non

Et non, ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael, in faciem eius, quod euacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum.

Notam Exodi hiſtoriam, ſuo inſtituto, per metaphoram, ſapienter accommodat, vt Euangelicæ doctrinæ facilitatem, efficaciam, eiuſdemque tradendæ modum, ſicut promiſſionum, ſupra Moſaicam & propheticam certitudinem, oſtendat. Cum ad populum verba haberet Moyſes, faciem velabat; nobis vero Chriſtus reuelata facie loquebatur, annuntians omnia, quæ à Patre ſuo audiuerat: nobis pręcipiés, vt omnia perſpicue doceremus, quæ Lex & Prophetæ, obſcure & imperfecte tradiderant, Nam quæ fidei myſteria, veteris teſtamenti doctrina inuoluebat, Euangelium diſtincte clareque retecto velo, explicat, V. G. Clare quidem, Dei vnitatem confitebãtur cum lege, Prophetæ, & perſonarum diuerſitatis aliquam faciebant mentionem: ſed ita figuris neſcio quibus, veſtitam, vt non facile intelligeretur: at noua lex & Euangelij præcones, apertiſſime illam, ſicut plæraque alia myſteria, explanant. Ad promiſſa quod attinet, lex cum Prophetis, ſub bonorum temporalium inuolucris, regnum cælorum pollicebantur, Chriſtus & Apoſtoli, verbis apertiſſimis, ſempiterna promittunt bona. Et quoniam promiſſionibus, minæ ſolent adijci, lex & Prophetæ temporalia mala comminabantur, Chriſtus cum Apoſtolis, & morté, & ſempiternam promittunt vitam. Deus

inquit August. *se vtriusque testamenti voluit esse authorem, vt & terrena promitteret in veteri testamento, & cælestia in nouo*, Vnde idem August. obseruat, in Prophetis, non raro de resurrectione & vita æterna, testimonia: sed regnum cœlorum nunquam èxpresse nominatum ne dicam promissum. Vnde non abs re, uetus, noui testamenti occultationem, & quasi semen fuisse, multi arbitrantur.

Augustin. in psal. 73.

Sed obtusi sunt sensus eorum.

Duplicis velaminis integumento, Iudæorũ mentes sunt obstinatæ, per quod, nudam videre non possunt veritatem, Vno ex parte rei, quia *omnia in figura contingebãt illis*, cum rerum futurarum vmbram, tota fere lex complecteretur, Altero ex parte ipsorum Iudæorum, qui nimia malitia, interioribus sensibus excæcati, veram, quæ à Deo est, *sapientiam* percipere nõ poterant, vt *quæ in maleuolam animam ingredi, aut in corpore peccatis subdito inhabitare non possit*, Primum Christus remouit, sicut ait D. Ioan. *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est: quia lex* per Moysen, data, facta est per Christum, *gratia*, propter fidei & charitatis infusionem: *lex* vero, facta est *veritas*, propter omnium figurarum impletionem, sicut 1. Corint. 10. scriptum est, quod *omnia in figura facta sunt nostri*, & in ea, quæ est ad Hebr. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*. Ea causa est, quod passim in Euangelio legamus, varia In Christo, mysteria fuisse completa, quoniam sic scriptum erat in lege & prophetis, in cuius signum, Christo moriente velum templi est discissum.

Sap. 1.
Ioan. 1.
Hebr. 7.

Alte-

Alterũ porrò velamen, in obstinatis Iudæis adhuc manet, quos ideo, Veritas credere non potuisse, frequenter dixit, quod spreta, quæ à Deo est, gloria, *ab hominibus solis* honorari tanto studio quærerent,

Vsq; in hodiernũ enim diem, id ipsum velamẽ in lectione veteris testamenti manet nõ reuelatum, (quoniam in Christo euacuatur.)

Quia Christum, *in sua venientem, non receperunt* Iudęi, quem operibus & prædicatione apparentem agnoscere poterant, si voluissent, ipsorum incredulitatem, grauemq; ac multiplicem iniuriam, qui venientem ad se Dominum repellentes, affecerunt, redarguit Paulus, dicendo, super eorum cor, positum esse velamen, dum reuolui, & legi Moysen audiunt; Quia licet, ea omnia fecerit Dominus, ex quibus, se missum à patre poterãt agnoscere, lectione tamen veteris testamenti abutentes, cæcutierunt; non quidem ex ignorantia probabili, sed ex errore grauissimo, & inexcusabili, sicut eisdem alibi exprobrat Dominus, quod *se in nomine patris sui venientem, testimoniaq; efficacissima, & argumenta, sufficientissima suæ missionis habentem*, (quæ erant pertinacia) *non acceperint*; Et, licet scripturas scrutantes, inquirerent, quòd in earum obseruantia, vitam æternam esse positam arbitrarentur; ad Christum tamen venire nolebant, licet proprio scripturarum studio, de Christi veritate essent conuicti, quem prę sua malitia nolebant recipere, multò minus in ipsum credere; Scriptura siquidem vetus, testimonium perhibet de Christo Iudæis; non solùm, quia promissus est in ipsis, vt supra dictum est, sed quia

Ioann. 5.

Excæcationis Iudaicæ causa.

ex signis & circumstantijs multis, in Scriptura expressis, potuerunt agnoscere Iudæi, illum esse promissum;
Ioann. 5. *Scrutamini*, ait ipsis Saluator, *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimoniũ perhibent de me. Hoc ipsum*, ait Chrysost. *non possunt intelligere, quod cessauit lex, eo quod non credunt Christo, Nam si per Christum cessauit, sicut reuera cessauit, & ipsa lex hoc occupans prædixit, qui fieri potest, vt qui Christum non recipiunt, per quem lex antiquata est, eam videant legem antiquatam? hoc autem cum videre non sustineant, perspicuum est, eos etiam ipsius legis hæc dicentis, vim, & vniuersam gloriam ignorare.* Sicut enim oculorum lippitudine laborans aliquis, quantò magis sol radios suos diffuderit, debilitatur; ita multiplici Christi doctrina, & prodigiosis operibus,
Roman. 1. Iudæi sunt ita excæcati, vt legis suæ finem, non intellexerint esse Christum, *in salutem omni credenti*. Non quod Euangelij vox, siue sensus, adeo obscura sint, aut quod fidei præcones, tam abdita, abstrusa, & difficilia doceãt, vt velamen in faciem suam ponant, sed quia ipsi nõ intelligentes mysterium velaminis, velamen ipsum positum habent in cordibus suis.

Hoc autem velamen est carnis affectio. Quapropter oculos auertere nescientes à Moyse, ad Christum se conuertere non possunt, quamdiu terrenis lucris, & commodis sunt intenti. Nam medio illo velamine, declarauit Deus per Moysen, breuem veteris testamenti gloriam (in quam Iudæi intendunt) illis esse, quasi aliq. velamen, vt ad Euangelij lumen non attendant, quod Christi crucis virtutem commonstrat, vt expectent, q.
Mala. 3. à Malachia promissum est, *vt veniat ad templum sanctũ suum Dominator, quem ipsi quærunt, & Angelus testamenti, quem illi volunt: Nam eam crucis virtutem, ipsi scandalum, &*

stul-

stultitiam reputant: Et sanè, iudicium illud esse videtur, cuius causa, se in mundum venisse dicebat Saluator; nempe, vt *qui non vident, videant, & qui vident, fiant* Ioan.12.
cæci: Suo enim ipsius in mundum aduentu, hoc vnum consecutum est iudicium, & vna multorum in partes contrarias consecuta est discretio; vt illi, qui non videbant, (simplices scilicet & ignorantes) visum mentis reciperent credentes; qui verò vidissent, id est, legis professione clari, & Prophetarum scientia prędití, per incredulitatem, fierent cæci.

Quo sensu, D. Lucas, *Christum, & in resurrectionem, & in ruinam multorum in Israël positum esse* dixit: Non quod propterea venerit, vt aliquos cæcitate percuteret: sed eorum culpa, ex Christi aduentu, hoc est consecutum; Superbos enim Pharisæos, iustè permittebat occæcari, qui ex misericordia paruulos illuminabat, iuxta illud quod Matth. vndecimo, scriptum est, *Confiteor tibi pater, Rex cæli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Hæc est illa cæcitas, quam *ex parte*, dicit Apostolus, *in Israël contigisse, donec gentium plenitudo intraret*, quia quoad potissimam populi multitudinem, *assecutus non est, quod quærebat*, nempe iustitiam, quia *sectando iustitiæ legem, non peruenit ad iustitiam*, Quanquam ij, qui à DEO selecti fuerant Iudæi, pauci tamen, iustitiam sunt adepti. Rom.11.

Sed

Sed vsq; in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

Moysis nomine, veteri testamento intellecto, adeo terrenis rebus immersos, & literæ legis cortici per maximam cœcitatem, addictos innuit Apostolus Iudæos, vt quò diutius Messiam quærunt, eò difficilius eundem inueniant. Sintq; instar Sodomitarum, domus ostium clausum, frustra quærentium, quia, cum Mosaicam & Prophetarum scientiam iactitant, quid Moyses & Prophetæ voluerint, non percipiunt, de quibus apud Ioannem videtur Saluator pronunciasse; *Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis, quia nos videmus; peccatum ergo vestrum manet.* Quo pertinet, quod ex Esaiæ c. 12. dicit idem Euangelista. *Deum oculos Iudæorum excæcasse, ac eorum cor obdurasse:* & quod Apostolus, in ea, quæ est ad Rom. c. 11. eundem Iudæis *compunctionis spiritum dedisse; oculos, vt non videant, aures vt non audiant;* Quod quidem, ex accidenti quodam intelligendũ est; quia quod Dominus, veritatis verbum docuit, fideiq; suæ lumen diffudit, non vtiq; vt illi excæcarentur, vel obdurarentur, hoc fecit, at ipsi sua malitia, nolentes veritatis lucem recipere, dicuntur Christi verbo & lumine excæcati, qui nihil minus, quàm excæcationem sibi proponebat; sed quemadmodum expressit Salomon, *Excæcauit eos malitia eorum.* Vbi excœcatio, ad intellect⁹ obtenebrationem, ad cor verò, siue mentem, obduratio spectant, quod Iudæi, nec veritatem intellectu percipere, nec inflexo, emollitoq; affectu complecti eandẽ voluerint.

Gen. 19. *Ioan. 9. 12.* *Matth. 13.* *Rom. 11.* *Quomodo Deus excæcauerit Iudæos.* *Sap. 2.*

Auribus inquit, post Matth. Apostolus, *grauiter audierunt,*

dierunt, & oculos ipsi clauserunt, quasi suæ causa excæcationis & obdurationis sibi fuerint, vt veritatis lumen nollent recipere, odio loquentem Dominum prosequentes. Cum enim de veritate loquentem Christum Pilatus audisset, ac dimittere voluisset, eorum tanquã latrantium canum voces erant, *Crucifige, crucifige eum; non habemus Regem nisi Cæsarem, non hunc, sed Barrabam dimitte*. Sed quæ causa? Hanc videtur Iosephus reddidisse, lib. 18. Antiq. cap. 4. qui quamuis Iudæus, sic scripsit: *Eodem tempore fuit Iesus, si tamen eum virum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt.* Iudæi, quia Christo vera prædicanti credere, & veritati resistebant, ad lucem venire *nolebant:* Cuius videtur meminisse Apostolus ad Roman. cap. 2. *Iis*, ait, *qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Sunt enim ij ex veritate, qui desiderant, & student rectè agere, & secundùm iustitiam & veritatem operari, quales Iudæi non erant, ideo habere Christo fidem nolebant. Ioan. 19.

Cum autem conuersi fuerint ad Dominum: auferetur velamen.

Velamen, *Prophetiæ adopertionem* interpretatur Augustinus *quod tollitur*, ait, *cùm transieris ad Dominum: sic tollitur insipientia* (subiungit) *cum transieris ad Dominũ, & quod aqua erat, fit tibi vinum. Lege*, (prosequitur idem August.) *libros omnes Propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum inuenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit, quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem à corpore, vt præterita obliuiscens, in ea quæ ante sunt, extendaris, &c.* Aug. Tract. 9. in 2. cap. Ioann.

P Quod

Philip.3. Quod ipsum ex Iudæis, quotquot ad Christi fi-
Esa.6. dem conuersi sunt, re ipsa sunt experti, ait hic Apo-
Rom.11. stolus; In Christo, vetus testamentum non euacuatur, sed velamen eius, vt per Christum intelligatur, & quasi denudetur, quod sine Christo, obscurum atque adopertum est.

Nec, ait Apostolus, hoc loco, inquit Augustinus, *auferetur lex, aut testamentum vetus, sed velamen eius. Non igitur per Domini Gratiam, tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt, sed tegmen potius, quo vtilia tegebantur.*

Dominus autem Spiritus est, vbi autem Spiritus Domini; ibi libertas.

Cum supra dixisset, eos, qui ad Dominum conuertuntur, retecta facie, cognituros legis veritatem, eius hic rationem reddit; nam qui conuertuntur, ait, ad Dominum: Domino fiunt similes, cùm porrò Dñs
Ioan. 4. 3. sit spr̃s, necesse est, vt hac cõuersione hõies fiãt spirituales. Vna porrò *Spiritus* proprietas est, q *vbi vult, spirat,* id est, liber sit in suis actionibus; ita vt quod vult, faciat, nullo retineatur impedimento, nullaque prematur seruitute, quemadmodum alijs verbis 1. Corin. 12. capit. expressit Apostolus, *Vnus,* inquiens, *atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult; sic est,* ait D. Ioannes, *Omnis, qui natus est ex spiritu, habet enim quandam*
Certa veræ libertatis indicia. *libertatem Spiritus. quia legem implet,* tentationes superat, peccata vitat, Diabolum vincit, quod bonũ vult, operatur, in libertatem filiorum Dei per Spiritum sanctum euectus, à charitate Dei nunquam separatur inuitus.

Qui

Qui hoc pacto spiritualis, ad DEI quandam similitudinem effectus est, multiplicem libertatem nãciscitur, Primã est à Mosaica lege. Quamdiu enim, quis legis illius velamine, mentis oculos obnubilatos habet, tamdiu legis iugo, duraque seruitute premitur. *Cũ n essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes*; Ab hac seruitute, Christus nos liberauit, *per Spiritum adoptionis filiorum.* Gal. 4.

Altera libertas, est à lege morali, quam hominũ cordibus natura indidit; non quod huius obseruantia legis, sit conuersis ad fidem ablata; sed quia iis per Spiritum sanctum, collata sit gratia & virtus, quibus eam complere valeant.

Nam sine Spiritu, lex moralis impleri perfectè nõ potest, peccato vires adimente; ideo qui ad Deum conuersi non sunt, legis seruitute premuntur: Quare cum dixisset Apostolus, ad Rom. *Quis me liberabit de corpore mortis huius*, respondit, *Gratia DEI per IESVM Christum.*

Libertatem deinde consequitur, ad Dominum conuersus, à peccati & Diaboli seruitute; Qui enim peccato obnoxius est, sine peccati admissione noua, diu consistere non potest; *Cum serui essetis*, ait idem Paulus, *peccati, liberi fuistis iustitia.* Vltima libertas, est à corruptione & morte, quæ conuersis tribuetur primũ in futuro sæculo, sicut ad Roman. 8. dicit Apostolus, *Viuificabit mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in nobis.* Spiritus ergò fit, qui conuertitur ad Dominum; qui sicut liber est, & ille est liber. In quam libertatem, per Euangelium, vocati sumus, quod ideò à D. Iacobo *Perfectæ libertatis lex*, est appellatum, sicut & alibi *lex Spiritus.*

Falluntur itaque Sectarij, qui huius loci præsidio, mentiuntur, nullis Prælatorum & Pontificum legibus, Christianos esse astrictos, cum illa libertas; in quam, hoc, & alijs locis significantur fideles esse per Christum vindicati; non in exemptione à quibuscunque legibus, sed in assertione à lege veteri & peccati (vt ante dictum est) consistat; quasi iam per Christi gratiam, data sit nobis facultas, liberè atque expeditè seruiendi iustitiæ; quemadmodum Apostolus apertè declarat, ad Roman. 6. & 8. *Spiritus vitæ in Christo IESV, liberauit me à lege peccati, & mortis*; Cuiusmodi *iustis*, legem *non esse positam* alibi *pronunciauit*, & quod Spiritus sancti virtute, sine lege, quæ legis sunt, faciunt; quales, veros DEI cultores & adoratores appellat D. Ioann. Philosophi sanè definiunt id, esse liberum, quod sui gratia est: Violentum autem esse id, cuius principium est extra, passo non conferente vim. Quoniam autem iusti homines, DEO seruiunt ipsius causa, & propter ipsum duntaxat, eius præceptis libenter ac voluntariè obediunt: Et quamuis nulla esset lex, nullumq; supplicium in legis violatores, nihilominus tamen facerent libenter, quodcumque DEO, gratum acceptumq; cognoscerent: Vnde verissimè dicuntur liberè agere & viuere.

Ioann. 4.

Nam, vt in lib. de Gratia Christi contra Pelagianos scribit Augustinus: Præceptum, liber facit, qui libens facit. Ideo vel stupidi vel malitiosi fuêre Lutherani, qui secum pugnare existimarunt: aliquid facere ex debito, & facere liberè.

Nos

Nos vero omnes, reuelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem, transformamur à claritate in claritatem, tanquã à Domini spiritu.

Ingenuam Christianorum conditionem, seruili Iudaica, præstantiorem esse, probat inde Apostolus, quod veteris testamenti patres, adeo obscure & imperfecte tradiderint fidei mysteria, vt ea potius adumbrasse, quam ex pressisse videantur, quæ contra, Euangelij præcones, ea perspicuitate docuerunt & docent, vt rudes & in docti, abdita diuinitatis arcana passim intelligant.

Quo indicio, libertatis, siue filiorum, à seruitutis statu, discrimen deducebat Saluator, cum diceret, *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quacunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* q. d. Ex eo fit perspicuum, huc vsque legis cultores, fuisse seruos, quia eis mea arcana non aperui, quæ vobis tanquam amicis, apertissime patefacio. Ex eo enim, quod ea, quæ à patre meo in cœlis audiui & vidi, vobis facio cognita, tanquam à signo & effectu percipere potestis, vos à me, non vt seruos, sed vt amicos diligi: Iudæos enim fuisse seruos, vos amicos, inde fit perspicuum: quod Deum Dominum habuerit, vos Patrem, qui altissima Trinitatis, incarnationis, aduentus spiritus sancti, & alia multa mysteria perfecte exacteque suos docuit, quæ sub vmbris, figuris, & confusa quadam ratione, tantum Iudęi acceperant, Licet enim gratia diuina, eam seruitutem non tollat, quæ natura & debito nobis conuenit, ami-

Ioan. 15.
Status noui testamenti est filiorum: Veteris porro legis status, erat seruorum.

Math. 6.

corum tamen affert conditionem, quam veteri testamento obnoxij non habebant, quorum propria erat seruitus; ex qua sequebatur, secretorum diuinorum, eos non esse potuisse conscios, sicut Euangelici præcones fuerunt, qui tanquam Christi amici, apertam, sine vllo velamine, veritatis cognitionem acceperunt, Qui instar speculi, cognitionis illius splendorem ad mentis aliorum oculos vsq; sese diffundebant. Quemadmodum enim argentum, è contrario solis positum, remittit radios, etiam ipsum ex repercussione solis: sic & fideles, fidei radijs illustrati, iubar quoddam spirituale, quod sola mente comprehenditur, remittunt, ac transformantur ad eandem imaginem, à gloria spiritus, ad gloriam suam; eamque talem, qualem par est habere eum, qui à spiritu Domini, qui nulli subiectus est, illustratur. Huius eximia gloriæ claritas, sic in Apostolis reluxit, vt etiamnum in ijsdem reluceat, qui per manus, eandem ab ipsis Apostolis receperunt claritatem: Nam per superabundantem Dei gloriam in se transfusam, ad Dei imaginem & similitudinem (spiritu sancto, se sic transformante) accedunt, quia sicut ait D. Ioan. *Cum apparuerit, tunc similes ei erimus: Qui enim Deo adhæret, vnus cum eo spiritus euadit, qui autem spiritu Dei aguntur*, hi sunt filij Dei, ab ipso scilicet, prædestinati, *vt conformes fiant imaginis filij sui.* Ex hoc Apostoli testimonio, multa deducit Augustinus, primum, tunc nos visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id est, æquales Angelis facti fuerimus; quod erit vtique in resurrectione mortuorum. Deinde Apostolico hoc testimonio, satis apparuit non exterioris, sed interioris hominis faciem intelligendam, cum videbimus facie ad faciem. De facie quippe cordis loque-

Simile.

Aliter Apostoli, aliter Moyses fuerunt tum eruditi, tum illuminati.

Rom. 8.

August. de Vidend Deo. Epist. 3.

quebatur Apostolus, cum diceret, quod hic comemorauit, *Nos autem reuelata facie &c.* Addimus, rerum cælestium proposita hæreditate, fideles sæpe moneri, à scriptura, vt pietati, bonisque operibus operam dantes, fortiter & infracto animo, propter iustitiam oblatas persecutiones ferant. Sicut enim Agonothetæ, interdum victoribus, brauium in certamine dandum, loco excelso figunt, vt ab athletis videatur, eoque viso, alacrius ad certandū incitentur: Sic Paulus, omnes Christianos, oculis fidei non affectionibus creaturarum, quasi cataractis plenis, sed ab amore harum liberis & puris, in futuram Dei gloriam, tota spe & affectione, vult penetrare, eamque quasi propriam induere: atq; sic à claritate iustitiæ, ac bonorum operum, ad claritatem ipsius immarcessibilis gloriæ transire.

CAPVT IV.

Ideo habentes hanc ministrationem; iuxta quod, misericordiam consecuti sumus, non deficimus.

Quam, superiori capite, muneris Apostolici dignitatem magnificè extulit: eam non suo merito, sed vnius Dei misericordia, se consecutum, hîc, sicut alibi sæpe, confitetur. Funesto siquidem præteritę suę vitę statu, præsenti comparato; sæpissimè Deo gratias agit, quod meritorum Christi præsidio, tales ab eo spirituales vires indutus, tantaq; cœlitus gratia fuisset cumulatus, vt qui Mosaicæ legis instituta, contra fidem prius acerrimè defendebat, iam ad eandem vocandi alios munere sit donatus; quemadmodum in ea, quæ Timotheo scripta est, vberius declarat, cum dicit: *Qui prius fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus: sed misericor-*

ricordiã Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate; superabundauit autem gratia Domini nostri Iesu Christi, cum fide & dilectione, &c. Sui porrò ministerij commendat vsum, ex duobus, nempe ex vitę innocentia, & genere sincerioris doctrinæ. Ac primum quidem, ex eo deducit, quod Euangelicus præco, ad omnem virtutem, & in primis ad patientiam, eo debeat esse animo, vt nullis malis, nullisque calamitatibus in sua illa administratione occurrentibus, frangatur. Vt qui in hoc totus esse debeat, vt mentem à rerum caducarum & fragilium cogitatione abducens, manus, linguam, oculos ab omni intemperantia prohibeat, Deum assiduè precetur, puritatem sectetur, animi demissionem colat, quod ijs gradibus, ad rerum diuinarum cognitionem errantibus impertiendam, ascensus pateat: Nam sicut sapientia, impuras ac superbas mentes inhabitare non potest: ita, qui de diuinis rebus, multa magnaque, sine charitate & sanctimonia vitæ prædicant, sunt *velut æs sonans aut cymbalum tinniens*, qui vt prædicatione sua nihil afferunt emolumenti spiritualis: ita malis occurrentibus, non facile resistunt, quia obfirmato in Christi fide nõ sunt animo, Atq; atq; adeo, ab Euangelij promouendo cursu, facilime retardantur, ne Christi gloria longè lateque prædicata, crescat. Qualem se minime dicit Apostolus fuisse, cum ait:

Quales in vita esse debeant Christianæ fidei præcones.

1. Cor. 13.
2. Thessal. 3.

Non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris.

Hoc est, eiusmodi vitia clam, vel abhorremus cogitare, quæ patefacta ignominiam, pudorem & verecundiam afferre possent perpetrantibus. Occulta dedeco-

decoris, ad impostores, Sectarios, & sanæ doctrinæ corruptores pertinent, qui simulata probitatis specie, & puritatis castimoniæq; fictis imaginibus, pijs & honestis hominibus, per fraudem imponebant, cum vagis libidinibus, ambitione, auaritia, cupiditateq; latentes animi recessus haberent oppletos, *quæstum*, scilicet, *pietatem esse existimantes*: Quæ à ministrorum Ecclesiæ societate, remotissima esse debere, sapienter docet D. Gregorius super illud. 2. Reg. cap. 7. Non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es: *Manus*, inquit, *eas sordes tergere non possunt, quæ lutum in manibus tenent*. Id generis erant illi, à quibus ad Ephes. 5. cap. dicebat, gentium Doctor, *quædam fieri, quæ turpe est, & dicere*; quorum & meminisse videtur Ezech. c. 8: *Ingredere*, ait, *& vide abominationes pessimas, quas ipsi faciunt*; Et paulò post. *Vides, fili hominis, quæ seniories domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisq; in abscondito cubilis sui.* Sic prioris, ad Timoth. cap. 5. *Quorundam hominum peccata esse manifesta ad iudicium, quorundam subsequi*, dicit; quæ nunc latentia post apparebunt, qui nunc, inquit Chrysostomus, *horrent dicere, vel audire, quæ non horrent facere.*

Omnes Haretici sunt Hypocritæ & insignes simulatores.

Huc, traditiones illas referri posse existimo, quas diuinæ legi repugnantes, ad priuatam tùm vtilitatem, tum voluptatem scribas & Phariseos excogitasse Dominus frequentissimè reprehendit.

Aut facite, ait Matth. cap. 12. *arborem bonam, & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malum.* Cum enim, per simulationem & hypocrisin, Pharisæi, arbor bona videri vellent; malos tamen fructus facerent; & cum mala arbor essent, bonos tamen videri vellent fructus facere: iubebat Dominus, vt aut apertè malos, aut apertè bonos proferrent. Nam licet Pseudo

Apostoli, virtutis & veritatis simulachra præ se ferre viderentur, cum mentis eorum arcana vitijs scaterent: naturæ tamen vsui & experientiæ repugnabat, vt ex corrupta, vitiosa & sterili radice, bonorum operũ fructꝰ, suaues, iucundi, & pingues ac durabiles possent produci: Sic enim hominum moribus assuetum & naturâ comparatũ est, vt mali, mala, loquantur, boni bona, proferant; *Ex abundantia* siquidem *cordis, os loquitur*. Quòd si falsi Prophetæ secus faxint, id est, præter naturã & communem consuetudinem, Inde est, quod toties *viperarum gemina, sepulchra mortuorum ossibus & spurcitiis plena, parietes dealbati vocentur*, in sacris literis hypocritę; quia animo parũ sincero, sed ficto & simulato, res diuinas tractabant; à quorum consuetudine, remotos fuisse Apostolos, hoc loco Paulus ostendit.

Non ambulantes in astutia, neq; adulterantes verbum Dei: sed in manifestatione veritatis commendãtes nos metipsos, ad omnẽ concordiam hominum, coram DEO.

Suam summam fidem, innocentiam, & singularem in Euangelio tractando, integritatem commendat; quasi tales à Deo seruos quæri insinuet, quales officij dignitas postulat, nempe, qui externis operibus, interiores suos sensus, spiritus S. gratia, fide & dilectione niti testantur. Hominis siquidem exteriores actiones, & virtutum opera, nisi ex spiritu procedant, Deo grata esse
Ioan. 4. non possunt. *Deus enim spiritus est*, ait Ioannes, *& eos qui adorant eũ in spiritu & veritate, oportet adorare*. Sic Deo seruiebat Apost. qui in ea quæ est ad Romanos, *Testis est*,
Rom. cap. 1. inquit, *mihi Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio*; Qua ratione, addit hoc loco, *coram Deo*, vt se, omni culpa vacare,

care,

care, nulliusq; reprehensioni, in vlla re, obnoxiũ esse declararet, sed ex vera conscientia; quę Deum latere non poseſt. Nec dubium est, quin plurimi repugnante conscientia, Paulũ incusare & falso possent calumniari: sed omnibus id pijs, iustisq; hominibus, & piè in Christo viuentibus, cōmuniter accidit. Aliter quam Paulus, se habebant Hypocritæ, qui ceu histriones, (vt ipsum nomen sonat) cum aliam quàm essent, personam agerent, nec quicquam verę solidęq; virtutis haberent, quicquid agebant, simulationem, laruam, tragœdiam esse volebãt; idęoq; spectari ab iis nolebant, qui cor, siue mentem ipsorum accuratius fuissent rimati. Nam etsi *nequiter se humiliarent*, superbia tamẽ & adulatione tumescebant: Misericordię quædam opera iactabant, cum interim auaritia cæcutirent; Dei cultum præ se ferebant, cum impietati studerent: Cum enim mentis oculus, siue *intentio* corrupta est, cęteras facultates, vitiosas, corruptas, & ad officia solidę virtutis pręstãda, ineptas esse oportet. Neque n. falli potuit, qui dixit: *si oculus tuus fuerit nequam, totum etiam corpus tuũ tenebrosum erit, Lucerna quippe corporis nostri, oculus noster est.* Quod n. in corpore oculus est, in animo est intentio: & sicut vidẽdi sensu deprauato, colores obiecti rectè & distinctè cerni non possunt: ita animo de suo statu deiecto, summum bonum, in quo felicitas sita est, legitimis medijs quęri atq; appeti non potest. Simulatores quidem & hypocritę, veritatem colere, & sum̃um bonũ appetere videri volũt, sed falsis imaginib. incautos ludificant, Hinc dixit Apost. Rom. scribens, *carnis prudentiã Deo esse inimicã, quia legi Dei nõ est subiecta; neq; n. potest.* Sicut n. iniquitas, iustitia dici vel esse neq̃t, ita ꝓfectę ex vitiosa affectione actiones, ac callidi conatus, verę virtutis, & imprimis prudẽtię rationẽ habere nõ possũt. Habereq; dẽ cũ prudẽtia similitudinẽ calliditas,

Quid sit hypocrisis.

quàm hic astutiam vocat Apostolus: Nam vt author est Augustinus lib, 4. contra Iulianum cap. 3. *omnibus virtutibus, non solum sunt manifesta discretione vitia contraria, sicut prudentiæ temeritas, verum etiam vitia quodammodo, nec veritate, sed quadam specie fallente similia; sicut ipsi prudentiæ* inquit, *non temeritas, vel imprudentia, sed astutia: quæ tamen vitium est*; quamuis in scripturis sanctis, & in bono accipiatur: Dictum est enim, *Astuti vt serpentes.* In quẽ ferè sensum Philosophus, non esse prudentiam, neq; prudentem dixit, astutiam & astutum; vt cuius adiutores fraus sunt & dolus; Malus scilicet, quorum hoc, verborum lenocinijs, illud operis boni simulatione, media ad fallendũ, decipiendum, & malum finem adipiscendum, accom̃odata suggerunt. Ad dolum quod attinet, sæpius malam in partem Scriptura vsurpat, sicut Ps. 37. *Dolos tota die meditabantur.* Eccl. 19. *Interiora eius plena sunt dolo.* Neq; pietatẽ, ait Apost. per hypocrisin simulamus, tantum, sed fidei Christianæ sententiam diuinitus reuelatam, ab omni errore liberam, puram, & putam docemus. Et hoc, vt nõ tam nostrę, vel vtilitatis, vel voluptatis respectum, quàm personarum & temporum, vnam spiritus S. latenter docentis rationem habentes, ut & Dei gloria, maius incrementũ in dies sumat, & proximorũ salus, longè lateq́; ꝓpagata: augeatur: Quod ad vigilantiũ pastorum munus, ex Domini sententia, maximè spectat: Nam quidam, non tàm pastores quàm lupi rapaces, licet authoritate nulla polleant, eam tamen in alios per fas nefasque sibi vsurpant, vt regendi ac docendi prouinciam vltro adeant, quemadmodũ, Sectariorum virosi parentes fecère semper, qui & Ecclesię regimen, & pontificum iura, ad eum modũ, inuaserunt, quo fures & latrones in ouile ouium reptantes, ingrediuntur,

diuntur, hoc est, per vim, per iniuriam, per fraudes, ad mactandum, perdendum, occidendum: Quos Zacharias vates, notasse digito videtur, cum dixit: *Ecce ego suscitabo pastorem, qui derelicta non suscitabit, nec dispersum quaeret.* Itẽ: *Qui falsò vaticinati sunt: nõ misi eos: & non praecepi eis neque locutus sum ad illos,* &c. Ab eis, ideo cupit Dñs, vt diligenter pij homines *attendant, quod lupina mente ouinis vestibus contecta, non tam* bonorum defensionem, & praesidium, quam mortem & interitum machinentur. Alij pastores sunt, qui docendi & pascendi legitima potestate sunt praediti, sed qui non, vti par est, officio funguntur, quos Basilius oratione pro S. Mamante, vnico verbo describit, nempe, *qui non ouibus aut subditis, sed sibi cupiunt prodesse*, quales ait D. Augustinus, Tract. 46. in Ioannem, sunt, *qui ob honorem & lucrum temporale alijs praesunt,* de quibus, ab Ezechiele dictum est, *Vae pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos; nonne greges à pastoribus pascuntur, &c.* Tales fuisse scribas & Pharisaeos, videtur insinuasse Dominus; quos, licet mercenariorum moribus essent, vt legitimos, tamen pastores docẽtes, audiendos, non autem eorum vitam imitandam, cupiebat: Alij pastores sunt, qui non modò legitima pollent authoritate, sed in munere suo, nõ tam priuati quęstus & compendij, quam publicae salutis rationem habent; quales boni sunt, quibus Saluator, tanquam bonus pastor, exemplum praebuit, cum *pro ouibus suis animam suam posuit.* Eiusmodi Hieremias cap. 2. describit, dicens, *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui scilicet, tàm* doctrinae puritate, quàm salutaris vitę exemplo, subditos pascentes ad bene beateq; viuendum omnis generis homines inuitent. Insignem horum pastorum bonorum effigiẽ videtur expressisse Beatus Petrus cum dixit: *cum apparauerit*

Hier. 23. & 14.

Matth. 7.

Diuersos esse in Ecclesia pastores, & non omnes bonos.

Matth. 23.

princeps pastorum, Iesus scilicet Christus: Cuius sunt oues, quas proprio suo sanguine redemptas & acquisitas, Episcopis & pastoribus Ecclesiarum, commisit cœlestis doctrinæ pane, pascendas, & gubernandas. De quibus idem B. Petrus. 1. Pet. 1 *Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarũ vestrarum.*

Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum: in ijs, qui pereunt, est opertum.

Tacitæ obiectioni, prudens Doctor occurrit; Cum enim hoc superiori capite, inter vetus & nouum Testamentum, esse discrimen docuisset, quod in veteri, incarnationis, passionis, Resurrectionis Christi mysteria non ita innotuissent, nisi per vmbrarum & figurarum Velamen (quod significabat Velamen illud, quo Moyses ad populum loquens, faciem suam obtegebat); at in nouo Testam. figuris omnib. iã impletis, *reuelata facie gloriam Domini, Christianos speculari*; poterat aliquis petere, cur tã multi post Euangelium prędicatum, adhuc nõ credant, nec Christum iam in carnatũ, passum, &c. videant, præsertim Iudęi; Ideo hoc loco, hui⁹ cęcitatis causam nõ suæ prędicationi, quã ex corde puro, ex optima consciẽtia, & ex fide non ficta profectam fuisse asseuerat, nec Euangelij, quæ radios suos longè lateq; diffundit, ascribẽdam esse dicit: sed prauis eorum affectib. insigni maliciæ & obstinationi, quib. interni mentis oculi sunt obcæcati; de quib. Ioan. 5. loqui videtur Dñs dicens; *Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis? Lux quidem*, ait, Dominus apud Ioan. c. *3. venit in mundum; sed dilexerunt homines magis tenebras. quam lucem*, Venit, inquam, Christus, vt fugatis mortis & errorum tenebris, vitæ lumẽ cõmunicaret: At pleriq; homines, Dei ignorationem & errores, in quibus erant, rerum diuinarum oblatæ cognitioni prætulerunt; quæ ratio & causa est, pro-

Cũr multi damnentur, licet Christus tantã mundo lucem & gratiam attulerit.

propter quam, homines dicuntur damnati. Quod, D. August. tractatu in Ioan. medici exemplo declarat, qui omnes infirmos curare venit: qui nolunt eius vti operâ, moriuntur, non propter medicũ, qui non venit, vt moriantur, sed propter infirmitatem, quam ipsi contraxerant, à qua per medicũ, sanari noluerunt: Sicut serpentum morsibus tacti, sanabantur in veteri lege, qui æneum serpentem aspexissent; qui nollent aspicere, moriebantur: non quod mortis causa esset ipse serpens æneus; sed quia morbo læthifero affecti, saluti fero aspectus remedio vti recusabant; Ex quibus, fit euidens, omnes eos, qui per veritatem, salutis viam ingredi noluerunt, damnationi esse obnoxios; Cuiusmodi ex Lutheranis, plurimos reperire est, qui Christi doctrinam in Ecclesia Catholica traditam, esse veram lucem, facile possunt dispicere, & tamen nolunt; ne si eam cognoscant, mala opera, quæ diligunt, cogantur dimittere, virtuti è contrario studere, &c. Qui enim bene vult operari, puram Euangelij lucem amat, vt per eam cognoscat opera sua rectè, & secundum Deum esse facta: Sicut vsus docet, eos qui ad bene operandum sunt procliuiores, libenter amplecti veritatis doctrinam, per quam intelligant, se rectè & secundum ipsam Dei legem, operari. Vera enim Christi doctrina, quam sola Ecclesia catholica sinceram docet, quæ mala, quæue bona sint opera, & quæ secundum DEI voluntatem, quæ verò contra eandem sint, perfectè tradit. Viderit proinde quidam impostor prædicans (Vapulantem, illum vocant) quam Euangelicè Lutheri hominis nefarij sequaces, veram tenere doctrinam, edito libro scripserit, & eam quidem, quam olim SS. Pontifices & Patres docuerunt, adeo, vt qui iam sub sede Apostolica reue-

Simile.

Irenæus lib. 5. cap. 27.

reuerenter militant, Pseudo catholicos homo impudens & verberibus dignus appellare non erubuerit.

In quibus, DEVS huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelii gloriæ Christi.

DEVS huius seculi, omniumque rerum corporalium Creator, à vero Deo distinctus, intelligendus non est, vt Marcionistæ & Manichæi referente in hunc locum Chrysostomo, interpretabantur: sed vel illud, *huius seculi*, coniungi debet, non cum *Deus*, sed cum *infidelium*, vt Ambrosius, Chrysost. & alij hic volunt, & Aug. l. 21. contra Faustũ, c. 2. vel certè *Deus huius seculi, vocatur Diabolus*, nõ quia Deus sit absolutè; quia Devs est infideliũ, sicut Ps. 95. dicuntur *Dij gentiũ, Dæmonia*. Vbi notãda est scripturæ consuetudo, quæ sępe loquitur, non q ipsa sentit, sed iuxta affectum illorum, de quibus loquitur, vt Corint. 8. *Nam etsi sunt, qui Dij dicuntur, siquidem autem Dii multi: etiam Domini multi:* quod ita colerentur errore hominum, ac si essent Dij & Domini. Ierem. 2. *Si mutauit gens DEOS suos, & certe ipsi non sunt Dii.* Coloss. 3. *Quorum Deus Venter est.* Hinc fit, vt Dei nomen ineffabile; cum sit Dei maximè proprium, tribuatur tamen interdum idolis, non quod illis possit conuenire, sed quod idola illa, veri Dei haberentur à suis cultoribus, vt Iudicum cap. 17. *consecraui & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile, atq; conflatile.* Nisi quis malit dicere, Dei nomine; Dominum & Principem quendam magnum, ac potentem intelligi, sicut Gen. 33. capite sumitur. *Vidi tuam faciem*, ait Iacob ad Esau, *quasi faciem DEI*, & Exodi 22. *Diis non detrahes*, & 8. cap. *Constitui te Deum* *Pha-*

Iren. lib. 3. c. 24. Aug. l. de hæresibus c. 46. Aug. lib. 21. contra Faustũ, 89. Cyrill. lib. 1. contra Iulian.

Quare, Sathanas dicatur Deus huius seculi.

Ori. in 14. c. Rom.

Pharaonis. Dicitur autem Sathanas, huius seculi Deus, sicut mundi princeps, quia (ait Basilius) *in hoc solo seculo & mundo, potestatem habet tentandi & pertrahendi homines ad peccatum.* Alij, per *seculum*, siue *mundum*, homines tum natos, tum viuentes in peccatis, interpretantur, diaboli laqueis irretitos, eiusque imperio subiectos; iuxta quod scriptura, sine vlla limitatione, omnes homines solet vocare peccatores, vt ad Rom. 3. *Causati sumus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptũ est, non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt, similiter inutiles facti sunt, non est vsque ad vnum.* Et iterum, *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* Gal. 3. *Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi, daretur credentibus.* Diaboli igitur principatus in homines, tam ex parte hominum, quam ex parte peccati, considerari debet: Nam per Christum, diaboli iugum, seruitus & potestas fracta & ablata sunt, & quantum est ex parte Christi, omnes sunt liberati à Dæmonis principatu, sicut, si quis supremus princeps, subditos & vasallos alteri⁹ inferioris principis, à iuramento, & obligatione subiectionis absolueret, diceretur vere potestatem inferioris principis infirmatam destruxisse, principatu priuasse, foras eiecisse, quantum ad dominium & potestatem, quamuis multi illorũ manere vellent sub eo inferiore; quia iam non ex necessitate, nec ex subiectionis obligatione, illi manerent: Dicitur autem Deus huius sæculi, mentes hominum excæcasse, quia spiritualis visionis amittendæ ocasionem dedit, sicut & indurasse, quod veram causam inducendo, ad pertinaciam adhibuerit, vt in suo iniquo proposito, contra prædicationis Euangelicæ legem, & fidei doctrinam, homines perseuerarent.

Basil. homilia, quod Deus non sit author malorum.

simile.

Quæ doctrina, nõ modo humanitatis Christi humilitatem, sed etiam diuinitatis eiusdem gloriam, admirandã prædicandam, & prosequendam omnibus, editis signis, prodigijs, & admirandæ virtutis operibus, proponit. Vox enim Christi est, *Ego lux, veni in mundum, vt omnis qui credit in me, non maneat in tenebris.* Dicitur quidem, & ipse Deus homines excæcare, cum sæpe, propter peccata ipsorum, iuste denegat auxilium, quo impedirentur mala, per quæ, in mentis cæcitatem & affectus obdurationem labuntur; quamuis, ob suam misericordiam, auxilium non deneget, vt liberum sit omnibus, si velint, in ea mala non præcipitari: Quomodo Deus dicitur in scriptura excæcare, obdurare, decipere, spiritum erroris im̃ittere, *vt credant mendacio*, ait in posteriore, ad Thessalonicenses, *quia charitatem veritatis non receperunt.* Deo etiam tam obduratio quam excæcatio tribuitur, quod ea faciat, quæ peccatorib⁹ occasio sunt cæcitatis & obdurationis, quãuis à Deo ea intentione nõ fiant, quemadmodũ eleganter declarat D. Hieronymus Epistola ad Hedibiam, quæst: 10. hoc vtens exemplo, *Sol lumen suũ expandit, quo calt facit, ex diuersa tamẽ corporum dispositione fit, vt vnum rarescat, alterum obduretur: mollescit enim cera, induresci lutũ: Sic vno diuino opere bono, mali ob suam maliciã, peiores fiunt, boni vero meliores*: Nã, vitam bonis & malis Deus impertit, temporalia bona his & illis communia facit, vt bene operentur; at mali suasore cacodæmone, vita longiori, & temporalium copia peiores fiunt, quib⁹ boni gratia diuina adiuuãte, meliores. Qua ratione, sua doctrina & miraculis, dicitur Iudæos Christus excæcatos obdurasse, quib⁹ illi auaricia, inuidia & superbia maius odium contra eũ conceperunt, magisq; errandi captarunt occasionẽ, Et quod omnibus

Quomodo Deus quo modo Diabolus dicantur excæcare

vt ve-

vt veritate cognita, salutẽ cõplecterentur, à Christo factum est, ipsi in suam pernitiẽ conuerterunt. Non igitur erroris Iudęorũ causa fuit Dñs, sed ipsi sibi, iusto Dei iudicio id permittente.

Qui est imago Dei.

Cum ab exemplari, distinctũ sit imaginis nomẽ, non aliter, ac res producta à producẽte, clarũ est, nõ essentiæ sed personæ Patris hoc loco, Christum à Paulo, imaginẽ appellari; Illius n. imago est, cuius est filius. Ad imaginis n. rationẽ spectat, vt non modo rei similitudinẽ gerat, cuius est imago, sed vt ab eo, tanquã similis, aliquo modo procedat, seu exprimatur. Quod D. August. lib. 83 quæst. 73 & 74. accomodatissimo exẽplo probat. *Omne quippe ouũ*, inquit, *omni ouo, in quantũ ouũ est, simile est. Sed ouum perdicis, quamuis ouo gallinæ simile est, tamẽ imago eius non est, quia non est de illo expressum, neq; etiã æquale, quia breuius est.* Est itaq; Christus, Patris, à quo generatur, expressus character; siue speculum sine macula, diuinæ maiestatis, *& imago bonitatis illius*, vt author est Sapiens, & vt in ea, quæ est ad Colos. ait Apostolus *Dei inuisibilis imago, & primogenitus omnis creaturæ, siue splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Ideo Ecclesiast. 23. dicitur, *ex ore altissimi, hæc imago primogenita, ante omnẽ creaturã prodijsse*, quod Patri sit simillima, loquendi vsu sumpto, ab ijs, qui Patri filiũ esse volentes simillimũ declarare, eum ex eius ore exijsse dicunt. Cum ergo Christus dicitur patris imago, sequitur eum Dei gloriam mundo multis argumẽtis manifestare debuisse.

Chrysost. Theoph. Theodoretus in cap. 1. Epistola ad Hebraos. cap. 1. Basil. Epist. 43.

Sap. 7.

Col. 1. Hebr. 1.

Non enim nos metipsos prædicamus, sed Iesum Christum, Dominum nostrum, nos autem seruos vestros, per Iesum.

Hæc consequentia, ait Chrysostomus, *quid cum dictis habet commune? vel illos*, ait, *perstringit, quod seipsos extollant, & persuadeant discipulis, vt ipse nominari velint: id quod in priori dicebat: vel id eorum causa, dictum putat, à quibus Christi fides, vehementius oppugnabatur, sibique insidias tendi sentiebat. Quasi* (subijcit idem Chrysost.) *diceret, non enim nos impugnatis, sed oppugnatis eum, qui per nos prædicatur, non enim nos ipsos prædicamus. Nam ego seruus sum, ego minister sum, & vnus ex his, qui prædicationis munere funguntur, alteri omnia concilians, & pro illius gloria omne, quicquid est, faciens, & ita me impugnantes, etiam illa, quæ illius sunt, destruitis.*

Alij interpretes, præsentem sententiam, ad ea, quæ præcesserunt, nempe *commendantes nosmetipsos*, referentes, huc sensum reddunt: Prædicationis Euangelicæ scopus, est vna Dei gloria, & Christi (qui noster Dominus est, vt qui magno sanguinis sui precio nos emit) doctrinæ extensio, vnde mortalium salus procurata, maius indies, sumere possit incrementum: Non vero ex prædicatione illa, vanam hominum gratiam, aut fauorem, per inanem arrogantiam, aucupamur, non honores, aut dignitates per ambitionem, quærimus, non opes aut diuitias, per auaritiam, sectamur: sed laboris nostri, tanquam seruorum, fructum, ad Dominum Deum nostrum spectare volumus, ex quo, nihil decerpere cogitamus, nisi quod liberalitate sua bene, diligenter, ac summa fide operantibus promisit, vitam æternam.

Quis Euangelicæ prædicationis scopus esse debeat.

Cum

Cùm enim, *non quæ nostra, sed quæ Christi IESV sunt, quæramus, linguæq; nostræ, velut calami sint scribæ, velociter scribentis*; vt scripturæ elegantia, non calamo; sed scriptoris arti tribuitur, ita prædicationis nostræ gloria, spiritui sancto, non verò nobis est adscribenda. *Nunquid gloriabitur securis*, ait Esa. c. 10. *contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra, contra eum, à quo trahitur?* *Philip. 3.* *Psal. 44.*

Ideo *nos ministros*, ait, *per Iesum* potius, quàm vel Antistites, vel pastores existimatos volumus; & me inprimis, *qui omnium me seruum feci.* Non quod principum politicorum, se vile mancipium dicat Apostolus, prout impius Brentius voluit, & Caluinianus grex, aliqñ per adulationem, suo damno docuit; Nam aliquod seruitutis genus est, quo omnes, qui in alterius co mmodum laborant, dicuntur seruire, cum nempe regẽdo, eiq; præsidendo; qua ratione Rex, si Tyrannus nõ est, populo, Pater filijs, Magister discipulis, dicuntur seruire: Quo genere seruitutis, toti Ecclesiæ, cum alijs Apostolis & Successoribus Episcopis, seruiebat Paulus, non verò obediendo, parendo, & se viliter omnibus subijciendo, quod mancipiorum & prædicantium Lutheranorum, est proprium. *Diuersum serui tutis genus.*

Quare 1. Cor. 4. Quorum se dixerat seruum, eorũ se patrem esse dicit Apostolus. *Per Euangelium*, inquit, *ego vos genui*, Et addit, *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* Heb. 11. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Et Act. 20. *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Qua ratione, B. Gregorius, se *seruum seruorum Dei* appellauit; quem ipsius posteri Pontifices Max. in hoc genere, sunt imitati.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris, lumen splendescere: ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.

Serui, non Domini se partes agere, Christi vnius, non proprium tractare negotium, pbat ex eo, quod à Deo, tanquã à sole, quoddã astrum, scientiæ diuinæ lumen acceperit, in alios passim diffundendum. Quemadmodum, inquit, in prima mundi conditione, *cum essent tenebræ super faciem abyssi*, sine vlla molestia & labore, mandauit Deus, vt chaos illud. lux esset, quæ facta splenduit: ita, cùm in tenebris ignorantiæ versaremur, illuminans nos Deus tanquã rutilantia quædã sydera, selegit, diuinum & spirituale lumen, ab ipso primo sole, & ipso lucis fonte recipientia, *ad illuminationẽ scientiæ claritatis Dei*, hoc est, ad hoc, vt gloriæ diuinæ scientiam alijs, tanquam alia minora mundi lumina, cõmunicata doceremus.

Gen. 1

Psal. 148.

Ministri ecclesiastici se non tam Dominos quam Christi seruos reputare debẽt.

Erat quidem prius inuisibilis lux illa, ait D. Ioann. & spiritualib⁹ oculis, p fidẽ tanùm cernebatur; At Christo p carnẽ, veniente in mundũ, visibilis facta est oculis & sensib⁹ corporeis; exteriori verbo, & potentiæ suæ operib⁹ illustrans, hoc est, docens & viuificans homines, iuxta Paulum 2. Tim. 1. *Gratia*, inquit, *quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia; manifestata est autem, per reuelationẽ Domini nostri Iesu Christi.* Quæ *lux, in tenebris lucere* dicta est, quod mundum ingrediens Saluator homines Deum ignorantes, & à via salutis aberrantes inueniens, se eis postea veritatis doctorem exhibuerit.

Quę

Quæ lux, etiã dicitur lucere sem p, q a Christ⁹ post suã Ascensioné, p suos Apostolos & eorũ successores, totãq; Ecclesiã, inter infidelitatis & hęreseos tenebras, sem p in toto vniuerso, lucet: Ideo adiunxit, *In facie Christi Iesu.* Græci, loco *faciei personã* legũt; q̃, Dei Patris facies dicit̃, eò q, p Christũ, Patris gloria cognoscat̃: Eã ob causã, alibi *in Christo, oẽs Thesauri sapiẽtiæ & scientiæ absconditi* dñr, q, eũ aspicientes, arcana diuinitatis, quantùm humanę naturæ infirmitas patitur, penetramus. Cum enim Patris & filij, vna sit diuinitas; qui Christũ videt, & patré videt; Non quod corporis visione possit Deus videri, sed p aliud: Quando enim Deus olim in corporeis figuris apparebat, videri dicebatur oculo corporeo, non q dé in se, sed in figura repræsentãte: qua ratione, q xp̃m intuebant̃, Deũ nõ p se, sed p humanitaté, videbant. *Ioann. 14. Ioan. 15.* *Quomodo per Christũ Deitas videatur.*

Habentes autem thesaurum in vasis fictilibus.

Lucis Euangelicæ diffundendæ gratiã, *thesauro* cõparat, quasi humana corpora, fictilib⁹ vasis ex luto, terra & limo conflatis, esse similia innuat; q, caduca, mobilia & interitui obnoxia sint. Licet porrò, anima humana frangi non possit, quæ hunc eundé thesaurum, vnà cum corpore, custodit; quia tñ animæ facultates, vires & operationes, à corpore fragili dependent, ideo ex anima & corpore cõstans homo, *vas fictile* vocatur, nõ modo ob facilé vnius ab altero separationé, sed q a Apostoli, hac adhuc lucis vsura fruentes, multis miserijs & calamitatib⁹ obnoxij, quotidie morti videbantur destinandi. *Thesauri* nomine, Christiana fides, & doctrina Euãgelica sæpius in scriptura appellat̃, tanq̃ res, quæ satis æstimari nõ possint. sicut q tñ habent pecuniæ, vt ea numerari nõ possit, thesaurũ habere dicuntur. *Quid Thesauri nomine scriptura intelligat.* Hu-

humana cogitatio conseq non possit; Deo tamen ita visum est, ait Paulus, vt nos, licet vasa testea, licet puluis & cinis simus, toti mundo illũ aperiremus, simulq; ad opes ex eo hauriendas, omnis generis inuitaremus homines; quia veræ diuitiæ reperiuntur in hac sola *sapientia, quam* (ait sapiens) *regnis & sedibus præposui, nihilq; duxi diuitias* (nempe falsas & inanes) *comparatione illius.* Cum porrò, potentiam & virtutem, huius *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, mirabilia eiusdem effecta, faciant testatam, non viribus nostris ea adscribimus, sed diuinæ virtutis operibus.

Esa. 33.
Sap. 7.

Quanti pretij sit thesaurus Euangelic. declaratur

Nam, quæ miracula & signa, ad huius thesauri commendationem & amorem per nos, hactenus sunt edita, humanę facultatis vim longis interuallis exuperant; nec enim opis nostræ erat, ait, ad eam sapientiam prosequendam & amandam, hõies natura sua ad malum procliues adducere; nisi gratiæ, fidei, patientiæq; donis, cœlitus imbuti fuissemus, quibus aspera & acerba, quæq; in hoc officio nostro exequendo erecti, superaremus.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.

Dum Christi negotium strenuè tractaret Apostolus, licet impiorum furore atq; impetu diuexatus, tormentis corpus ipsius atrociter cruciaretur; cor tamen & præcordia interiora, gaudio maximo gestiebant; dũ enim foris persecutorũ verbera & molestiæ illum premerent, intus per gaudium, spiritu's dilatabatur: quemadmodum sibi etiam accidisse gloriatur Regius Vates psal. 4. *Cum inuocarem*, inquit, *exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi: Fluminis* siquidem *tribulatio-*

Iustis hõibus huius mundi tribulationes nõ sũt sẽper molestæ, sed sæpe iucundæ & dulces.

lationum impetus lætificare ciuitatem Dei, sæpe testatur Apostolus, vt quã adeò non conturbant, quin etiã eiusdẽ ciuitatis incolas exhilaratos, sũma dulcedine pfundant, dũ spiritualib⁹ donis ciuitas, Dei reficitur. Vnde, *in* hac ciuitate posit⁹ Paulus, cum circũquaq; fluminis impet⁹ allueret, ita, *vt int⁹ pugnas, foris sẽtiret timores*, ita, *vt tãquã ouis morti destinata videretur*, dicebat tñ se in tribulatione gaudere, atq; etiã gloriari, sciens, quoniã *p varias tribulationes, oportet ingredi in regnũ Dei.* Nã (vt supra dictũ est) *sicut abundãt passiones Christi in nobis, sic & p Christũ, abundat consolatio nostra: Et si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum.*

2. Cor. 7.
Roman. 8.
Rom. 5.
Actor. 4.
2. Cor. 1.

Verbo, *angustiari*, vsus est, q, sicut consolatione & gaudio interiori, spiritus intra se dilatatur, ita tristitia, constringitur & coangustatur.

Aporiamur, sed non destituimur.

Nũquã deerat, primis Euangelij præconib⁹ vexatio; Nam Tyranni, flagris & verberibus Christianorũ afflixisse corpora minimè contenti, si quas, ad vitæ ppriæ, & credentium leuandam necessitatẽ, ipsis esse fortunas intellexissent, eas p sumam auaritiã, diripiebãt; vt quos frangere corporis cruciatus non valuissent, allatis aliundè famis, inediæ, & aliarum pturbationum occasionibus, in desperationem quandam adductos, tædio quodam animi, à sententia dimouerent.

Deus, cultores suos nunquã deserit.

Sed non destituimur, ait Apostolus; nempe, Dei consilio, ope & auxilio; Hanc enim iustorum curam gerit diuina puidentia, vt eorum neminẽ ab ea derelictũ, audacter dicat Psalmograph⁹, *Nihil n. timẽtibus Deũ*, inqt, *deesse potest, q nunquã omni bono minuentur: Pauperẽ qdem vitã gerimus*, dicebat Tobias, *sed multa bona habebimus,*

mus, si Deum timuerimus. Qui enim dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, nonne sui nōis cultoribus aderit in oportunitatibus & tribulatione adiutor? Vnde subdit:

Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.

Fidelis enim est Deus, *qui se ipsum negare non potest,* quia diligentissimè præstat, quæ suis promisit. Promissa autem eius sunt: *Non te deseram, nec derelinquam, nec quenquam patiar tentari vltra, quam posit sustinere, sed faciam cum tentatione prouentum: Cum ipso enim sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum;* Suos enim Athletas, ita patitur exerceri Dominus, vt licet, *insipientium oculis videantur mori*: ipsius tamen gratia, *sint in pace,* nec n. calamitatibus colliduntur, *quia Dominus supponit manum suam.* Iosue.1.cap. Hebr.13. Psal.90. Tit.1.

Ideo apud Isaiam cap. 43. dicit, *Noli timere, quia ego tecum sum*; quasi omni loco, tempore, occasioneq; iustorum in afflictionibus positorum, singularem se gerere rationem significet Dominus: In quam sententiam, iustorum alicui videtur dixisse Iob, 11. cap. *Cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.*

Humiliamur, sed non confundimur: Deiicimur, sed non perimus.

Quia carnis cupiditatibus & mundi lenocinijs omninò contraria, ex Christi instituto, prædicabant Apostoli, carnis prudentiam in contemptionem adducturi; ideo à filijs huius sæculi, quibus diuitiæ, voluptates & honores summa erant felicitas, tanquam fatui ridebantur. Hæc causa est, quod alibi se vo-

cet Apostolus *Peripsema*, siue purgamentũ, imo stultũ & ignobilẽ, ppter Christũ, qa cũ paupertatẽ, animi demissionẽ, patientiã, iniuriarũ condonationẽ, charitatis studiũ, castimoniã, veri Dei cultũ, & obseruantiã ppo- neret, eius vita & doctrina, æstimabatur à mundo *insania, & finis eorum sine honore*.

Sap. 5. Cum itaq; stulti, fatui, humiles, obscuri, tanq̃ indigni lucis huius vsura haberent Apostoli, *non deijcimur*, ait, dementis statu, nõ languemus, nõ vacillam⁹, nõ erubescimus, non cõfundimur, quia nunq̃ nobis deest, q̃ xpi hostib⁹ respondeamus, suggerente nobis sem̃p cœlestis Patris nr̃i spiritu, qd dicere debeamus. Magnũ quidẽ aduersariũ habemus mundũ, *in quo pressurã habemus*; sed maior nobis est ille auxiliator, à quo mundus cũ Diabolo & carne est vict⁹. In Christo n. pacẽ, fortitudinẽ, cõstantiã, spẽ, & fiduciã cum habeamus, in maximis periculis imoti, nõ pturbamur, sed interriti, trãqlli, cõpositi, pacati manemus: Premimur quidẽ, sed nõ opprimimur: egestate laboramus, sed non succũbimus aut deficimus. *Deo autẽ gratias*, inqt alibi, *q dedit nobis victoriam, p Dominũ nostrum Iesum Christũ*. In quã sententiam, ait D. Ioan. *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eũ*, (mundũ) *quoniam maior est, q in nobis est, quã qui in mundo. Omne n. q̃ natũ est ex Deo, vincit mundũ, & hac est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*.

Fides est Christianorũ victoria.

Ioann. 16.

1. Cor. 15.

1. Ioã. 2. 3. 4

Ephes. 6. Dicebant Apostoli, sicut nos, vicisse, non q̃ nulla in illis, sicut in nobis pugna restaret: (restabat n. & quidẽ magna, nõ aduersus carnẽ & sãguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mũdi Rectores tenebrarũ harũ, cõtra spiritualia nequitiæ in cœlestib⁹) sed qa nobis, sicut illis, p mortẽ xpi, vincendi potestas, facta est, Vicimus n. eum, quia si volumus, vincere possumus.

Semper

Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes: vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.

* Quod hic *mortificatio* vocatur, D. Ambrosius mortem interpretatur, In quam sententiam, Galatis scribit, *se stigmata Domini nostri Iesu Christi*, tanquam insignia, more seruorum, *portare* multas eiusdem causa, calamitates in sua carne patiendo: In qua *adimpleat ea, quæ desunt passionum Christi*: Ingenuæ siquidem Christianæ seruitutis characteres, sunt contumeliæ, conuitia, verbera, mortis pro ueritate & iustitia intentatæ pericula, in quibus sæpissimè gloriatur Apostolus, vt nemini, præterquam Christo, quicquam in se iuris competere significaret: vt q bus sic, ipse notatus insignibus sit, sicut mancipiorum frontibus inusto stigmate, certi Dominorum serui dignoscuntur. *Colos. 1.* *Verum Dei seruum se esse probat Apostolus per quadam signa.*

Tantus n. Apostoli mentem in Christũ amor incẽderat, quantum *multæ*, miseriarum *aquæ, non possent extinguere*. Licet enim, assidue cum Regio vate posset dicere, *Circumdederunt me dolores mortis*, tanta tamen, & tam valida charitas, ipsius carnem peremerat, vt sicut mortuo, mors sensum adimit, ita mundani sensus expertem, charitas ipsum reddidisset; vnde dicebat: *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Habebat enim ea, à quibus tanquam à cruce & patibulo, mundus abhorret; nempe animi demissionem, corporis macerationem, abstinentiam, dolores, verbera, persecutiones, aliaque quæuis veræ virtutis & pietatis opera: Propterea *mundo sum*, dicebat, *crucifixus*, hoc est, ita despectui habitus, atq; si in patibulo, tanquã malefactor, strãgulatus penderem. *Mihi* quoque *mundus crucifixus est*: *Cant. 8.* *Psal. 114.* *Quid sit mundo crucifigi.* *Gal. 3.*

 quia

Gal. 5. quia quicquid ille amat, suspicit & ambit, vt sunt honores, diuitiæ, voluptates, ego illa despicio, vt res vilissimas & cruce dignas.

Eiusmodi namq; parit in homine iusto & vero Dei cultore, diuina gratia affectum, vt nouam plane creaturam generare videatur: quemadmodum & ipse dicebat Apostolus, *Iam non viuo ego, viuit vero in me Christus:* Quia, si quis præteritæ vitæ Pauli statum, cum præsenti contulisset, nouum hominem effectum vidisset, transformatum videlicet, in alium virum, vt quæcunque mundo asperrima viderentur, illi acciderent iucundissima, modo in illis Christum inuenire, aut ei⁹ amplificata gloria, eidem obsequiū præstare posset: vita n. siue potentia, & vigor Christi, qui erāt in eo, hoc efficiebāt.

Semper enim nos qui viuimus, in mortē tradimur propter Iesū, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.

De perpetua passionis Christi memoria, hunc & præcedentem textum, exponit Origenes, in c. 6. epi. ad Rom. *Certum est*, inquit, *quia vbi mors Christi circumfertur animo, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam Christi mortem intentis mentis oculis inspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare posit inuidia: sed continue ad eius præsentiam, totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.* Hæc ille. Duobus enim contrarijs simul oppositis, vt V. G igne & aqua, quod imbecillius est, cedat necesse est fortiori. Maxime autem contraria sunt Christi passio, & peccatum. Nam *Christus de peccato*, hoc est, de corporis sui hostia, *in carne damnauit peccatum.*

Admirandæ virtutes crucis & passionis Christi

Rom. 8.

Vnde

Vnde tot, & tantas in passione Christi virtutes dicit elucere Apostolus, tot charitatis erga nos indicia, tantum & tale Redemptionis beneficium, vt eius attenta consideratione, peccatum consistere, cum Christi passione nequeat: Ideo, se admodum sæpe in mortem patiebatur tradi, vt & vita Iesu, qui per mortis suæ virtutem, de varijs malis & præsentibus mortis discriminibus eum eripiebat, in sua fragili, & infirma carne, gloriosa manifestaretur, tanquam auxiliatrix fuisset oportuna malis, quæ Paulo grauissima iminebant; Christi enim vita, quæ ærumnis erat plena, quæ pauperiẽ, quæ famem; quæ sitim; *(non enim habebat vbi reclinaret caput suum, esuriȷt in deserto, sitiuit ad puteum)* quæ verbera; quæ spinas; quæ alapas sustinuit, quæ denique crucem, & in cruce clauos, & lanceam tulit, in ipsa carne nostra, ait Paulus, debet manifestari, non in sola animi præparatione, non in nuda gratiarum actione; sed in liuore, in pœnarum acerbitate, conspicua & illustris debet apparere. Hinc toties inclamat, *Mortificate corpora vestra, quæ sunt super terram.* Nam quemadmodum, de seipso Christus loquitur, *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: ita de nobis, ait Apostolus Act. 14. *Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei*; Quæ causa est, quod in mortem tradebatur Apostolus, vt & *vita Iesu*, qui eripuit eũ de mortis periculis, resplenderet in mortali, & imbecilla sua carne.

Quomodo Christum imitari debeant Christiani.

Gal. 5.

Crux Christi via ad calum

Ergo mors in nobis operatur. Vita autem in vobis.

Nunc, inquit Apostolus, propter Christum, in mortem nosmetipsos tradi patimur, vt xp̄s ab æterna morte liberatos, ad vitam perennẽ vos deducat: Nam propter Euangelij p̄dicationẽ morimur, vt vos p̱ ipsã, in xp̄m cre den-

dentes, spiritualiter viuatis. Anxietates, & maxima discrimina nobis illata, mortis nostræ sunt causæ: fides verò, pietas, religio ac reliquæ virtutes, ex his originem trahentes, in nobis vitam operantur. Per *vitam* enim Photius & alij Græci, fidem & religiõem intelligunt, quæ in Corinthijs, per Apostolorum afflictiones, mirifice augebantur.

Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.

Qui spiritus sancti donis & virtutibus sunt cumulati, spiritum dicuntur habere: ea autem dona, multa & multiplicia esse docet Apostolus. 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Alij datur per spiritum, sermo sapientiæ, alteri secundum spiritum, sermo scientiæ, alteri fides in eodem spiritu.* Inter gratias & virtutes hasce, est fides; quæ tam ad propriam, quam ad totius Ecclesiæ vtilitatem conceditur; Eiusmodi dono præditi fuere multi Patriarchæ & Prophetæ, qui tam de futura Christi œconomia sunt vaticinati, quam de dispensatione eiusdem, aduentus prænuncij fuere: Eiusdem spiritus sancti suggestione, qua medijs in calamitatibus, locutus est, ex fide V. G. Dauid (inquit Apostolus) eadem commotus loquor: Quasi diceret; sicut fidem, Regius vates, de Dei tum bonitate, tum veritate habuit firmatam, quam & summa fiducia annunciauit; sic *nimis humiliatus*, hoc est, quia in medijs persecutionibus constitutus, in Christum & eius resurrectionem credidi, ideo sine trepidatione, sũma autem constan-

constantia, eandem prædico, & confidenter annuntio certa spe fretus, eiusdem resurrectionis Christi, nos aliquando participes futuros.

Veteris & noui Test. vnus & idem auctor.

Ex quo fit euidens, veteris & noui testamenti moderatorem, vnum & eundem esse spiritum, cuius afflatu, veri Dei cultus, siue religio est conseruata & propagata. Hinc Augustinus, antiquos, iustos, quicunq; esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, per fidem scilicet, incarnationis Christi, affirmat, & lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. c. 2. *Quantoslibet virtutibus fuisse*, inquit, *antiquos prædices iustos, non eos saluos fecit, nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum, sanguinem fudit*. Hieronymus ait, *vox est, credidi propter quod locutus sum. Vnde ait Apostolus (hoc scilicet loco, habentes autem eundem spiritum) quid est autem eundem spiritum, nisi quem illi quoq; habuerunt, qui ista dixerunt? Psalmi porro. 115. initium in sensum mysticũ applicat Paulus, vt cuiusq; iusti, & potissime martyrum cordis fidem intrepide prædicantium, qui se beneficiorum Christi intuitu, ad mortis calicem cum ipso Christo bibendum sese exponunt: Quales* sunt qui, *quod animo credunt, ad iustitiam, ore profitentur ad salutem* & resurrectionis consequendum mercedem. Christi siquidem sententia est, quod *omnis qui me confessus fuerit, coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis*. Sic apud Lucam, cum ad tolerandas persecutiones his verbis, omnes, in discipulis suis animauit: *Qui voluerit animam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam*; paucis interiectis subiecit: *Nam qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.*

Aug. Epist. 83. ad Hilar.

Quam salutem consecuti sunt veteris Test. Patres, eam per noui Test. fidem, impetrarunt.

Matth. 10. Luc. 9.

Rom. 10.

Rom. 10. Aug. lib. de fide & Symbolo.

Eandem salutis consequendæ conditionem, videtur Romanis præscripsisse Apostolus, *si confitearis*, inquit, *in ore tuo, Dominum nostrum Iesum Christum, & corde credideris, quia Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris.* Quam conditionem expendens Augustinus, *Fides*, inquit, *à nobis officium exigit & cordis, & linguæ*, ait enim Apostolus; *Corde creditur ad iustitiam, &c.* Oportet nos esse & iustitię memores, & salutis; quandoquidem in sempiterna iustitia regnaturi, à præsenti maligno sæculo salui fieri non possunt, nisi & nos ad salutem proximorum mentis, ore etiam profiteamur fidem, quam corde gestamus. Quare monet D. Gregorius Nazianz. in quadam oratione, *non esse in fide vtroq; poplite claudicandum, nec dispensatione vtendum.* Æquum est enim, vt Christi cum membra simus, ipsum in corde per fidem, in ore verò per confessionem iugiter habeamus, quo gloriæ ipsius tandem esse possimus participes: Eius enim voluntas est, *vt vbi ipse fuerit, ibidem sit & eius minister, & vbi corpus erit, ibi congregentur aquilæ.*

Rom. 8. Matth. 24.

Scientes, quoniam, qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.

Frustra Lutherani, Euangelium, & iustificationem nostram in Christum, nihil aliud existimantes, quam peccatorum gratuitam per Christum, remissioné, certam sibi resurrectionis spem pollicentur. Resurgent quidem, sed ad iudicium, non ad vitam, sed ad interitum, nec ad mutationem in melius, sed in peius. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

1. Cor. 15.

Aug. de spiritu & lit. cap. 29.

Qui sibi resurrectionis certitudinem gratulantur, aduertant quid dicat Augustinus, *per fidem credimus,*

quod

quod Deus nos à mortuis excitet; interim ſpiritu, vt in nouitate eius gratia, temperanter & iuſtè viuamus in hoc ſeculo: poſt etiam carne noſtra immutabiliter reſurrectura, quod meritum ipſius ſpiritus eſt, qui eam in reſurrectione ſibi congrua, hoc eſt, in iuſtificatione præcedit. Qua ſententia, ſpiritualem reſurrectionem, quæ ſit in nouitatæ vitæ, & eſt iuſtificatio noſtra in Chriſto, vocat alteri reſurrectioni corporali, & gloriam congruam, & reſpondentem: quia vna non eſt, ſi altera non eſt; & hęc, illam debet præcedere.

Atq;, hæc reſurrectio, iuſtificatio tota noſtra eſt, atq; adeò totum Euangelium Chriſti. Vnde S. Baſilius, *Si quis definiens, dicat Euangelium eſſe formam vitæ, quæ eſt ex reſurrectione, mihi nunquam videtur à vero aberrare*: Cui conſonat Apoſtolus, *Si enim complantati, facti ſumus ſimilitudini eius* (id eſt, ſi ſicut ille corpore in cruce, ſic nos peccato in Baptiſmo mortui ſumus) *ſimul & reſurrectionis erimus*, id eſt, ſimul cum Chriſto reſurgemus; nos quidem ad totius vitæ nouitatem, ille verò ad totius corporis gloriam. Item *ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora noſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis*, id eſt, in virtute ſpiritus ſancti, in nobis habitantis. Hoc ſpiritu, cū Sectarij careant, vt qui gratię dona, menti humanæ inhærentia, inficientur, nec operum bonorum exercitia admittant, non eo reſurrectionis genere excitabuntur, quo Paulus eſt ſuſcitandus; Atque nec Lutherani cum Apoſtolo, in reſurrectione ſunt conſtituendi, quia communem cum eo fidem non habuerunt. *Omnis enim qui credit* (fide ſcilicet viua, quæ per charitatem operatur) *in me*, ait ipſa Reſurrectio, *viuet, etiamſi mortuus fuerit.*

De ſpiritu S. cap. 15.

Iuſtificatio eſt ſpiritualis reſurrectio: quæ corporalem reſurrectionem debet præcedere.

Rom. 8.

Omnia

Omnia enim propter vos: vt gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

Vt Christianæ virtutis iacta Corinthi fundamenta proueheret, donorum diuinorum, quibus affluebant Apostoli, Corinthiorum salutem, vnum scopum, in Dei gloriam redundantem esse, declarat; Quasi diceret: Illuminationis Euangelicæ gratia, cœlitus donati sumus, ob vestri vtilitatem, & singulare commodum spirituale. Euangelici etiam præconij causa, acerbissima quæq; in carne nostra patimur & premimur, sed nõ opprimimur, quia *virtute ex alto induti*, ad resistendum propter vos sumus, vt exuberans Dei in nos gratia, in gloriam Dei exuberet, vt cum vos resurrectionis futuræ spe fulcimini, (in qua laboris vestri vberes reportabitis fructus) pro tot exul. vberantibus donis & beneficijs, in communi gratias agentes, abundè Dei gloriam extendatis.

Luc. 2.

Propter quod non deficimus.

Quę Christi causa, in resurrectionis spem erecti, crudelissima iugiter patimur, à fidei persecutoribus & Tyrannis, inquit Apostolus, tantùm abest, vt nos frangãt, aut debilitent, vt nobis potius animos addant; Nam corporis nostri sensus, dum fame, siti, verberibus, vigilijs, &c. atteruntur, animus gaudio interius gestiens refloreſcit, & quo magis afflicta caro pulsatur, eo validiores menti vires accrescunt. *Vnde mirabili dispensatione fieri dicit*, Gregorius, *vt quod exterius affligit, interius reficiat.*

Greg. in Iob. c. 5

Sed

Sed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.

Quia oculorum obtutibus, humana caro obiecta eſt: ideo *foris*, id eſt, omnium conſpectui dicitur patere, phraſi verò ſcripturę, altera hominis pars, homo per Synechdoché, ſicut è contra totus homo, carnis nomine, ſæpe appellatur; ſicut & hìc, mens, pro interiori homine ſumitur. Licet, ait A poſt. exterior homo, ſiue corpus, quotidianis afflictionibus, ærumnis, calamitatibuſque afflictũ videatur intermori (*nam quod ſeneſcit & antiquatur, prope interitũ eſt*): attamen interior, ſiue mẽs ipſa, ſpiritus ſancti gratiæ virtute, ita in dies reuireſcit, *vt velut aquila videatur renouare ſuos canos.* Noſtrum enim hominem internum, qui ſpiritu conſtat, eo robore confirmat, quę *per charitatem operatur fides*, vt licet hominum opinione, mortis diſcrimini homines iuſti exiſtimentur obnoxij: intus tamẽ maximè ſint viuidi. Nam momentaneæ afflictiones, quę S. hominibus à pleriſq; noxiæ & mortales exiſtimantur, æternam ac ſolidam gloriam illis pariunt, qui non ad hæc viſibilia & tranſitoria, ſed ad æterna & inuiſibilia, mentis oculos directos habent. Vitiorum ſiquidẽ rubigine purgatã mentem, vehementer illuſtrat tribulationum ignis. *Oportet contriſtari in varijs tentationibus*, ait D. Petr. *vt probatio fidei noſtræ, multò pretioſior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti.*

Corpus vocatur exterior homo, mens interior.

Hebr. 8.

Tùm porrò interior homo, ſiue mens humana dicitur renouari, cum hominem Chriſto ſimilem, *& ſecundum Deum, in iuſtitia & ſãctitate veritatis creatum induit*, quemadmodũ vberius declarat in ea quæ eſt ad Eph. 4.

Quomodo homo interior renouetur.

Renouamini, inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.* Qui renouari iubetur, fuit aliquando non nouus, qualis erat primus parens noster, qui tàm secundũ carnem, quàm secundum mentem, sanctus erat; sed vtramq; partem, amittendo gratiam, ita vitiauit & infecit, vt, licet in hac vita mens, quo ad gratiæ recuperationem possit renouari, caro tamen, amissàm innocentiam, nunquam resartiat; tametsi *corporis sui redemptionem expectet*, vt idem Apostolus ait ad Rom. 8.

Animus quidem in agnitionem, secundum imaginem Dei, ad quam initio conditus fuerat, renouatur, cum per Christi gratiam, quotidie proficit, in agnitione Dei & sanctitate ac iustitia: Quib. donis, in eo renouatur imago diuina, quę per peccatum fuerat obscurata. Ideo Colossenses suos hortatur Apostolus, *vt expoliantes se veterem hominẽ cum actibus suis, induant nouũ eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum:* Christi siquidem gratia, iustitiam adipiscimur, quã primi parentis inobedientia perdideramus; Non quod aliquam naturę partem recuperemus, prout somniauit Illyricus, qui imaginis diuinę perfectionem, Adamo impressam, per peccatum, amissam fuisse delirauit. Quod somniũ, omnes ferè Patres, eo ipso semper habuêre ludibrio, quod in ipsius hominis natura, quę peccati admissione, abolita non est, nempe in mente, quatenus intelligentia, memoria, voluntate est prædi-tus, vel secundum quod, non solum est homo, sed etiam intelligit diligitq;, suũ intelligere & suum esse vt Deus, vel etiam quatenus voluntate, atq; arbitrio est prędi-tus, quo cæteris animalibus imperans, diuinam imaginem impressam, in se retineri, communi sensu fatentur.

Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Stupidi prorsus, vel malitia potius sunt excæcati Lutherani, per summam impudentiam, se euangelicos, virosi parentis nomine dissimulato, appellantes, dum bonis operib. detrahunt; cũ ex hac Pauli sententia, intelligant, leuibus & momentaneis, huius vitę tribulationib. incomparabile, & sempiternum gloriæ pondus comparari. Quod idem est, ac iustorum opera, vitę æternæ, secundum communem Orthodoxorum consensionem, esse meritoria. Licet enim, *non sint condignæ passiones, huius temporis, ad futuram gloriam*, quod huius temporis passiones, breues sint; gloria autem illa æterna; Item quod leues existant, gloria porrò soliditatem ac pondus habeat infinitum & ineffabile; est tamen inter passiones, & gloriam æternam, & ob charitatis (ex qua proficiscuntur) dignitatem accedente diuinæ promissionis firmitudine, maxima & iustissima proportio. Rom. 8. *Paruo labore vita æterna in hoc mundo comparatur.*

Gratia etenim, quæ principalis causa est bonorum operum, & ipsa gloria, quæ est finis & merces eorum, eiusdem sunt ordinis & dignitatis: vtraq; enim est bonum quoddam spirituale ac diuinum, & participatio quædam diuinitatis, faciens hominem, *diuinæ consortem naturæ*. Ac differre tantum videntur secundum maius & minus perfectum: quod gloria sit gratia consũmata: & gratia, in hac vita, sit velut quædam inchoata gloria. Quæ causa est, quod D. Ioan. *nos* dicat *accipere gratiam pro gratia*: & Zach. cap. 5. *Quod ipse exæquabit gratiam*

tiam gratiæ. Vocat enim Ioan. gratiam *semen Dei*, manens in homine; & Paulus Gal. scribens: *Qui seminat*, inquit, *in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Quemadmodum enim, semen arboris, actu quidem paruum est, & im-

Proportio gratia & gloria.

perfectum, & longè minus arbore: attamen potestate & virtute, arbori æquale est; habet enim producendi vim vniuersam arborem: Consimiliter, licet in præsenti vita, gratia non sit actu æqualis gloriæ; tamen quodamodo vim producendi ipsam gloriam habet. Quamob-

Ioán. 4.

rem, gratia dicitur *fons aquæ salientis in vitam æternam*, secundum, illud Domini. *Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, in vitam æternam.* Hinc Apostolus, in ea, quam Romanis scripsit, cap. 8. *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, proper inhabitantem spiritum eius in nobis.*

Ex quo colligitur, quod licet Christi passio, multo breuior fuerit pœnis damnatorum sempiternis: tamen propter dignitatem personæ patientis, dignissima fuit, quæ pro illis pœnis iustissimè satisfaceret; sicut deliciæ peccatorum, incomparabiliter minores sunt tormentis gehennæ; quæ tamen propter Dei contemptioné, dignissimæ æstimantur, quæ illis supplicijs puniantur: Sicut (vt diximus) semen multo minus est, quod ad molé attinet, ipsa arbore, & tamen inter semen & arborem, tanta proportio est, vt semini rite in terrā iacto, naturali quadam iustitia, arbor debeatur: Ideo hic leues ærumnas & momentaneas passiones, æternum gloriæ pondus dicit operari, non quidem, vt Scholæ Theologi loquuntur, Physicè; sed moraliter & meritorie, quasi dictæ *afflictiones*, dignæ sint, quibus illa gloria, quamuis maxima & sempiterna, iusto iudicio tribuatur. Deus enim,

enim, est *iudex iustus*, qui sine meritis, præmium non elargitur, qui pro meritorum diuersitate, vitæ æternæ mansiones assignat: Quæ causa est, quod *personas dicatur non accipere. Nam si non sunt merita*, ait Augustinus, *quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Rom. 2. Gal. 3. 1. Pet. 1. Act. 10. August. Epist. 45. ad Valent.

Et licet Caluinus, iustorũ afflictiones dicat esse quasi notas & stigmata quædam, quibus Christiani, Christo similes efficiuntur, & illis insigniti, sunt digni, qui in regnum cælorum admittantur, non tamen propter meritum patientiæ. Attamen tribulationes Christi causa toleratæ, ex eo, meriti virtutem habere, fit perspicuum *quia quod solis notis respondet*, non dicitur corona, brauium, merces. Nam illa opera, si essent solum notæ veri Christiani, non diceretur Deus iusto iudicio & vt iustus iudex, præmia distribuere. At in ea, quæ Thessalonicensibus scripta est, *Gloriamur*, ait Paulus, *in Ecclesijs Dei, pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij Dei*. Item, *bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa*. Item; *non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis nostri*. Item: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* 2. Thessal. 2. 2. Tim. 4. Hebr. 16. Iacobi 1. Apocal. 2. Sine meritis, ne mini contingit æterna vita.

Græci quatuor antitheta in hac sententia annotant, ita vt *leui* pondus, *gloria* tribulationibus, *æternum* momentaneo, *sublime cælum* præsenti huic mundo, tempori subiecto, respondeat. Considera, aiunt, retributionis exundantiam, siquidem momentaneo rependitur æternum, leuitati pondus, afflictioni gloria.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.

Quæ non videntur, sunt ea, quæ antea *gloriæ pondus æternum, in sublimitate repositum*, appellauit, vt ab inani, & vana gloria illud distingueret, quæ hac in mortali vita, corporalib⁹ sensib⁹ obiecta, plurimos ab incœpto fælicitatis cursu, retardant. Qui, ait Paulus, rebus terrenis & mobilibus contemptis, ad ea quæ sunt priora, se extendunt, & seipsos ad destinatum brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu dirigunt, nostri sunt imitatores, & cohæredes futuri; Non quod terrenæ res, quæ in oculis & conspectu nostro sunt, natura sua malæ existant, si quis legitime ijsdem vtatur, cum optim⁹ Deus, eas initio creatas, esse bonas pronunciarit: sed ideo eas se minime contemplari dicit, quod eius tota consideratio & consuetudo esset in cælis, nec quicquã à mundo præsidij, voluptatis vel adiumenti sibi expetendum constituisset, qui totam suã spem in Deo collocaret. Alioqui *inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, & à magnitudine speciei & creaturæ*, dicit Sapiens, *earum cognosci creatorem. Sed hominis insipientia & peruersitate fit*, quod his terrenis & corporeis rebus abutatur, quibus ad suam fælicitatem vti poterat.

Philip. 3.

Quemodo cælestes res & terrenæ dicantur bona & inter vtrasque differẽtia.

Rom. 1.

Psal. 18.

Sap. 13.

Quocirca, illæ ipsæ creaturæ, quibus abutuntur insipientes, & stulti homines, creaturæ Dei vocantur, quæ *in odium & deceptionem animabus hominum, & in muscipulam*

cipulam pedibus insipientium sunt facta, hoc est, ita conditæ sunt à Deo, vt quãuis ipsæ sint bonæ, & ad Deum per se alliciant, tamen procliue sit, vt insipientes, illis abutantur. Quod ipsum, indicũ est, eas esse bonas. Nam per aliquam bonitatem, hominum inescãt animos: Ex quibus liquet, humanæ vitæ finem, siue scopum, superioris ordinis esse fælicitatem, nempe Deum, qui merces omnium est magna nimis, non vero sola res aliqua creata & terrena, quæ interitui est obnoxia, sed diuina, cælestis & æterna: Ideo ait Apostolus, se non ad ea, quæ vt præsentia videntur, & transeunt, vt quæ ætatis tantum, sed ad cælestia, quæ immortalitatis sunt, attendere. Gen. 15. 1

CAPVT V.

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domũ non manufactam, sed æternam in cælis.

Humanam carnem, vocat Apostolus *domum terrestrem*, siue (vt Græci legunt) *tabernaculum*, vt hac voce percepta, nobis in mentem veniat, quod à Domino hac in vita, tanquam viatores, perregrinemur, futuram manentem ciuitatem inquirentes: Mentẽ vero, tanquam hominis potissimam partem, (quæ & eam ob causam, homo vocatur) non aliter, corpus dicit in habitare, ac aliquis inquilinus, incolit domum. Nam sicut destructa domo, non interire necesse est hominem; ita corpore ab anima disiuncto & corrupto, mentem sanam & integram manere natura, vsus & experientia docent.

Extremam itaque superioris ca pitis partem, cum præsentis initio coniuncturus, in lucro, se dicit Apostolus ponere, corporis ab anima dissolutionem, siue corporis mortem, quam omnes mortales, vt omnium terribilissimũ, reformidant: Quia terreni huius domicilij interitũ, melioris, nempe æternæ, & omnis voluptatis plenæ domus ædificationem protinus insecuturã, certo scim⁹ ait: vt cuius arrham, in Christo Domino, iam acceperimus. Quis enim rei vilis, cum meliore cōmutationem aspernetur? Quis semper duraturam hæreditatem, temporaria non præferat? Quis cũ terra, cælum, cum luteo stabulo, domũ auream conferat? Tale ædificium, iustis hominibus in cælo præparatum esse dicit, quod nec hominũ ingenio, aut arte, aut consilio, nec aliquo naturæ opere constet, sed quod omnis interitus expers, à Deo diligentibus se, est præparatum; Cuius magnitudinem, pulchritudinem, deliciasq;, *nec oculus videre, nec auris audire, nec alicuius hominis mens hactenus comprehendere potuerit*. Nam imortalitas, quam humana corpora futuro iudicij die, indutura sunt, Dei vnius virtute nitetur, *qui reformaturus est corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, quam Esaias tabernaculum, quod nunquam destruetur vocat*, & quam *omnibus diebus, quibus militat*, ait, se patientissimus Iob *exspectasse*, vtpote tantam omnis boni satietatem, nihil vt vlterius appeti possit, vel desiderari. Nam si huius boni exigua, prægustatione satiata, D. Augustini mens, dicebat *se tanta iucunditate in hoc mortali corpore, fuisse recreatam, vt non sciret, quid sit vita æterna, si illa nõ est*, quis cũ Apostolo, *desiderio non repleatur dissoluendi, vt esse cũ Christo posit?*

Discrimẽ inter domum terrestrem, & domũ non manufactam.

Philip. 3. Esai. 33.

Futura domus quæ in cælis est recordatio, maximam delectationem affert.

Longe igitur falli eos interpretes opinione clarũ est, qui corporis imortalitatem non manufactæ domus nomini-

minibus intelligunt, vt quæ nemini ante iudicij diem extremum contingit, at nobis, domum nunquam defuturam, ait Apostolus, quæ tamen à die obitus vsq; ad resurrectionem deesset, quo tempore, primum immortalitatem, corpus est induendum.

Fit ergo perspicuum, cœlestem domum, sicut & æternum pondus, omne bonum, siue beatitudinem illã significare, quæ hominum mentib⁹, statim post mortem contingit, nisi aliquid impedimenti fuerit obiectum: *habent enim omnes animæ*, dicit Augustinus, *cum de sæculo exierint, diuersas receptiones suas.* Domui siquidẽ, æterna beatitudo, vel hoc nomine, rectè comparata est, ob eius eximiam amplitudinem, vt quam anima potius ingreditur, quam beatitudo animã. *Deus n. corde nostro maior est, in cuius domo* ait Saluator, *esse multas mansiones, quod sicut stella claritate stellam vincit*; sic vna aïa, alterius fœlicitatem longis interuallis superet. Greg. Tõ. 4 fol. 218. 3. 1. Ioã. 3. Ioann. 14.

Egregia itaq; antithesi, terrestri, vel arte, vel natura constanti domui, humanã carnẽ, mentem cœlesti, cõparauit. Mentis siquidẽ, cœlum sedes est, q, iugiter adepta, beatitudinem non aliter occupat, ac Thronũ, siue Regiam, Rex aliquis in suo regno sedens.

Corpus è contra terreno principiorum genere concretum, ad ortus sui principium semper degenerans, nunquam sibi simile, iam vel morbo, vel ætate efflorescens, mentem ipsam ad ima deprimere conatur, quam ob causam, scriptum est, *corpus quod corrumpitur, animam aggrauare.* Sap. 9.

Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, & non nudi inueniamur.

In ijs, homines iusti ingemiscere dicuntur, quæ voluntati ipsorum repugnant, qualia sunt mala, quæ patiuntur, & bona sperata, quæ differuntur. *Spes enim quæ differtur, affligit animam*, quemadmodum in ea, quæ est ad Romanos, dicitur, *omnis creatura*, homo scilicet, *ingemiscit, & parturit vsq; adhuc*; quod gemitus iste, per iustitiæ adeptionem, auferri nõ possit, sed quod ad mortem vsq; perduret. Sic enim gratiæ dona, iustorum animos, ad prosequendam cœlestem gloriam excitant, & inflectunt, vt malè secum agi putent, cun hac in vita à Dei domo & populo, ceu peregrini, coguntur exulare.

Roman. 8.

Prouerb. 13

Nam licet huius vitæ dies, iuxta veritatem, breues sint, & numero paucissimi, iis tamen, qui suam hoc in mũdo peregrinationem intelligunt, longi ac multi nimis videntur, propter præsentis malitiæ tædium & cœlestis patriæ, ad quã se pergere cognoscunt, desideriũ. Quemadmodum enim oĩs duratio vitæ humanæ, quãtũuis sit diuturna, peruersis, nimium breuis æstimatur, propterea, q; in malitia & huius sæculi delicijs oblectãtur, & gloriantur, spemq; oẽm hoc in mundo habẽt repositã; sic iis, quibus præsentia vilescunt, & æterna sũt in desiderio, oĩs huius vitæ duratio ꝓlixa reputatᷣ. Quæ causa est, q; Regius Vates conqueritᷣ, *suum incolatum* in terra *esse ꝓlongatũ*, eò q; aĩam suã, ad imaginẽ Dei creatã, & totam cœlestẽ, gloria æterna supindui vehementissimè

Bonis hõibus & piis, vita hæc mortalis molestiã affert, quæ diu extrahitur

Impiis vero eadẽ est sẽper nimis breuis.

Psal. 119.

ſimè cuperet, q̃ durante hac vita, ꝓhiberet, à corruptione liberari, eãq; induere gloriã & im̃ortalitatẽ; ad quã initio fuerat à Deo cõdita, si tñ prius vestita fide, ac bonis operib⁹ fuisset amicta, nec penit⁹ vultu diuino, primæ stolæ indumento spoliata apparuisset: Ideo diligẽter monet Eccles. *vt omni tẽpore sint vestimenta nostra cãdida*, quasi superindui nõ possit, q prius charitatis stolam nõ fuerit indut⁹; qua charitate peccatorũ multitudo operitur. Quæ causa est, q regenerati xp̃m induisse dñr. Sicut n. aliqua veste ornat⁹, ab eadẽ constrict⁹ ꝓtegitur ab iniuria aëris, & æstu solis, eiusq; colore ꝓprio abscõdito, alijs se contuendũ exhibet; Sic q xp̃m indutus est, cõtra mundi lenocinia & carnis illecebras, opert⁹ incedit, in quo nihil est aliud videre, nisi q ad xp̃m pertinet. Huius indumẽti elegantiã Romanis ꝓponebat nr̃ Apostolus cũ diceret, *Induimini Dominũ nostrũ Iesum Christum*, sicut & Ephesijs, *induite*, inqt, *nouum hõiem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis.* Eccles. 9.

Ex hac superindutionis voce, liquet gloriæ & immortalitatis dona, nemini contingere, qui prius gratiæ & charitatis muneribus nõ fuerint ornati. Ideò *nuptiali veste destitutus, non in gaudium Domini sui intrauit, sed in tenebras exteriores eiectus est*, quod ad nuptias venire fuisset ausus, stolam nuptialem minimè indutus.

Temerariæ enim impudentię est, ad conuiuiũ, cui omnes pretiosis vestibus induti assident, sordidum, nudum, ac pannosum introire, qualem videtur D. Ioan. in Apocalypsi grauiter increpasse. *Dicis*, ait, *quod Diues sum & locupletatus, & nullius indigeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper, & nudus.* Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias,

& vesti-

Nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, eò quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est à vita.

D. Hieronymus, explicans illud Malachiæ cap. 2. *Operiet autem iniquitas vestimentum eius*: Corpus, *vestimētum* esse, à quo anima tegitur, & pœnam esse operturā, arbitratur; Vt in quo, quis peccauerit, in eo puniatur. Ideo gemitus sui rationem exponens Apostolus, tametsi *corpore*, siue terrena habitatione, *sensum multa cogitantem deprimente*, mens nostra, ait, liberari desideret, vt cui mors, pęna est maxima; non tamen, eodem penitus spoliari & perpetuo orbari, sed immortali gloriâ supuestiri petit, vt per æternæ vitæ apprehensionem, ipsi⁹ corruptione sublata, mortalitas absorbeatur; quasi diceret: Hoc est, quod grauiter & moleste ferimus, circum ferri à nobis carnem interitui obnoxiam, quā tamen Deus, ad immortalitatem creauit, cuius ideò redemptionem cupidè admodum, imò non sine magna molestia exspectamus.

Hieron. in 2. cap. Malach.

Sap. 9.

Roman. 8.

Quod, vt facilius intelligatur, sciendum est, duo in homine reperiri desideria; vnum naturæ, ad viuendū secundum corpus; alterum gratię, ad viuendum sc̄m Deum, & quidem vtraq; viuendi cupiditate, ferri homines pios, si possint dubium non est: Sed si non possint, gratiæ desiderium, naturæ cupiditati præferre: Et sic potius, quoad corpus, malle mori, quàm à Christo per amissionem charitatis, longè separari.

Duplicē in hōīe reperire appetitum; vnum naturæ, alterum gratiæ.

Exemplo sit D. Petrus, quem Dominus Ioann. vigesimo primo *ducendum, quo non vellet*, dicebat, qua-

si Petrus non libenter mortem pro Christi amore esset acceptaturus, quam non solùm cum maximo gaudio sustinuit, sed summo etiam desiderio concupiuit. At eo verbo, duo alia significabat Dominus; vnum est, quod Cyrillus dicit, neminem Sanctorum sponte se, vel morti ingerere, vel eam quærere; sed si pro veritate fuerit incussa, libenter sustinere.

Alterum, vt notat Chrysostomus, quia quamuis rationalis appetitus eam acceptet; tamen naturalis ꝓcliuitas ab ea abhorret: naturæ enim appetitioni, & sẽsui, maximè repugnans mors est. At *cum Christus, vita nostra apparuerit, & nos apparebimus cum illo in gloria, & tũc induet hoc mortale immortalitatem, fiet q; sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.*

1. Corin. 15.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus: qui dedit nobis pignus spiritus.

Sensus est: quod ab ineluctabili mortis, & corruptionis pœna tantoperè abhorremus, nemini, ait Paulus, mirum videri debet; Nam ideò, nos ad imaginem & similitudinem suam condiderat Deus, vt omnis interitus expertes, gloriam ipsius æternum participaremus, si modo ipsius morem gessissemus voluntati. *Creauit* enim, iuxta Sapientis sententiam, *hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.*

Sap. 2. Homo creat⁹ est à Deo, omnis expers corruptionis.

Adam enim peccando causa fuit, vt peccatum introiret & transiret in omnes homines, ita vt propter eius vnius inobedientiam, omnes eius posteri progignerétur, spoliati iustitia originali, Deiq; gratia priuati, & peccato infecti: Cum solo enim Adamo Deus pactum inierat, vt si suo non obediret mandato, eius tota posteritas

ſteritas originalis culpæ lepra inficeretur, à qua non poſſet ſanari, niſi eius remedio, qui ſimul Deus eſſet, & homo.

Corpus Adæ, dicit Auguſtinus, *quod cibo & potu egebat, ne fame interficeretur & ſiti, & non immortalitate illa abſoluta atq; indiſſolubili; ſed ligno vitæ prohibebatur, atq; in iuuentutis flore retinebatur, non ſpirituale, ſed animale fuit: nequaquam tamen moriturum, niſi in Dei prædicentis minantiſq; ſententiam delinquendo, corruiſſet Sicut*, porro, *corpus*, Apoſtolo teſte, *mortuum eſt propter peccatum, ita ſpiritus vita eſt per iuſtitiam. Mortuum* porrò dixit ob moriendi neceſſitatem, quam omnes incurrunt. Ipſi tamen corpori, inſitus aliquis primæuæ ſuæ conditionis vigor, ceu quædam ad æternitatem procliuitas inhæret, quæ gratiæ diuinæ præſidio adiuta, niti debet ac dirigi, vt ad hæreditaté illam immarceſſibilem & incontaminatã redire poſſit, quam iure, per peccatum, amiſit.

Auguſt. l. 13. de Ciuit. Dei. c. 23

1. Pet. 2.

Sicut autem ad felicitatem initio creatus homo, vitæ ligno contra mortem indigebat, ita eadem per peccatum amiſſa, ad æternitatem, per Chriſtum recreatus, ligni vitæ loco, in vita ſpirituali, debet aquæ viuentis dulciſſimo potu retineri: Ex *quo ſalientis aquæ fons emanat in vitam æternam*;

Ob peccatũ mors in mũdũ ingreſſa eſt, ſed quæ per Chriſtũ eſt deſtructa.

Ioan. 4.

Eo enim vſque fons ille deriuatur, qui DEI ciuitatem, humanam nempe mentem, mirum in modum lætificat. Poſt autem, hæc aqua, gratiæ donum, quod pignus, ſiue arrha hic vocatur, à fonte, à ſpiritu nempe ſancto, qui vita æterna eſt, emanans, & hominem tali ſuo munere præditum ſalire faciens, dignum & idoneum reddendo ipſum ad felicitatem.

Gratia diuina reſpondet ligno vitæ, & vocatur aqua ſaliens in vitam æternam

Hoc enim donum, à sui principij virtute atque impetu defluens, hominis mentem viuificat, quę peccato erat mortua, quod etiam *in mortalia corpora nostra*, suo tempore, iuxta Apostolum, *redundabit*; *Viuificabit*, ait, *corpora nostra propter spiritum eius inhabitantem in nobis.*

Quomod spūs S. bōīē inhabitet. Cum enim gratia semper à spiritu sancto pendeat, per eam, dicitur in nobis spiritus sanctus habitare, nobis vniri, & nos sibi coniungere. Ideò, *membra nostra, templum Spiritus sancti* vocat alibi Apostolus, Nec so- *1. Corin. 6.* lùm gratiam Spiritui sancto, qui bonorum est spiritualium & gratuitorum principium, sed toti Trinitati, quæ eorundem origo & causa est efficiens, adscribit. Ioann. decimo quarto, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, & Christo ipsi, Deo & homini, qui principium est meritorium, vt qui *sua morte & passione, patri nos reconciliauit*, connectit. *Vos*, inquit alibi, *estis corpus Christi*. Pignus igitur, æternæ vitæ, est Spiritus sanctus, hac in ærumnosa vita nobis concessum, *donec* *1. Cor. 12.* *ipsi, Christo occurramus, secundum mensuram ætatis plenitudinis ipsius, &c.*

Audientes igitur semper & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, (per fidem enim ambulamus, & non per speciē,) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

Sensus est. Cum fidei nostræ sum̄am, siue scopum, æternam scilicet felicitatē, licet modicè & ænigmaticè

(neq;

(neque enim eam, ſecundum ſpeciem contemplamur in hac vita) conſideramus, corporis vero vinculis conſtricti, cum prohibeamur Domino coniungi, confidenter, animo ſeque, à corpore peregrinari optamus, id eſt, diſſolui, diſiungi, & vt paucis multa complectar, potius emori, quam à Chriſti ſocietate hic diſiuncti, viuere: quaſi dicat: Tametſi in hac vita, Dei filiorum adoptionem nacti ſumus, quemadmodum mentibus noſtris impreſſus ſpiritus ſanctus, arrabo declarat, non dum tamen apparet, quid erimus. Hoc ſcimus, quoniã *cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicut eſt.* Ecquis tandem perbreuem mortem, licet natura ſua formidandam, non contemnat, vt tanto bono frui poſſit, Deum nempe in natura & ſubſtantia ſua intuendo? Recte, *iuſtorum mortem, in conſpectu Domini pretioſã* eſſe dixit Regius vates, per quam, id quod optimum & perfectiſſimum eſt, aſſequendi poteſtatem accipiũt: Nam, qui ſummo bono fruuntur, quamuis propriam ſubſtantiam retineant, admirabilem tamen, quippe diuinam formam, induunt. Cuius vi, Dij potius eſſe, quam homines poſſunt iudicari: Nam quemadmodũ igni, admotum ferrum, ignem concipit, cuius natura etſi non immutatur, fit tamen, vt diuerſum quippiam nimirum ignis, eſſe videatur: eodem modo, qui præſentes ſunt ad Dominum, ita afficiuntur, (cum tamen id quod ſunt, eſſe non deſinant) vt multo magis videantur, ab ijs, qui hic viuunt, diſtare, quam ferrum cãdens ab eo ferro, quod nullam vim caloris in ſe continet.

Simile notandũ ad Beatitudinis rationem intelligendam. Philip. 1. cap.

Cum itaque Paulus adhuc mortalis, ſe tanti boni magnitudine videret orbatum, diſſolui cupiebat corporis nexu, quo clare, id eſt, facie ad faciem intueri

possset, quod tenuiter & obscure (per fidem, vt vmbram scilicet) cognoscebat. Nam cum Dei simile nihil sit, tum ad eius notitiam veniendi, facultas nemini data est, nisi qui eiusdem essentiam præsentem habet. *Neque enim* authore Dionysio, *superiora, horum inferiorum similitudine, possunt percipi, cum ex rei corporeæ specie, incorporea essentia cognosci non possit*: Vt sileam res creatas certis perfectionum limitibus definitas: Deum porro infinitum, cuius immensitatem rei creatæ angustissima similitudo, nec capere potest, nec imprimere.

Homini suam beatitudinem diligenter intuenti molesta est præsens vita.

Voce, *peregrinandi*, aptissima vsus est Apostolus, vt mobilem & incertum huius vitæ, respectu cælestis, statum exprimeret, sicut antea scite admodum corpus, appellauit tabernaculum, quod mentem ad breue tempus, ceu inquilinam quandam duntaxat, contegat: Velut enim qui in tabernis aliqua officia exercent, ibi fixas non habere sedes dicuntur, sed momentaneas, ita qui hic viuunt, ad horam viuunt; sumus quidem cum alijs mortalibus, terræ indigenæ, in Dei tamen oculis & conspectu, aduenæ, & peregrini, sicut omnes fuere patres nostri.

Hic mundus tabernæ similis.

Aliunde enim in hunc mundum venientes, alienã terram inhabitamus, in qua, nec fixam sedem, nec domicilium manens, nec passum pedis possidemus hereditate, quod perpetuo retinere possimus. Hinc est, quod affectu homines iusti, hanc terram non aliter incolunt, ac nuntius hospitium, in quo ad horam diuersatur. Qua ratione, Hebræis scribit Apostolus, Patriarchas hunc mundum quasi peregrinos & hospites inhabitasse, dum repromissiones sibi factas à *longe aspicerent & salutarent*. Ideo ait, *in casulis & terræ cauernis habitabant*

Hæc vita peregrinatio quadã est.

bant, vt meliorem patriam, & fundamenta habentem ciuitatem, nempe cælestem patienter præstolarentur, cuius *artifex & conditor est Deus*: Mente enim, quæ supra sunt, quærebant, non terrena; adeo vt ijs consuetudo cum Deo & angelis maior esset, quam cum mundo. In mundo quidem erant, sed *non erant de mundo*, quia quæ mundi sunt, non sapiebant, cum interim *essent ciues sanctorum & domestici Dei*. Contra vero impijs accidit, qui sic terrenis affectibus, in hæc ima feruntur, vt summa cupiditate optarent, si per eos staret, ijs æternum inhærere. Restat igitur, apud Dominum, præsentem esse, neminem posse, nisi qui à corpore fuerit hospes & peregrinus, cuiusmodi sunt iusti, terræ licet incolæ, qui affectu peregrini sunt à corpore, dum spiritu, Deum semper habent præsentem. Hebr. 11. Psal.

Quod vero, huius loci præsidio, (dum animæ à corpore fuerint diuulsæ.) purgandi locum à Paulo tolli mentiuntur Lutherani, vt veritati repugnat: ita Paulus purgatorio hac sententia, ne quicquam derogat, qui nihil aliud dicit, quam omnes iustos, qui sunt apud Dominum, peregrinari: & iam solutos esse à corpore, vsque ad diem iudicij, cum anima corpori rursum per resurrectionem restituetur. Sed cum id non semper fieri (vt scilicet cum iusti moriuntur, statim, & semper, & singuli ad cælum euolent) ex Apostolo hic deducere non possint, frustra, sui erroris patronum, huius loci authoritatem adducunt; satis enim est, quod aliquando soleat & possit id fieri, & quod Apostolus desiderare potuerit peregrinationem à corpore, vt præsens esset ad Dominum, sicut alibi se desiderium habere dicit, *dissolutionis, vt esse cum Christo possit*.

Domus

Domus æternæ nomine, Chrysostomus, Theophylactus & Theodoretus, immortale corpus intelligunt, vero tamen similius est, quod post Oecumeniū & Anselmum, docuit S. Thomas, Dei claram visionem domus nomine, significari. Nam Apostolus, ait hoc loco, de præsenti, si domus hæc terrena dissoluitur, habemus etiam æternam in cælo, debuisset enim dicere, si de corpore glorioso loqueretur, habebimus, non habemus: nam corpus immortale non habemus iam in cælo.

Bellar. Tom. 1. de beatit. sanct. lib. 1. cap. 3.

Deinde verba eius, hunc sensum reddunt, quasi dicat, nobis non esse timendum, vt vnquam domus desit: nam si hinc pellimur, inquit, habemus aliam: At si per domum, intelligit immortale corpus, verum non est, nobis nunquam domum defuturam: deerit enim à die mortis vsque ad diem resurrectionis. Præterea idipsum, vocat hanc *domum cælestem*, quod paulo ante in fine cap. 4. *vocauerat æternum gloriæ pondus*, quasi dicat: Si vita hæc mortalis perit, habemus statim aliam longe meliorem in cælo, ergo bonum est cito mori in hoc mundo, vt cito viuamus in cælo.

Denique, si Deum, nisi post resurrectionem videre non possemus, non diceret Apostolus, à corpore se peregrinari optare, vt non peregrinetur à Domino. His enim verbis, ostendit esse aliquem animæ statum, in quo peregrinetur à corpore, & non à Domino, at talis status non esset vnquam, nisi ante resurrectionem videretur Deus: Nam in hac vita peregrinamur à Domino, sed non à corpore, in alia vita, post resurrectionem, non peregrinabimur à Domino, nec à corpore: ante resurrectionem autem oporteret necessario à Domino & à corpore; Quare, vt detur status, in quo peregrine-

Gregor. de Valentia.
Ante diem iudicij, dei faciē sancti vident.

grinemur à corpore, sed non à Domino, de quo Paulus loquitur, necesse est, vt ante resurrectionem iustorum, spiritus, soluti corpore, Deum videant. Cur enim vas electionis *cupiebat dissolui*, nisi *vt esse cum Christo posset*? Anima latronis nonne in Paradiso tandiu collocata hæsit, donec Christum in die Resurrectionis, in cælos comitata est? Stephanus, qui moriturus, *cælos apertos, gloriam Dei, Christumque stantem ad dexteram patris*, ad hoc vidit, vt sibi cælum ad hoc patere, gloriamque protinus à morte sibi ingrediendam intelligeret: Ideo orabat, *Domine Iesu suscipe spiritum meum*.

Philip. 1.

Act. 7.

Restat ergo, quod Paulus, sicut homines sancti cupiat à corpore liberari, non vt corpus est subiectũ & materia animæ, & pars substantiæ humanæ, sic enim naturalis est coniunctio animæ, cum corpore, tanquam formæ cum materia, ideoque naturaliter amatur ab homine, sicut ex aduerso, dissolutionem corporis & animæ naturaliter omnes odimus, & refugimus.

Vnde dicit Apostolus se nolle *expoliari, sed superuestiri*, & animæ beatæ, quæ sunt in cælis, exoptant à Deo glorificationem corporis sui. Quod porro cum iustis à corpore liberationem cap. 7. eius quam Romanis scripsit petebat Apostolus, propter eius corruptionem, propter quam animus grauatur & subiacet multis malis, id petijsse dicendus est.

Notandum est loquendi phrasi, *præsentes esse ad Dominum*, nihil aliud significari, quam in conspectu Domini ambulare, Deum in omnibus operibus intueri, vt ei placeamus: Qui enim facit, quod alter vult, semper eum intueri, ab eoque videri cupit. Quo sensu Gen. 24. dicebat Iacobus: *Deus in cuius conspectu ambulo*

bulo mittet angelum suum tecum. Et cap. 84. *Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei.* Hinc illud psalm. 5. *Dirige Domine in conspectu tuo viam meam*, id est, vt tibi placeam.

Et ideo contendimus, siue absentes, siue præsentes placere illi.

Cum ergo *infelices*, ait, *à corpore mortis huius, liberari* non possimus, hac in ærumnosa vita, ceu in agone quodam constituti bonum, siue domi, siue foris certamen certare conamur, vt promissum æternæ hæreditatis brauium comprehendamus. Pietatis enim & iustitiæ operibus incumbimus, vt Dei, in nos beneuolentia, prouocata, faciamus testatum, à Domino non sufficere peregrinari, nisi corporis nexibus adhuc onusti, virtutum studijs, qui præsentes ad Dominum suo tempore esse desiderant, & bonarum actionum exercitijs operam nauent: si quis enim præsenti decurrente vita, quæ Deo placita sunt, non curat, frustra præmium in futura exspectat, ideo, quæ æterna sunt, & Dei gloriam extendunt diligenter sectamur.

Vita probitate opus est ijs qui salutem æternã expectant.

Nam qui *in carne sunt, Deo placere non possunt, quia carnis prudentia, Deo inimica est*; vt quæ iniquitatem, & omnia vitia secũ trahens, diuinæ legi subiecta esse non velit, quam obseruatu impossibilem, ferream, & intolerabilem esse arbitratur, licet Christi sententia, *Domini lex immaculata, suaue iugum & onus leuissimum sit ijs*, qui scilicet, *Spiritu Dei aguntur*, & aliquandiu, *vitam mandatorum diuinorum decurrerunt*: quales sunt illi, ante quorum oculos, est timor Domini, cui *Domino beneplacitum est super timentes eum.* Licet enim *qui in Christo pie viuunt, persecutiones patiuntur propter iustitiam*, quia tamen

Psal. 118. Hebre. 11. Rom. 8. 1. Cor. 12.

men ad remuneratorem respiciunt, cum Apostolo dicunt *non esse condignas huius temporis passiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: Ideo suis in tribulationibus, tantopere gloriatur noster Apostolus, vt infra videbimus, quare & subdit.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonũ siue malum.

Cur in hac vita peregrinantes optimam viuendi rationem ingredi debeãt, causam assignauit quod hac vna, Deo placere possint: Hic vero aliam affert, nempe iudicij supremi tum certitudinem, tum necessitatem, tum seueritatem. Nihil enim est, quod à peccatis hominem magis abstrahat, quam iudicij illius cogitatio, Si cui enim in mentem venit, sibi apud iustissimum iudicem, omnium non solum factorum, dictorumque; sed etiam occultarum cogitationum, rationem publicam ibi esse reddendam, vel pro meritis luendam pœnam, vel præmia factis digna recipienda, fieri non potest, vt ad mentem saniorem, si male vixit, non redeat; vel si bene, nõ perseueret. Nota est enim sapientis sententia, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Quod si quis iudicij huius conditiones paucis verbis, hic expressas, consideret: quarum prima est, vniuersitas, vt quod vno die, vno loco, omnibus præsentibus, audientibus, videntibusque omniũ factorũ, dictorum, cogitatorum, omnium seculorum ratio exi-

Extremi iudicij conditiones vnicuique diligenter consideranda.

genda est: si non amore virtutis, pœnæ saltem formidine, saluti suæ diligentius attendet. Sicut autem sen-
Rom. 15. tentiæ pronunciatio, scelestis, & impijs hominibus,
Apoc. 20. non minima futura pars est pœnarum & suppliciorum: si iustis, non paruus ex eadem fructus accedet, cum qualis quisq; in hac vita fuerit, apparuerit. Eã enim ob causam, videtur Romanis scripsisse Apostolus, cur *omnes debeamus stare ante tribunal Christi*, Et B. Ioannes, *vidi mortuos pusillos & magnos stantes in conspectu, agni*, quia æquum est, vt de recte perperamque factorum dictorumque ratione, quæstio perfecta habeatur, quod fieri commode nequit, nisi communi omnium hominum facto iudicio. Vnde alibi dictum est, quod *Dominus iudicabit omnes fines terræ.*

Iudicij porro, tum certitudinem, tum æquitatem.
1. Cor. 4. Manifestandi verbo declarat, & hoc, quia piorum sæpe fama ab impijs læsa est, sicut è contra impij laudati: tum necessarium est, vt quia huius vitæ peregrini, cordium arcana rimari non possunt, Dominus abscondita, tenebrarum illuminet, vt vnicuique, sua laus sit à Deo. Sic fiet, vt pij ereptam iniuria existimationem, in publico hominum consessu recuperent, bonaque, ac malefacta omnibus constent.

Verbo *oportere*, necessitatem significat iudicandi. Vbi nec numerus defendet, nec personarum erit acceptio, nec potentia ab æquitate, iudicem, per formidinẽ, impediet. &c. *Cuncta enim quæ fiunt, nullo impediente adducet Dominus ad iudicium.*
Eccl. 12. *Opera enim omnium sequuntur illos.* Iudicis porro insignis æquitas ex eo, quod tum Paulus *vnicuique, iuxta opera sua in corpore gesta redditurum dicit*, designatur. Nam quæ iusti & impij homines in vita egerunt, sine corporibus non

egerunt

egerunt, vis enim intelligendi, nihil consequi potest, nisi ad phantasmata, quæ corporis sunt, fuerit cõuersa.

Omninò igitur consequens est, vt tàm benè quàm male facta, etiam ad corpora pertineant, quę actionum ipsarum instrumenta fuère, atq; ideo congruum corporibus, vnà cum eorum animis debita vitæ æternæ præmia, aut supplicia impertiri; q̃ quidẽ neq; sine omnium resurrectione, neq; sine generali iudicio fieri potest. Ideo sapienter adiunxit vas electionis, *vnumquẽque prout*, siue pro his, quæ gessit *in suo corpore*, dum hic viueret. Nam, qui iniuriam facit, à Deo iustam pœnam recipiet, ait alibi.

Vbi notandum, D. Augustin. lib. de Præd. Sanctorum, c. 12. monere, *propria corporis*, non vocari opera corporalia, quasi spiritualia iudicanda nõ sint, sed vocari oĩa opera, quæ fiunt, dũ sumus in corpore, q̃a post hãc vitã, non superest tempus operandi; sed præmium aut pœnas repetendi: licet quoq; post illã, locus etiam sit purgationi & peccatorum remissioni, (quicq̃d nugẽtur Sectarij.) Qui enim in fide & charitate p̃seuerarunt vsq; ad mortẽ, etiam recipiunt, q̃ gesserunt in corpore, quia viuendo meruerunt, vt post mortẽ id possent recipere, nempe purgationẽ & liberationem à pœnis & supplicijs, Qua ratione viri iusti, post mortẽ, etsi nihil propriè mereantur, tamẽ à Domino impetrant q̃cq̃d postulãt, quoniam id meruerunt in hac vita, rectè viuẽdo, vt etiam post hanc vitam, à Domino exaudiantur: Sicut author est Augustin. lib. Ench. cap. 110. & lib. de cura pro mortuis agenda: cap. 1.

Qua dicẽtur propria corporis.

Huius deniq; iudicij acerrimi potestatem, verbo *tribunal*, quod effugere, aut præterire nemo potest, insinuat, quam Christo dedit pater, *quia filius hominis est,*

Ioann. 5.

vt qui bona egerint in resurrectione vitæ, qui verò mala, in resurrectione iudicij iuxta sententiæ pronũtiationem vadant: Iudicandi siquidem authoritatem, iuxta suam humanitatem, accepit Dominus: Nam sicut De⁹ hominem, per hominem saluum facere voluit, ita hominem per hominem; iudicare instituit, vt suam ingẽtem misericordiam commendaret: In eo enim diuina iustitia maximè ènitescit, quod homo hominem, & nõ quicunq; iudicet: sed ille, idem, qui vitam exposuit pro homine, quò malorum damnatio iusta omninò appareat. Quis etenim æquam non esse hanc sententiam arbitretur, quam ille prolaturus est contra impios, qui in crucis arbore, suum sanguinem eorum salutis causa, profudit? Quod ipsum Apostolorum princeps insinuasse videtur, qui cum Cornelij domum, religionis Christianæ summam docuisset, ac suspensum in ligno, necatumq; Christum à Iudæis declarasset, *qui ait, post tres dies resurrexit*, subiunxit, *& ipse præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus a Deo, iudex viuorum & mortuorum.*

Christus secũdũ humanitatẽ iudex st futurus.

Huius authoritate loci, abutenti Iuliano Pelagiano, qua paruulos non generatione, sed imitatione originis peccatum contrahere nitebatur probare, sic respondit August. Infantes vel manifestandos ante tribunal xp̃i, vel non manifestandos: si non, quia videlicet de adultis tantùm loquatur Apostolus, nihil hanc sententiam ad paruulos ptinere, ac per hoc, non probari hoc testimonio, non esse in paruulis originale peccatum: Si manifestandos, paruulos non regeneratos, reportaturosq; gesserunt per alios, id est, peccatum; sicut reportabunt paruuli regenerati, quod gesserunt per alios, id est, meritum fidei.

Aug. l. 4. in Iulian. c. 4.

Sicut

Sicut enim prodest paruulis dum baptizantur, q. per alios credunt, & ideo inter fideles & iustos numerantur à Christo, sic mirum non est, si eis noceat, quod fidem & iustitiam amiserunt per alium, & ideò inter infideles & iniustos numerantur à xpo, atq; ad eorum gregem pertinent, de quibus Ioan. Baptista dicit: Ioã. 3. *Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, quia Christus non saluat, nisi credentes in se, adeo vt qui non credit. maneat in suo peccato, & iræ Dei sit subiectus, quia damnationis lege tenetur, & in ea permanet, quemadmodum docuit Apostolus, eius, quæ est ad Ephesios c. 2. *Eramus natura, sicut & cæteri, filij iræ; Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* q. d. Qui in Christo per viuã fidem, non viuificantur, non solum vita priuantur, ne eam consequantur, sed manẽt sub peccato & ira Dei.

Paruulis quomodo baptismus prodest.

Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus: Deo autem manifesti sumus.

Nullum est ad fræn andas animi cupiditates, & abstrahendos à peccatis homines, salutarius remedium, quam concepta iudicij extremi fides: Fieri enim non potest, vt in scelera præceps feratur is, cui apud iustissimum, iudicem, omnium non solum factorum, dictorumue, sed & occultissimarum cogitationum sibi rationem esse reddendam, fuerit compertum. Si futuri iudicij timor, tantum Apostolum ad vitæ innocentiam, in DEI & hominum)

conspe-

Spero autem, & in conscientiis vestris manifestos nos esse.

Quod ad proximi vtilitatem, in Dei gloriam redundantem, omnes suas referat actiones, diuino hactenus probauit testimonio, quod est infallibile, quia cordium notitiam, à nullo accipit, sicut hominum primores, & Reipublicæ Magistratus, ex aliorum relatione plurima solent cognoscere. Neq; enim exteriora tantùm, quæ sæpe fallunt, sed interiora respicit, *vt qui sciat quid sit in homine.* *Ioan. 2.*

Hoc loco, mentis suæ rectam intentionem, ipsorum probat Corinthiorum attestatione, quibus cum sibi longus vsus, & tanta fuerat consuetudo, quibus dictis & factis, se insigniter probauerat, quasi diceret; Licet *cor hominis* adeò *prauum sit, & inscrutabile, vt cognosci facilè non possit, tamen ex visu cognoscitur vir & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis, risus dentium, & ingressus hominis annuntiant de illo*, adeò nobis, vt dubium non sit, quin bonam de nobis existimationem, habeatis. Facilè enim est ab hypocritis & impostoribus, cordatos, innocentes, & rectos homines secernere, qui rectà intentione, sua mandant effectui, non tàm priuato compendio, quàm gloriæ diuinæ propagandæ, & proximorum vtilitati studentes. Vbi enim mentis oculus lucidus est, ibi cætera lucida, & ab omni suspitione aliena sunt. *Hierem. 17.* *Eccles. 19.*

Multum verò refert, vt qua quisq; Ecclesiæ prælatus, apud suos habeatur in opinione, non ignoret: Si enim omnes Christi cultores vult Apostolus, vt *bona, non tantum corum Deo, sed etiam coram omnibus hominibus prouideant, & cum omnibus pacem habeant*, quanto id magis ab

ijs exiget, qui aliorum curam & affectum spiritualem gerunt. Ideo de se subijcit.

Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis; vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

Quia cap. 1. videbatur ad sui commendationem, nonnulla adduxisse, eadem hic, de sua fama & existimatione solicitus, in eandem ferè sententiam repetit, *vt ministerium suum glorificet*; suspicionem à se remouere conatur; dicens, quod virtutes, resq; suas prçclarius gestas, vel officium potius suum modestè commendans, non per arrogantiam, iactasset. Non laudem, inquit, aut inanem gloriam meæ vitæ, apud vos actæ rationem reddendo, & memoria, quod in muneris nostri administratione gesserimus, repetendo, captauimus, sed vobis occasionem dare voluimus, nostro nomine gloriandi, aduersus impostores, qui vultu pietatem simulant, in cordis verò viscerib. nihil habēt, quod
Eccles. 19. pium, sanū, rectumq; sit, aut syncerum, vt qui *se nequiter humilient, cum interiora eorum plena sint dolo.* Cum enim sit iustum, vt filij parentum curam singularem gerentes, eorum honorem tueantur, tūm ego pater in Christo vester, & solicitus optimorum discipulorum magister, hoc à vobis iure meo requiro, vt parati sitis meorum aduersariorum tela, quibus & dignitatem meam sugillant, meam famam rodunt, & functionis meæ formam inuidiosè mordent, animosè retundere; illis obijcien-
Act. 13. 9. 21. do, nihil in Euangelij cursu, vel me docuisse vel gessisse,
Rom. 1. quod nō signis & prodigijs probatum sit à Christo, vel ab Apostolorum doctrina & conuersatione in minime abhorre-

abhorreat, cum eam ob causam, Apostolus à Christo sim in Euangelium ipsius pridem segregatus, vt nominis ipsius famam, longè lateq; prædicatam euulgem & extendam.

Siue enim mente excedimus; Deo: siue sobrij sumus, vobis.

Vox *Excedere*, in scriptura, nonnunquam pro stupore & pauore accipitur, quo hominis animus diuino afflatus spiritu, in magnam quandam rei alicuius admirationem adductus, obstupescit: In qua significatione, versiculum secundum Ps. 115. interpretatur D. Hieron. vbi dicit Regius Propheta: Ego dixi in excessu meo, id est, in stupore meo & consternatione positus, & in tantis malis, protuli talem apud me sententiam. *Quot modis excessum scriptura vsurpet.*

Aliquando verbum *excedere* pro mentis *raptu*, siue eleuatione, siue ecstasi sumitur, quo renidente illuminationis diuinę radio illustrata mens, rationis metas egressa, aliquid planè diuinum proloquitur, & magnifica de cœlestibus rebus arcana in medium præter omnium opinionē, adducit, quo pacto, Apostoli, diuersæ nationis homines, in stuporem die Pentecostes adduxerunt, Dei magnalia, nouis linguis loquentes. *Actor. 2.*

Aliquando *mente excedere* est, cū in animi tranquillitate aliquis feriatus à sensibus, in placida & dulci contemplatione versatur; quod primo parenti videtur accidisse, cum ei Deus im̄isit soporem. De mentis excessū, iuxta omnes fere significationes Paulus potest intelligi. *Gen. 2.*

Vox *Sobrius*, pro moderato, tenui, & mediocri vsurpatur. Dicit ergo Apostolus: Si rationis limites egressi sublimiora, ac diuiniora de Deo loquimur, & docemus, & vel etiam de nobis ipsis videmur aliquid sensisse, *DEO*, hoc est, ad Dei honorem, cuius gloriæ

non nostræ totum tribuimus, id reuocamus, ne, & de ipsius doctrina, & de nobis eius ministris, vel abiectius vel quam par est, vilius sentiatis: Siue sobrij sumus, id est, siue humilia & mediocria propter infirmiores, qui ardua, & difficilia non capiunt, ex nostro ingenio proferuntur, *vobis*, id est, propter vos, & vestram capacitatis indigentiam, id facimus ingenij vestri modulo (prout charitas exigit) nos accommodantes: & hęc omnia, ad spiritualem vestram vtilitatem.

Sensus huius textus.

Euangelici præconis munus.

Ex quibus, Euangelici præconis munus enitescit, nempe; quod tam Dei gloriæ, quàm proximi vtilitati, ante omnia seruire debet, iam rerum arduarum & cœlestium contemplationi, iam earundem ad infirmiorum necessitatem, explicationi debere esse intentum: Sicut in priore, ad Corinth. se fecisse confirmat Apostolus, cùm aliquibus *lac potum dedisse, inter perfectos autem sapientiam, se locutum fuisse* affirmat. Omnibus enim se debitorem esse agnoscebat, Græcis, Barbaris, Doctis, Indoctis; magnis, paruis; perfectis, imperfectis.

Charitas enim Christi vrget nos.

Aliam adducit rationem, cur tanto studio, suo incommodo verò maxima, molestia, & vitæ discrimine in proximi salutem incumbat, quia amor, inquit, quo Christus nos ꝓsecutus est cogit, premit, pungit nos, imò stimulos addit, ardentes faces admouet, vehementes in cordibus nostris flammas excitat, vt eum reciproco amore redamemus.

Explicatur Christi erga homines incredibilis amor.

Quidni enim Christi causa, hominum salutem magno etiam periculo nostro promoueamus, pro quibus *animã ille suam posuit*? Si pro infirmis, pro impijs, pro peccatoribus, pro inimicis, pro crucifixorib. Christus Dei filius

filius vnigenitus, *in quo pater sibi bene complacuit*, in mortem sponte, non vulgari modo, sed *in mortem crucis*, se dedit, amorem inquam illum amore compensari, vel ipsa æquitas naturę nostræ insita, nobis mandat atq; imperat. *Phil. 2.*

Accepti siquidem beneficij obligatio, magis vrget, quàm vllius debiti contracti: quia plus vrget amor quàm lex de contractibus, prout in filijs & parentib. est videre, quos naturæ insitus amor, longis interuallis magis vrget, ad mutuo bene faciendum, quàm vlla possit lex impellere. Leges quidem cogunt, sed vera Charitas vrget, & perpetuo quodam, indiuulso, & acri stimulo ad opus impellit, quemadmodum in se ij facilè experiuntur, qui Christi beneficium sentientes, illud perpetuâ memoriâ recolunt. Eiusmodi autem sunt, quibus æterna vita est cordi, qui admissorum peccatorum grauitatem ponderantes, vel pœnarum timent acerbitatem: vel veniam, & condonationem desiderant & sperant, illos, inquam Christi Charitas, quâ, propter delicta nostra mortuus est, ad redamandum vrget. Ad quid autem charitas vrgeat, subiungit.

Quomodo ad amorem erga Christum, charitas vrgeat.

AEstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt.

In ea planè sententia sumus, ac certò concludimus, ait, omnes, quos Christo charitas coniungit, ita affectos esse oportere, vt Christi causa, suam vitam debeant esse parati prodigere. Hoc enim amoris vicissitudo postulat, quoties scilicet, Christi gloria, vel nostra, ac proximi salus id requirit. *Qui enim abnegauerit me coram hominibus, & ego abnegabo eum coram patre meo.* Rursum, *si compatimur,*

Quid à Christianis Christi charitas exigat.

Luc. 12.

Rom. 8. *patimur, conglorificabimur; si commorimur, conuiuemus.* Affectu igitur & voluntate, totaq; animi ꝓpensione, si non ad corporalē mortē pro Christo subeundā, mors Christi nos vrget, certè peccato, prauis affectibus, & huic seculo moriamur omnes, oportet, *cùm hoc egerit mors Domini, ne mors amplius timeretur*, ait August. *Deus enim, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Ergo omnes alij mortui sunt*, ait, per peccatū scilicet Adami, aliter verū non esset, quod pro omnibus esset mortuus, propter peccata. Nam *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Et quē*admodum per vnius delictum, in omnes, in condemnationem: ita per vnius iustitiam, in omnes homines, in iustificationem vitæ*, vt videlicet, ipsi mortui peccato in morte Christi, & resuscitati spiritu, in eius resurrectione, viuant ipsi Domino, seruientes illi, & ad gloriam eius. Ideo subdit.

S. Aug. in expositione inchoa. epist. ad Rom.

Ephes. 2.

1. Cor. 15.

Rom. 5.

Vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

Hoc est, qui per Christū à peccatis liberati sunt, non suę, sed Christi morem gerant voluntati: non carnis desideria, sed spiritus diuini consilia exequantur, nō huic seculo nequam, sed imagini filii Dei conformentur, vt existimemus, nos mortuos quidē esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo. Vnde B. Petrus, *Christo in carne passo, vos vestra patimini, mortificantes membra vestra, quæ sunt super terram*, & tollentes crucem suam, nempe post Christum. Quia qui passus est in carne, desiit à peccatis, vt iam non desideriis hominū, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis viuat: ad hoc enim, Christi charitas nos vrget.

Rom. 6.

1. Pet. 4.

Sibi

Sibi porrò, non Christo dicuntur *viuere*, qui omnem suam solicitudinem in cibum, potum, vestitum, voluptates, honores & diuitias conferunt: Christo viuunt, nō sibi, qui his omnib. vel contemptis, vel parcè ac moderatè vtentes. (Vtentes hoc mundo tanquam nō vtentes) curas suas & cogitationes omnes, in Dei gloriam, suam ac proximi salutē conuertunt: vt qui cum Petro parati sunt Christi causa, *& in carcerē, & in mortem ire: quia carnem cum suis vitijs crucifix erunt*. Quâ autem ratione, mortuos omnes fuisse asserat Paulus, edisserit August. *Omnes*, inquit, *qui sunt obstricti peccato, quod spirituali vita animam expoliat, negant Christum pro paruulis mortuum; vt eximas eos de numero mortuorum, de contagione peccatorum*, quemadmodum, & subiuncta statim sententia subindicat, vt & qui viuunt, iam sibi nō viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. *Quis dicatur, non sibi, sed Christo viuere.*

Peccati nomine, quod omnes morti reddidit obnoxios, labem illam, siue defectum intelligit Apost. qui hominem naturali via generationis, à primo parente descendentem, ipso suę originis momento ita inquinat, vt tanquam Dei offensa, non modo eundem, & Deo exosum, varijsq; huius vitæ calamitatib. reddat subditum: sed à cœlesti beatitate, nisi eluatur, excludat. quā ob causam, ait alibi, nos *omnes natura, siue primo, ortus nostri principio esse filios ira, & scripturam omnia sub peccato conclusisse.* Quemadmodum ipse Dauid, longè antea est confessus, cum dixit, *se in iniquitatib. conceptum; ac in peccatis natum: Ideò omnes peccasse, & Dei gloria dicit Apostolus indigere.*. *Quale sit illud peccatum propter quod, homo dicitur incurrere mortem.* *Ephes. 2. Rom. 3. Gal. 3. Psal. 50.*

Quod si D. virginé quispiā originis peccato fuisse contaminatā, hui⁹ authoritate loci conficiat, quid D. Ansel. respondeat, patienter intelligat, *mortuos dici nō eos solùm, qui mortē actu obeūt, sed etiā q mortí sunt obnoxij, & q proinde* *Anselm. lib. de concept virg. & origin. peccati cap. 7.*

quodam

Quomodo peccati maculam D. Virgo effugerit.

quodam mortis debito tenentur, vt Gen. 2. quod dixit Dominus ad Adam, in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris, non solùm de spirituali animæ morte intelligitur, quam statim actu incurrit, cum comedit, sed etiam de morte corporis, cui statim cœpit fieri obnoxius, sic ad Rom. 5. cap. de omnibus hominib. etiã qui adhuc viuunt, intelligimus illud, *In omnes homines mors pertransiit, quia omnes per peccatum, incurrerunt debitum mortis:* Quomodo non diffitetur orthodoxa veritas, B. virginem per peccatum fuisse mortuã, id est, ex suæ cõceptionis modo, fuisse morti peccati obnoxiam, & incurrisse illius debitum, licet actu ipso animæ mortem & peccatum non incurrerit: prçstantissimus enim ille redemptionis modus est, quo quis à malo eripitur, quod quidem actu nec dum incurrit, sed quod alioqui debuerat incurrere. Hinc Augustinus in commentario Psal 85. circa versiculum illum *eduxisti animam de inferno inferiori*, petitis ex vsu quotidiano exemplis, & vsitato loquendi modo, hanc liberandi rationem exponit. *Vt si quis,* inquit, *habens causam iustam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum: gratias agens, quid dicit? Emisti animam meam de carcere, qua ratione, B. virgo per Christum redempta est, quia scilicet, propter Christi merita futura, in qua Deus intuebatur, præseruata diuinitus fuit à peccato originis, in quod alioqui ex modo suæ conceptionis, debuerat incidere.*

Itaq; nos ex hoc, neminem nouimus secundum Carnem.

Et si cognouimus secundũ carnem Christum: sed nunc iam non nouimus.

Varij, variè hunc locum exponunt; Græci carnis nomine, carnales affectiones intelligunt, quasi Paulus dicat

dicat, ſe Chriſtum eſurie, ſiti, corporisq́; infirmitatibus obnoxium (qualis erat ante reſurrectionem) minimè nouiſſe. Chriſti enim corpus (quod DEI erat) ait Cyrillus, epiſtol. 1. ad Succeſſum, omnia humana tranſcendit, quaſi diceret: Chriſtum nunc non habere carnem paſſibilem, & fami, ſiti, iniuriæ, mortiq́ue obnoxiam; ſicuti dixit idem Apoſtolus, 1. Corinth. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei non poßidebunt*. Et ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces, &c.*

Alij, hoc modo exponunt: Neminem, ſecundum carnem nouimus, id eſt, carnaliter circumciſum, & carnales cæremonias ſeruantem, nulliuſq́ue veterum imitamur exemplum; Et ſi cognouimus ſecundum carnem, Chriſtum, quando maledictum factus, crucē ſuſtinuit, nunc autem non ita cognoſcimus: non enim iam paſſurus eſt pro nobis: qui ſemel pro omnibus, & mortuus eſt, & reſurrexit.

Alij in omnium Apoſtolorum perſonâ, locutum exiſtimantes Apoſtolum, hunc faciunt ſenſum. Licet *Diuerſæ huius loci ſentent.* Chriſto in terris viuenti adhæſerimus, ſecundum communem carnis affectionem, iam tamen ſuccedente in affectionis huius locum, ſpiritu ſancto, nihil quod carnem ſapit, proſequimur. Eo enim aduenientc, perfectiores euaſuros Apoſtolos.

Inde fit euidens, quod frequenter illis inculcabat expedire Domin⁹, vt ipſe, ab ijs ſeparatus abiret: Quamuis enim Chriſto magiſtro, vt patre familiariſſimè vterentur (quæ familiaritas vtiliſſima & ſanctiſſima erat) Iam tamen in ſpiritum conuertendos, oportebat ab omnibus carnis ſenſibus eſſe diuulſos, & nō tàm ſecundum ſenſum, quàm ſecundum ſpiritum Chriſtum Do- *Ioan. 16.*

 minum

minum noſcere. Quod ſi corporalis Chriſti prȩſentia, ſpirituali Apoſtolorum profectui erat impedimento; quantum, diuitiarum, honorum, cupiditatum præſentia ſpiritualibus ſtudijs nocebunt?

Tales carnis conſolatores, iure oneroſos vocat patientiſſimus Iob; & terrenis delicijs nimium addictis, Vȩ minatur apud Lucã Dominus, qui ſcilicet, tanquam animalia bruta depreſſi, terram ita defixi ſpectant, vt vultus ad ſydera tollere non poſſint. Cuiuſmodi fuiſſe Iudȩos, ex eo fit perſpicuum, qui cum in ſcripturis ſanctis, Chriſtũ cognouiſſent, terreno, non ſpirituali modo, venturum exſpectabant, quod eius potentiam, virtutem & ſapientiam, in his inferioribus v. g. in regno ſuo Iudaico recuperando, poſitam eſſe arbitrarentur. Id genus cogitationes, ait Apoſtolus, abieci, quia ſunt animales, carnem ſapiunt, & ad veterem hominem pertinent.

Si qua ergo in Chriſto, noua creatura: vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.

Chriſto, per baptiſmũ iuncti; ſic dicuntur renouari, vt eius vetera nauſeam moueant. Quemadmodum Leuitici. 27. c. iuſſum erat, *vt nouis ſuperuenientibus, vetera proijcerent.* In quã ſententiam, monet regeneratos Romanos Apoſtolus, vt *ſeruiant in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ*; quia qui in Chriſtum credit, cum noua ſit creatura, veteris vitȩ conſuetudo illi diſplicere debet, nempe peccandi conſuetudo, cupiditatum illecebræ, carnis lenocinia, vitæ ſuperbia, &c. Transfertur enim, qui iuſtitiam recens adipiſcitur, in alium à priore planè diuerſum ſtatum, ita vt actiones diuini ordinis

Rom. 7.

ſupra,

ſupra naturam exercere incipiat, ęternę vitę adipiſcendæ idoneas. Nam ſicut ad primę creaturæ, naturalis ſcilicet, operationes concurrunt, veluti baſis, quæ eſt ipſa hominis natura, omnium potentiarum actionumq; initium, ita huic nouę naturæ aptiſſimè reſpondet, diuina quædam qualitas, quæ ſupernaturalium actionum eſt hypoſtaſis, gratia ſcilicet, ſiue fides, quę per charitatem operatur, per quam inſeri iã Chriſto homines, iam diligi, iã regenerari, iã renouari dicuntur, eo quod nouam induant naturam, qua naturæ diuinæ fiunt conſortes. *Homo regeneratus nouam prorſus vitam debet viuere.*

Hinc eſt, quod iuſtitiam recens adipiſcentes, dicuntur creari, quaſi antea, ſine gratia nihil fuiſſent, quemadmodum innuere videtur Apoſtolus, 1. Cor. c. 13. *ſi nouero omnia myſteria,* &c. *Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Ideò charitatis dono præditum, Dei facturam appellat Apoſtolus, in Chriſto Ieſu, in bonis operib. creatam, ſecundum quã creationẽ, dicit nos verbo veritatis ab ipſo Deo voluntariè genitos D. Iacob. qui ſcilicet, ſecundum prudentiam ſpiritus, ſapere incipiunt; Quem, qui in ſe ſentiunt, certum renouationis ſuę ſentiunt argumentum, vt qui vetuſtati peccati, & literæ antiquitati nuncium remittant, à morte ad vitam tranſlati. *Homo iuſtificatus, rectè vocatur noua creatura.* *Epheſ. 2.* *Iacob. 1.*

Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis myſterium reconciliationis.

Non modò ſalutis æternæ opificem, ſed & mediorum ad ſalutem conſequendam, authorem dicit Apoſt. eſſe Deum, à quo eſt *omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Hoc beneficiũ, toti hominũ generi cõmune eſt, cùm *Deus velit omnes homines ſaluos fieri,* & ad agnitionẽ veritatis venire. Aliud eſt, q; ſoli Apoſt. eorundemq; *1. Tim. 2.*

successorum ordini conuenit, quod & Deus ad hominum fœlicitatem adhibet.

Ad primum quod attinet, inexplicabile est, si viam & rationem spectes, quib. hominum genus, in suam gratiam redire Deus est dignatus. Quod, sicut hoc loco, ita ad Rom. cap. 5. vberius explicat Paulus. *Cum adhuc*, inquit, *infirmi essemus, secundum tempus, pro impijs mortuus est. Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsan quis audeat mori: Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Vbi, diligenter Apostolus expendit, quod Christus non solùm pro suis amicis (qui tales futuri erant) sed etiam pro inimicis (quia tales tunc erant) animam suam posuit.

Ioan. 10. Hoc porrò commune beneficium, multis nominibus commendat, dum nos inimicos, impios, peccatores vocat, vt sic intelligeremus, à quot malis, Christus nos per suam mortem liberauerit. Infirmi eramus, quia debiles & inualidi, ad omne opus super naturale; Impij eramus, quia diuinę voluntati refractarij, & rebelles viximus: Peccatores eramus, quia contra rationis regulam mentisq; rectitudinem peccaueramus. Inimici Dei eramus, quia per peccatum, omnis amicitia nostra, cum Deo dissoluta fuit. Addit etiam alio loco, quod etiam mortui eramus, Deo scilicet, ita vt Deo frui, vel secundum Deum viuere, nobis ex nobis planè esset impossibile. Cũ inquit, mortui essemus in delictis nostris, conuiuificauit nos in Christo, cuius scilicet, gratia & intuitu delicta condonauit. Erat enim Christus, *sacerdos ille magnus, qui in diebus suis Deo placens, in tempore factus est reconciliatio*, adeò, vt ima cum superis coniuncta, amicitiam redintegrare perditam inciperent. Quemadmodum

A multis malorum titulis per Christum, somno liberatur

Ephes. 2.

Eccl. 44.

admodum Collossensibus scribit Apostolus, dicens, quod in Christo, patri *complacuit, omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliare, omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* *Colos. 1.*

Ex his, perspicuum est, humanæ redemptionis beneficium, vnius Dei voluntati, non verò vllis meritis nostris debere asscribi, licet hominum ministerio, circa hominum salutem promouendam, vtatur Deus. Sic enim genus hominũ filij sui intuitu, cœlestis euexit pater, vt homines inter Deũ & homines, vellet esse sequestros. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus constituitur, in his pro hominibus quæ sunt ad Deũ, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. O profundã immensamq; humanitatem, ac benignitatem,* ait Photius, *Non enim postquam filium suum, legatum ad reconciliationem miserat, & ille interemptus fuerat, deinceps nos neglexit: sed filio quoq; mortuo, nobis per Apostolos, rursum credidit mysterium reconciliationis, quia Pontifices constituit ex hominibus.* Quod, sub metaphora, videtur non tacuisse Regius vates, cum dixit: *suscipiant montes pacem populo.* Vbi, *montium* nomine, Apostolos, & Apostolicos viros, pleriq; Patres intelligunt, quorum cacumina, sua illustratione Deus, primùm illuminat, vt deinde lumen in alios humiliores colles diffundant: Quemadmodum Sol, cum ex oritur primum, sui luminis radios in vertices montium effundit, à quib⁹ mox in valles resilit, suscepti luminis splẽdor. Quod, omnes patres Apostolis vsu venisse confitentur, qui pacem à Christo acceperunt, quibus prædicandum illis tradidit Euangelium pacis, quod sibi tantùm non suscepère, verum etiam vniuerso orbi, quemadmodum prædixerat, oriente Christo, sole iustitiæ, Angeli; *glo-*

Christum imitantur & repræsentant Pontifices, qui legitime vocati, his funguntur, quæ pro hominibus ad Deum pertinent.

Psal. 17.

Simile.

Lucæ 2.

riam in excelsis Deo, & in terra, pacem hominibus bonæ voluntatis concinentes.

Quoniam quidem DEVS *erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.*

Persona diuina, duas fulciebat naturas, diuinam & humanam: quia Deus & humanæ naturæ coniunctus erat, ideò dicitur in Christo existens, mundum reconciliasse, Christi humanitate, tanquam instrumento sibi coniuncto, vtens, vt nos sibi per ipsum reconciliaret, per quem, nos creauerat. Hanc enim Dei offensam, per sua peccata incurrerat hominum genus, vt Deus, iusto planè iudicio, id nunquam recepturus in gratiam fuisset: sed sempiternis supplicijs reipsa addicturus, nisi Christus; in quo omni benedictione spirituali benedicimur, mortis suæ merito, patris iram quodā modo flexisset, eumq; nobis ita placatū reddidisset, vt omnibus opem ferre, & quantum in se est, reconciliari vellet, adeoq; etiam re ipsa tandem, omnes in gratiam, & demum in gloriam reciperet: si modo conditiones adessent, à quibus salutis nostræ promissiones voluit esse dependentes: vt sunt Baptismus, fides, spes, pœnitentia, timor, obedientia, &c.

Licet Christus p nostris peccatis satisfecerit, nos tamē, quod ex patre nostra requiritur, etiā adiungere debemus, quicquid contra mētiantur Lutherani.

Quia ergo Christus nostra causa, moriendo satisfecit: ideo *nobis* dicitur pater, *non reputare delicta*, sicut etiam scribit Colossensibus, *quod conuiuificauit nos Christo, donans nobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti:* vbi viuificationis ratio, diligenter consideranda est, quæ ad delictorum

Coloss. 2.

rum

rum condonationem, & internam mentis renouationem ſpectat, in qua peccatorum remiſſio conſiſtit. Chirographi porrò deletio, omnimodam debiti extinctionem declarat. Vnde cùm idem Apoſtolus noſter, capit. 5. eius, quæ eſt ad Romanos, dixiſſet, *Gloriamur in DEO, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem, nunc reconciliationem accepimus*; paulo inferius, quid ſit reconciliationem accipere, declarat; *abundantiam*, inquit, *gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, regnabunt in vita per ipſum.*

Homines itaq; *cum Deo reconciliari*, non eſt homini propter Chriſtum, peccata non imputari, quemadmodum fingunt Lutherani: ſed vox *reconciliari*, gratiæ & donorum acceptionem, quibus ad vitam æternam peruenitur importat, quemadmodum Apoſtolus in ea, quæ eſt ad Coloſſenſes, declarat. *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius, per mortem exhibere nos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo.* Coloſſ. 1.

Quid ex parte hominis requiratur, ad hoc vt Deo reconcilietur.

Nam ad DEVM quod ſpectat, in gratiam recipere quoſuis paratus eſt; ſed ſi fuerint officij memores, id eſt, ſicut c. 7. dicit; *ſi emendemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.*

Longe igitur opinione falluntur Lutherani, qui ſic Chriſti reconciliationis beneficio nituntur, vt aliud ex parte ſua non eſſe neceſſarium exiſtiment, cùm ex parte noſtra iam fidem, iam pœnitentiam, iam DEI timorem ſcriptura requirat; Non quod officio negemus Redemptoris, CHRISTVM ſat ſuperque feciſſe ſatis, vt à nobis ijdem Sectarii fingunt, exiſti- Marci vltimo.

existimari: sed ijs mediis vtendum dicimus esse, quæ ad maiorem vtilitatem, & gloriam hominum, quasi ex conuentione, inter patrem & Christum, ex parte ipsorum requiruntur: Sic enim Redemptoris officio functus est Christus, vt suorum meritorum vi, ex iustitia patrem obligarit, facta sponsatione, vellet omnibus reconciliari conferreq; salutem, si modò homines mediis iis vterentur, quæ ad eũ effectum interposuit. Quare, in solidum Christo totum redemptionis officium tribuimus, tametsi diuersarum conditionum, ex parte nostra, vsum conferre, etiam doceamus, vt applicando vim & meritum passionis Christi, salutem reipsa consequamur, merito redemptionis per solum Christum nobis comparatam.

Christus ex iustitia cælestem patrem obligauit, vt hominem recipiat in gratiam.

Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

Frequenter admodum, officii sui dignitatem exaggerat Paulus; tùm vt admissi sceleris sui grauitatem confiteatur, qua Christi doctrinam, licet *ignorans*, oppugnauit, tùm vt huius pręstantis muneris (omnium, quod fingi cogitatione, dignissimum potest) maiestatem, extollat, eiusq; gratia, gratias Deo ingentes, agat. Quid n. legatione illa cogitari diuinus potest, quę partã generis nostri, ab æterna crudelium, hostiũ tyrannide, libertatem non modo nuntiat, sed & in summi Numinis gratiam, eos qui carni, mundo, Dæmoni, seruiebant, reducit? Reducit *verbum reconciliationis*, siue Euangelium, cuius scopus est, inauditam vnionis Dei, cum homine, gratiam describere, & talem hominis, in Dei

filios

filios adoptionem prædicare, quæ propositis facilibus, ad fœlicitatem adipiscendam medijs, *homines diuinæ naturæ consortes effectos, reddant.* Euangelij siquidem singularia priuilegia, iam tum intuebatur *regius vates*, cum diceret: *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes.*

Ad huius Euangelij prædicationem, diuina voluntate, se iam vocatum, iam segregatum, iam missum, dicit Apostolus, quod aliud nihil est, quàm *pro Christo legatione fungi.* Qua enim authoritate, Christus à patre fuerat humanę salutis redemptor, ad homines missus, eâdem eiusdem salutis prædicator amandatus fuerat Paulus: Christi verba sunt: *Sicut misit me pater, ego mitto vos*: quasi, muneris & officij Apostolici dignitatem instituens, diceret: Veni in mundum, vt mundo veritati, testimonium perhibeam, ad credentium salutem, tanquam Apostolus à patre institutus. Hoc idem ego munus, vobis trado, & vos, vicarios meos instituo, vt qua authoritate, pater me misit, eâdem ego vos mittam, quo prædicetis, gubernetis, dirigatis mundum in viam salutis & veritatis.

Authoritas à Christo Dn. data Apostolis, & eorum successoribus, quanta, & qualis.

Ioan. 20.

Iure igitur Apostolus gloriatur, se pro Christo fungi legatione, quia, quod à Deo patre filius naturalis & æternus, homo factus accepit, hoc idem sibi, suisq; collegis esse communicatum gloriatur: Ex eorum enim numero, se vnum esse insinuat, quorum Christus, ad cœlos ascendens, *quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Euangelistas, quosdam Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.*

Ephes. 4.

Summam porrò legationis suę exprimit, rogans Corinthios, vt *Deo* velint *reconciliari*, id est, ea adhibeant

media, quibus passionis Christi merita sibi propria vendicent.

Quid hic impij Lutherani? Vident sanè, nostram etiam operam, adiuuante ipso Deo, esse necessariam, si cum Deo redire cogitamus in gratiam. *Dilexit*, fateor, *Christus & lauit in sanguine suo, sed eos, qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei.*

Apoc. 1. 7.

Ex quibus, mirum est, desidem Lutheranum non aduertere, quod licet sanguine suo in cruce, nobis peccatorum remissionem Dominus obtinuerit: ipsi etiam nos, in eodem lauare sanguine, debeamus. In quã sententiam, Esaias: *Lauamini*, inquit, *& mundi estote.* Præparauit medicinam, verus medicus, sed quam ægri debent sumere, sanitatis cupidi. Hinc D. Prosper, *poculum immortalitatis, quod confectum est, de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibatur, non proficit.*

Esai. 7.

D. Prosper lib. contra art. D. Aug. falso impositos ad 1. a. contra Lutheranos videtur scripsisse.

Obsecramus pro CHRISTO, *reconciliamini* DEO.

In veteri lege dicebant Prophetę: *Hæc dicit Dominus; hæc mandat Dominus*: In noua; *obsecramus*, ait Apostolus, vos loco Christi, cuius legati sumus, & internuncij, vt quemadmodum per Christum, hortabatur nos Deus; sic vos, hoc tempore, per nos ille admonet, & paternè rogat, vt sibi reconciliemini. Ergo ô Corinthij, quæ vobis annuntiamus, percipite, non secus, ac si Christus ipse coràm astaret, aut etiam ipse Deus, qui nos excitat, monet, hortatur, vt Deo reconciliemur. *Qui* enim *nos audit, Deum audit, & qui nos spernit, Deũ ipsum aspernatur. An experimentum eius quæritis, qui loquitur in me Christus?*

Sed

Sed hunc clamorem, non audiunt pertinaces Lutherani, qui ſponte ſua, ſine noſtris operibus reconciliationem, tum promiſiſſe Deum dicunt, cùm *ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, tùm *enim copioſam redemptionem ſuo populo eum ſpopondiſſe.* Ioan. 3. Pſal. 118.

Verum id quidem eſt, ô ſtupidi Lutherani, quod facta ſponſione, ſibi Deus hominum genus reconciliari, ac ſalutem eidem conferre ſtatuerit, ſed modò homines interim, quod ex parte ſua eſt, non negligant: Fruſtra aliâs, ipſos homines ad reconciliationem ſuam prouocaret Apoſtolus. *Calcauit* quidem, vt dicitis, *torcular ſolus* Saluator, nec ipſum iuuimus, ſed vult Apoſtolus nos reconciliari, hoc eſt, ad Deũ conuerti fide, & affectu, quibus propoſitas ac interpoſitas redemptionis participandæ conditiones, religioſè obſeruemus: quales ſcriptura plurimas enumerat: *Qui crediderit*, ait, *& baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et; *Vt prædicetur in nomine eius pœnitentia & remiſsio peccatorum.* Item, *pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Denique *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis*, quaſi ad Euangelij fructum, tùm etiam noſtram operam & obedientiam, adiuuante ipſo DEO, neceſſariam eſſe, & valere, vt ex omni demum parte, cum Deo reconciliemur, velit. Eſai. 63. Marc. 16. Luc. 24. Matth. 3. Hebr. 5.

Hinc alibi dicit Apoſtolus; *ſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Item; *ſi ſuſtinebimus & conregnabimus.* Nam DEVS, qui ſuauiter hominem ad beatitudinem eo modo, qui naturæ hominis maximè conuenit, diſponit, ex parte hominis, aliquam motionem requirit, qua intellectu & Rom 8. 2. Tit. 2.

Quid Deus requirat ab homine, qui vult iustificari.

voluntate in Deum se prosequentem feratur, & conuertatur, ac gratiam obtentam, lubenti animo recipiat, acceptet, & eius nomine Deo gratias agat.

Eum qui non nouerat peccatū, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Scriptura, frequenter *peccati* nomine, hostias pro peccatis oblatas intelligit: Sic apud Oseam cap. 4. scriptum est; *Peccata populi mei comedent*. Et Leuit. cap. 10. *Cur non comedistis peccatum in loco sancto*; pro quo, interpres reddidit: hostiam pro peccato. S. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 30. annotauit, moris esse in sacra scriptura, vt in eodem sermone, atq; adeò etiam in eâdem sententia, idem vocabulum propriè & figuratè ponatur: Vt, exempli gratia, in illis verbis Domini: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Priore loco, nomen *aqua*, & verbum *sitio* propriè sumuntur; posteriori autem loco, metaphoricè: sicut eodem loco, *paulo post*, nomen *messis* primo propriè sumitur à Domino, & mox figuratè.

Ioan. 4.

Consimili significatione eius nominis, hoc loco vtitur Apostolus, cùm Christum, per tropum vocat *peccatum*, quod hostia pro peccato fuerit, tùm quod carnem peccati similem participarit: Quemadmodum hunc locum exponit D. Augustinus, peccatum in scripturis, pro victima in expiationem peccati oblata, sępe accipi; Sicut, cùm Sacerdotes, populi dicuntur, *peccata manducare*, vt paulo ante dicebamus, nec non pro similitudine carnis peccati, vt ad Roman. 8. *De peccato damnauit peccatum*. Et ad eosd. 6. *Quod enim mortuus est*

August. lib. 2. contra Maximin. c. 2.

est peccato, mortuus est semel: Sicut igitur Christus, pro nobis est factus peccatum, id est, carnis seu peccati similitudinem assumpsit, vt victima pro peccato fieret: ita nos, Dei iustitiam effici, per similem tropum, dici possumus, quia iustitiam in hærentem recipimus, quæ Dei est iustitia, id est, *iustitiæ Dei* effectus, siue diuinæ quædam similitudo iustitiæ.

Dicimur verò *iustitia* potius, quam iusti, vt cum voce, *peccatum*, antithesis seruetur: qui enim dixerat, Christum factum esse *peccatum*, id est, hostiam pro peccato, maluit nos vocare *iustitiam*, quam iustos, eo sensu, quo nox tenebræ esse vocantur. Sicut verò Christus non imputatiuè, sed verè pro peccato fact⁹ est victima, *cùm, Verbum est caro factum*, ita cùm iustitiam adipiscimur, verè diuinæ iustitiæ similitudinem, & effectum participamus; adeò, vt frustra Lutherani doceant, non alio modo homines fieri iustos, quàm diuinæ duntaxat iustitiæ imputatione. *Matth. 5. Ephes. 2. Cyrill. lib. 12. Thesaur. cap. 8.*

Dicit autem Paulus, *Christum non nouisse peccatum:* quasi diceret, Adeò Christum illud non admisisse, vt non nosset, tanquam in ipso impossibile. Vnde Ioan 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* id est, Quis me posset arguere. Et Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, id est, nihil suum in me potest inuenire. Cum enim *segregatus sit à peccatoribus, nec habet necessitatem, pro suis delictis offerre*, vt qui propter vnionem suæ humanitatis, cum verbo diuino, in sublimiori gradu sit & ordine, quam vt possit peccare: humanæ siquidem naturæ peccatum, in diuinam personam redundaret, atq; etiam in diuinam naturam, quod cum plane deforme, & nefas sit existimare, nihil etiam ad incarnationis dominicæ finem profuisset. *Hebr. 7.*

D. Aug. lib. 3. de Doctrina Christi. c. 31. Damasc. lib. 3. c. 25.

Licet verò, Christus aliquoties suorum peccatorum videatur facere mentionem; id tamen, de suorum membrorum peccatis, est intelligendum. Vt cum inquit, Psal. 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Quanquam, vt ita loquatur, non tantùm suppetit illa ratio, quòd scilicet, ea peccata sint membrorum, quorum ipse est caput, sed simul etiam alia ratio, quia videlicet, & voluntate sua, & æterni sui patris præcepto, recepit se, pro eiusmodi peccatis satis facturum, iuxta illud Isai. 35. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Nam, & in communi sermone, solemus appellare debitum nostrum, etiam illud, quod recepimus nos esse dissoluturos, tametsi alienum.

CAPVT. VI.

Adiuuanees autem, exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Viam & rationem docet Apostolus, in gratiam cum Deo redeundi, cuius ira, Christi mortis sacrificio placata, ad misericordiã hoc tempore, se propendere testatur, si modò homines officij velint esse memores, eaq; præstent & adhibeant, quæ diuina lex imperat, & ab iis, conuentio cum Christo facta, requirit. Tametsi verò, Christi legatum agat Apostolus, se tamen Dei hic, sicut in priori Epistola cap. 3. vocat *adiutorem*, eò quod in his, quę ad hominum salutem spectant, DEO cooperetur. Non quod operationis diuinę vis, cuiusquam auxilio indigeat, sed scripturę consuetudine, dicuntur ij, Deum iuuare, qui mandata ipsius ad certum finem exequuntur, simulq; cum eo operantur.

Quomodo Apostoli erant Dei adiutores.

Exhortandi verbum adhibet, quod & obtestari, & obsecrare significat, quia modestia, precibusq;, ex animi demis-

demissione profectis, facilius àxp̄i ministris impetrant ea, ad quæ illi sunt destinati, quam imperio. Ideò huius Epistolæ principio, etiam dixit, *se non fuisse dominatum fidei ipsorum*, quæ etiam causa est, quod Apostolorum princeps, *Ecclesiæ primores, in cleris dominari nolit*: hoc n. vehementer exprobrat Dominus, apud Ezechielem, quod *subditis imperarent, austeritate & potentia, delecti abs se sui ministri.* Quare sicut Philemoni scibit Paulus, *multam fidutiam habens in Christo Iesu, imperando tibi, quod ad rem pertinet, propter Charitatem magis obsecro*: Ita Galatas, *qui spirituales sunt*, hortatur: *vt in spiritu lenitatis, delinquentes instruant.* *Gal. vlt. cap.*

Eam enim ob causam, patres, rerum spiritualium dispensatores, vocabant maiores nostri, quod amore, non timore (quod Dominorum) subditos auxilio, consilio, consolatione, oratione, subsidio, regerent & iuuarent non verò, seuerius redarguere debeāt, Qui secus faxint, grauiter à Greg. Nazianz. increpantur: *Oēs ex hoc*, ait, *Catholici & docti volumus videri, si alios reprehendamus, & illos solos optimos iudicamus, quicunq; potuerint, de fratribus latius & acerbius obtrectare, vel certè & subtiliter momorderint.* *Modus corrigēdi delinquentes Ecclesi. Fralatis seruandus.*

Paulus ergo, in Corinthijs, omnes regeneratos (*quib. notum fecit Deus Sacramentum suæ voluntatis, secundū beneplacitum eius, quod proposuit in eo Christus) in dispēsatione plenitudinis temporis, instaurare omnia in Christo*, rogat, vt curent, quo semel, idq; gratis, à peccatis exempti, in pristinam vitam se non amplius patiantur relabi, quia sic Dei gratiam inaniter recepissent, & Christus in mortem, se pro omnibus in redemptionem frustra dedisset: si tamē relabi contingat post baptismū, ait, pœnitentiæ esse locum: Hanc saltem, ait, ne negligamus. Nunc licet resarcire, si quis lapsus fuerit: at illud non semper licebit, sic n. apud Esai. loquitur Dominus. *Ephes. 1.*

Tem-

Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Eius temporis meminit Apostolus, quod Esaias, 49. cap. prænuntiarat, *Christo salutem* hominum *in medio terræ operante*, futurum: quo scilicet ex animo resipiscentib. fas esset, peccatorum accepta remissione, summum bonum comparare. Secuturam enim aliquando formidabilem *diem*, qua frustra quæreretur reconciliatio. Nam *vbicunq; ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit. Homines enim*, vt Author est Hieronymus, *in eo statuerunt perpetuò, in quo mors eos inueniet. Nunc autem decreuit Deus misericordiam suam largiri poscentibus, post hoc tempus, non habebit aurem, nostris precibus exaudiendis, placabilem, vel ad scelerum nostrorum veniam & condonationem, vel ad nostros conatus iuuandos cœlesti adipiscendæ gloriæ idoneos.*

Post mortem, nemo meretur.

Tempus nouæ legis, comparatione veteris, vocatur *salutis dies*, quia lex vetus, nemini salutem dabat; Ideò *nox*, à Paulo vocatur, quæ præcessit, dies autem salutis scilicet appropinquauit. Nunc autem nata in mundo, salutis spes est, per Iesum Christum, *qui saluum fecit populum suum à peccatis eorum*, qui dona cœlestia hominibus largiter impertitur, quibus cooperando, salutem possunt omnes mereri, si negotiando, non otiando, sibi non desint. Nam, si ritè his auxilijs diuinis, hoc tempore, non vtitur, ingratus, & Dei gratiam in aniter recepisse dicitur, quæ causa est, quod Galatas monet Apostolus, *vt bonum ad omnes operentur, dum tempus habemus*, inquit, huius vitæ, ad operandum idoneum. Sicut &

Matth. 2.

Galat. Vlt.

& Ecclesiasticus, *quodcunque potest manus tua,* inquit, *facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* In quam sententiam, *Patris sui opera, donec dies est,* dicebat se Dominus *operari, quia venit nox,* mortis scilicet, vmbra & tenebræ, *quando nemo potest operari,* nempe opera ad felicitatem comparandam, idonea.

Eccl. 9.

Curtempus sub nouo testamento, dicatur acceptabile.

Adest ergo tempus gratiosum, & diuino fauore secundum, in quo, Deus suam iram auertit: *hæc,* inquã, *dies est quam fecit Dominus,* de qua Romanis scribens, Apostolus, ait, *dies appropinquauit: Abijciamus ergo opera Tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus:* Licet enim omnes dies fecerit Dominus, hanc tamen singulariter fecit, quia hoc gratię tempus, singulari beneficio nobis contulit, vt *in eo gaudeamus, & exultemus semper.* Hanc diem, quando scilicet *Verbũ,* Dei filius, *factus est homo,* vt primùm *Abraham vidit, gauisus est* animo, & corpore, præ nimia lætitia gestiuit, quia Christi in carnem aduentus, omnis gratiæ diuinæ hominibus collatæ principium, & dies exultationis totius vniuersitatis fuit: Ideò *beatos Apostolorum suorum oculos* prædicabat Dominus, qui præsentiam eius videbant, *multos,* subijciens, *Prophetas eadem videre desiderasse,* quod maximè cupiebant, non esse assecutos: Quod assecuti iam sumus, nempe gratiæ Euangelicæ tẽpus, in quo *exurgens Deus, miseretur Syon, quia miserendi venit tempus,* quo hominum preces per Christum, facile exaudiantur. Dicit enim, *si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis:* Ideò hortatur omnes, cum Isaia Apostolus, *vt quæramus Dominum, dũ inueniri potest, inuocemus eum, dum prope est.*

Psal. 117.

Dies salutis vocantur, qui post Christum, vsque ad consummationem mundi durabunt.

Esai. 55. Hieron. hoc eodẽ capite.

Non quod satis sit, Deum, ait Hieronymus, quæ-

diamus; *Nescio vos*, id est, nō approbo vos, non agnosco pro filijs meis, in vobis signaculū non video spūs mei. Tunc frustra clamabimus, *Dn. Domine, aperi nobis*, nam *ibi à Deo mereri nemo potest*, ait Gregor. *quod petit, qui hic noluit audire, quod iussit*. Super c. 1. Eph. 1.4. Greg. hom. 12. in hæc verba Matth.

Nemini dantes vllā offensionē, vt non vituperetur ministerium nostrum.

Non modò maximam, ab Ecclesię ministris (quorū est, ad vitæ innocentiā verbo & exēplo alios prouoçare) sed & ab alijs (qb⁹ se Christianæ vitæ formā exhibet) sūmā pfectionē reqrit. Ideò cū se præconis Euangelici munere hoc pacto fungi pfiteatur, vt nemini causam, vel accusationis, vel reprehensionis vel offensionis pbeat: ita cęteros, ad sui imitationē cohortat̃, vt ex eorū, tanq̄ xp̄i cultorū vita, nihil nisi pbitatis specimē & sāctimoniæ exēplum cęteri, tā infideles, quā infirmiores Christiani hauriāt. Et iure qdē: nā *cuius vita despicitur*, ait Greg. *restat, vt eius prædicatio cōtēnatur*. Cùm etenim, pastores in via morū, errare vidēt ouiculæ, & doctrinæ ipsorū, vitā nō respōdere intelligunt subditi, à virtutis Christianæ studio, xp̄i sequela, & Euang. disciplina facilè retrocedunt. Propterea tā sępè & tā seriò scriptura, id gen⁹ Dei ministros & sacerdotes detestat̃, quorū malo exēplo, Dei nomē, & ab infidelib⁹, & ab impfectis, tā malè solet audire. Quēadmodum n. lex diuinit⁹ data, humanæ voluntatis est norma & certa amussis, q̄ sine Dei munere obseruari non pōt, sic eius obseruātia, in oīb⁹ bonis operib⁹, ex sua natura, diuini nōis honorē amplificat, q avidentib⁹ occasionē pbet, eidē legi similiter obtēperandi, vt Dei gloriā extendāt, iuxta q, apud Matt. est scriptū, *Sic luceat lux vestra corā hominib⁹, vt videāt opera vestra bona, & glorificēt patrē vestrū, q in cælis est.* Matth. 5. c. 1. Pet. 2.

1.Petr.2. Et B. Petrus, *ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.* Sic vice versa, nulla re, tantùm diuinus honor obscuratur apud alienæ religionis nationes, & imbecilles Christi cultores, quàm cum populus, qui familiæ Dei imaginem gerit, cuiusq; singularem curã Deus ipse habet, legem, quam profitetur, præuaricatur & contemnit: Nam propter corruptos fidelis populi mores, fidei doctrina blasphematur: Ideoq; suũ
1.Tim.6. Timotheum monet Apostolus, vt *quicunq; sub iugo sunt serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & fidei doctrina blasphemetur:* Inprimis verò, à legis norma facilè simpliciores, ad peccata quæuis reuocantur, eorum qui præsunt, & ad omnem probitatem præferre facem debuerant, corruptis moribus, & licentiosa ad omne scelus, impunitate.

Isa.49. Ideò Isaias: *Dominatores eorum*, inquit, *iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meũ blasphematur.* Sic Ezechiel: *Populus iste est Domini, & de terra eius egressi sunt, & peperci nomini sancto meo, non propter vos, sed propter nomen sanctũ meum, quod polluistis, nempe malè viuendo in gentibus, ad quas missi erant.*

2.Reg.12. Occasionis datæ, ad Domini nomen blasphemãdum, duplicem pęnam acerbissimè luit Regius Vates. Veruntamen, ait Propheta, *quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur. Qui enim alios docent*, ait Apostolus, &
Rom.2 se ipsos non docent: *Qui prædicant non furandum, & furãtur, &c. nomen Dei per vos blasphematur inter gẽtes.* Ideo prioris Epistolæ, c.10. eosdem Corinthios monet, *vt sine offensione sint Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego*, inquit *per omnia placeo, nõ quærens, quod mihi vtile est,* sed quod multis, vt salui fiant.

Sed

Sed in omnibus exhibeamus nos metipsos, sicut Dei ministros.

Primariam in Ecclesia dignitatem, *Apostolatum* videlicet, vocat *ministerium*: Nam, licet verbi duntaxat prædicatores, non essent Apostoli, sed spirituali authoritate, tanquam gubernatores in spiritualibus, & Rectores, in ijs, quæ ad salutem pertinent, essent etiam præditi: tamen vt ministros, se volebant haberi: sicut ipse Paulus 2. ad Corin. 4. *Sic nos existimet homo*, ait, *vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* & hoc quidem, ad Christi imitationem, qui licet Deus & homo, *ad veritatis perhibendum testimonium, esset à patre missus in mundum: tamen non ministrari, sed ministrare dicebat se aduenisse. Ego autem in medio vestrum sum*, ait, *sicut qui ministrat.*

Insignis Christi & Apostolorũ humilitas.

Ioann 19. Luc. 22.

Quo pacto, & ipsi Apostoli: tametsi pastores, authoritate diuina, nempe à spiritu sancto essent cõstituti, missi & positi regere Ecclesiam Dei; se tamen seruos, se ministros appellabant, non quod potestatem negarent, quam re ipsa Paulus sæpe, sicuti Petrus exercuit, sed vt significarent, ea se potestate non per ambitionem, vel docendi cupiditatem vti, sed summa modestia, quò forma gregis facti, demissionis animi omnibus exemplum præberent: non tàm sui quàm cæterorum hominum causa, hoc à se munus arduum & difficile geri, insinuantes.

Marci 10. Act. 20.

Hoc enim, inter secularis, & Ecclesiasticæ potestatis vsum, interest discrimen, quod plerumq; seculares, in alios potestatem exerceant, quasi tyrannide metirentur imperium, eò melius vnumquemq; imperare existimantes, quò seuerius in suos subditos,

Discrimen inter Ecclesiasticum & secularem magistratum.

quasi in capta bello mancipia, dominarentur: Ecclesiastici verò non item; vt qui cæterorum salutem & spiritualem profectum, nõ primatum, per superbiá, non suum per auaritiam, commodum debebant quęsisse. Eiusmodi siquidem, non tàm Christi gloriam, quàm se ipsos quærunt, & ideò suum ministerium tá vituperio, quàm ludibrio exponunt, vt qui, non tàm opus, quàm opes; non tàm subditorum comune cõmodum, quàm propriam vtilitatem; non tàm Ecclesiæ fructum, quàm suæ œconomiæ auctionem & ꝓuétum sectentur: Cum tamen & fide, & sanctitate vitæ, & diligentia, suum illud ministerium glorificare, ad Christi imitationem, debuerant: Qui, *cùm diues esset, nostri causa egenus factus, patri vsq; ad mortem crucis obedijt*, vt se hostiam placabilem, humanę salutis gratia offerret.

Quales DEVS Ecclesiæ Cath. ministros esse velit.

Cùm enim Christi negotium geri debeat à spirituali magistratu, tùm ijs, puritati, innocentiæ & syncceritati studendum est, qui illud administrant, & gerũt. Hæc enim dicit illis Dominus, *Eritis mihi sancti, quia sãctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.* Quasi velit Ecclesiæ patres, siue ministros & Antistites, non à nationibus duntaxat gentium infidelium, à Turcis & Saracenis, sed à suo quoq; populo, hoc est, à Christianis cæteris, esse disiunctos, quos maiore sanctitate, promiscuo Christianorum Vulgo præire desiderat. Nam, *secundum iudicem populi, sic & ministri eius esse debent.*

Eccls. 10.

In

In multa patientia, in tribulationibus, in neceßitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, &c.

Ex eo, maxima Chriſtiano miniſterio gloria accedit, in quo xp̄m imitantes miniſtri, ad virtutis ſtudium, fidelis populi cœtum incitatum, inflammant. Nil verò eſt, q̄ Dei imitationē in homine pio, magis exprimit, ipſa patientia. Qui ſiquidem iniurias contemnit, mala diſſimulat, calamitatibus non frangitur, ſe patris cœleſtis ſpiritu prædirum declarat, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.*

Huius rei nomine, illuſtres erant Apoſtoli, qui Dei, peccata diſſimulantis inſtar, eos multis beneficijs proſequebantur, quos in ſe grauiter, & ex ſumma malitia peccaſſe cognouiſſent. Nec tantùm ſumma animi conſtantia & alacritate perditorum hominum odia, calumnias, & perſecutiones tolerabant, ſed & in eis gloriabantur, qui ſe *tranſlatos* ex horum patientia, *ſciebant à morte ad vitam*, quod multò melius & optabilius ſit, vitam habere perpetuā in nobis, etiam in huius mundi miſerijs & momentaneis aduerſitatibus, quā in æternā mortē, pro fluxa quadā conſolatione, incidere. Propterea, ex malis pro Chriſto perpeſſis, ſuauitatem ſum̄am experti, *ibant Apoſtoli à conſpectu conſilij gaudentes, quia digni fuiſſent habiti, pro nōie Ieſu contumeliā pati*, q̄ illis non ſolùm iucundum & ſuaue, ſed valde vtile & honorificum erat. Quēadmodum D. Petrus etiā Chriſtianos conſolans docuit. *Nemo*, inq̄t, *veſtrū patiatur, vt homicida, aut fur, &c ſi autē vt Chriſtianus, nō erubeſcat, glorificet autem Deum in hoc nomine.* Deum

Quanta Apoſtolorum patiētia ſēper fuerit

1. Ioan. 2.

Actor. 5.

1. Petr. 2.

Deum enim glorificat, qui eò, quod Christianus est, persecutionem patitur & sustinet. Nam cum doctrina viri, per patientiam noscatur, contra minas & intentata supplicia, fortiter pronunciabāt Apostoli & Martyres: *non possumus, quæ audiuimus & vidimus, nō loqui: scientes quod per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Dei, quod à diebus Ioannis Baptistæ vim patitur, & solis violentis patet.*

Prouer. 19.

Actor. 4.

Non verò simplicem patientiā comēndat Paulus, sed multā, quasi nō semel atq; iterum, in oīb⁹ sit pstanda, sed ad finē vsq; exhibenda, vt cū diuersi generis cōtumeliæ, calumniæ; V. G. verbo vel opere illatæ p vindictā, non cōpensantur, sed ita feruntur fortiter, vt qui patitur, nullū, vel doloris, vel indignationis, vel vltionis sensū exprimat; cuius patientiæ formā insignem, Dn̄s exhibebat, cū *tanquā ouis ad victimā ductus, obmutescens, nō apperiebat os suū*, sed sum̄a, tū mansuetudine, tū animi tranquillitate, iniurias dissimulās, *cū malediceretur, nō maledicebat, cū pateretur, nō cōminabatur: Tradebat autē iudicāti se iniustè.* Quod exemplū xp̄i, Apostolorū Princeps, oīb⁹ Christianis imitandū pponit. *Hæc est n.* ait, *gratia, si ppter Dei conscientiā sustinet qs tristitias patiēs iniustè: Quæ n. est gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benefaciētes patiēter sustinetis, hæc est gratia apud Deū. In hoc n vocati estis.* Varias aūt, & in corpore, & in aīo patiēdi species, siue modos subiūgēs, primū *tribulationi* locū tribuit, q̄ mentē ea anxietate affligit, vt in corp⁹ ipsū redundet, in qua tribulatione patientes, esse Romanos volebat Apostol⁹. Subiungit, *in necessitatib⁹* q b⁹ vict⁹ & amict⁹ penuriam, videtur significasse, cui Sanctorū necessitati Rom. c. 12. monebat, vt subuenirēt. Alij *necessitatē* hoc loco, vocāt, graue & molestū quoddam

Gaudiū quod iusti concipi ūt ex tribulationibus huius mundi esse verum.

Roman 12.

dam, naturæ inconueniens? quod cum vitari humano consilio, vel auxilio nequeat, contra tum voluntatem, tum affectionem, cogitur ille homo, vel pati, vel dissimulare, vel deuorare.

In Angustijs: Cum scilicet, aduersis ita premitur animus, vt euadendi nulla suppetat occasio, quemadmodum ad Hebræos, dicuntur *sancti Angustiati*, ob præsentes necessitates, & imminentia pericula.

In plagis, hoc est verberibus, quibus Martyres & Apostoli excipiebantur, de quibus in exemplum, infra, cap. 11. se adducit Paulus, cui & multas plagas illatas, ait D. Lucas. *Act. 16.*

In Carceribus: In quorum squalore, famem, sitim, rerum omnium penuriam, & sæpe cruciatus acerbissimos patiebantur.

In seditionibus: Dum Christi doctrinam constantissimè prædicarent Apostoli, tam populi duces, quàm Idolorum flamines, concitabat Diabolus, vt in populo facta seditione, tanquàm pestes, & Reipublicæ perturbatores, ad pœnas & supplicia, Christi ministros quærerent, quod Paulo contigisse narrat D. Lucas. Act. 19. & in priori ad Corinthios; de seipso, & sui similibus *1. Thessal. 3.* pronuntiat, quod factus fuerit *mundo peripsema & purgamentum.*

In laboribus & vigilijs. Ad manuũ operas, quibus se suosque alebat, *Labores*: Ad Corporis verò macerationem, & propriæ carnis edomationem *vigilias* reuocat Theophylactus: Nisi varios sudores & molestias, quas Euangelij causà deuorabat, malis intelligere, vt qui noctes insomnes, in oratione & assiduis meditationibus, Christum secutus, duceret, die, in fidei prædicatione, & operum manualium exercitatione, ad necessitatẽ leuandã, consũpto.

In ieiuniis, in castitate

Psal. 34. psal. 108. Ea Christi negotia exequendo, sobrietate(etiam ad inediam vsq;) vtebatur Apostolus, vt nonnunquam prę virium defectu, nutaret & vacillaret: adeo vt cum Dauide posset dicere, *humiliabam in ieiunio animam meã:* Et hoc, vt spiritus imperio, edomitam carnem suam subijceret. Ad hoc enim 1. Cor. 9. se *Corpus suum castigare* dicit, *ne cum aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur:* Sicut alibi, *humiliabam in ieiunio animam meam*, quod pœnitentium & peccata plangentium est proprium, ad hoc scilicet, vt pietati & diuino cultui sanctius & religiosius vacent. Nã ad temperantiã, modestiã, pietatem (quæ ieiunij partes sunt) mores suos componere non potest, delitijs corruptus, & præoccupatus, Nam *satietas*, inquit Basilius, *lasciniæ initium est. Protinus enim vna cum delitijs, ebrietate, & conditis bellarijs, irrumpet omnis forma intemperantiæ.*

Basil. hom. 1. de ieiuniis sanct.

Iure itaq;, cum ad corporis attritioné frigidiores Christiani sint (vtpote *ab adolescentia* scm̃ carné *ad malum pclives, & in iniquitatibus concepti*) statos ieiuniorum & abstinentiæ dies, decreuit Ecclesia, quos licèt ebrietati miscendæ assueti Lutherani rideant, attamen ad mentis in Deũ eleuationé, siue orationé, & sacras preces, id plurimũ conducere, semper vsu cognouit mater Ecclesia, Annã viduarum sanctissimã, in ieiunijs, & obsecrationibus Deo seruienté(cõmendante Luca) imitata. De Paulo, & aliis Apostolis, narrat idem Lucas, q; *ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus Segregate mihi Paulũ & Barnabã &c. moxq; ieiunantes, & orantes, imposuerunt eis manus.* Rursum ijdem, cum *constituissent in diuersis ciuitatibus, per singulas Ecclesias*

Luc. 2. Actor. 2. 3. 13.

stas, presbyteros, & orassent, cũ ieiunationibus commendarunt eos Domino: Hinc dicit scriptura, quod *bona sit oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Vt enim cibus, robur affert, potus cibum temperat, sic ieiunium, animam roborat (nam dum, qui foris est homo noster corrumpitur, is qui intus est, renouatur) & oratio ieiunium temperat, dulceque reddit. *Tob. 12.*

Quare ridiculum est, quod hodierni sectarij pseudo scilicet Euangelici, se, tum ieiunaturos dicunt, quando id edomandæ carni videbunt expedire, quibus sapienter respondit quidam. Hoc si ita est, nec coniugatos facile ieiunaturos, qui aliud, & facilius remediũ in prõptu habẽt, nec virgines ieiunare ausuras, ne impudici iuuenes auertant eas â libidine titillari: Denique nihil hoc aliud esse, quã vt quisq; suam libidinem ꝑdat. *In vita Thomæ Mori. 12. cap.* *1. Cor. 8.*

Quod aiunt Lutherani, *Deo nos escam minimè commendare*, nequitia est, ad ingluuiem excusandam obtrusa: neque enim sermo ibi, de cibo & potu sumendis erat, Corinthijs loquenti Apostolo, sed de Idolothytis: Quare non tam esus, quam rectæ fidei, in edendo rationem habendam cupit, ob infirmorum offensionem, quasi diceret: Sicut Esau lenticulæ comestione iustitiã adeptꝰ non est: ita Eliã vsus carnium, nõ polluit.

Ieiunio, Castitatem adiunxit, quasi matri prolem. Tritum est n., sine Cerere & Baccho frigere Venerem. Versatur enim castitas, circa Venereorum moderationẽ, vnde & à castigando dicta est, quod per illam, à ratione refrenata, castigetur carnis cupiditas, alicuius instar pueri, qui à pædagogo, ne ꝑ importunas affectiones exorbitet, cohibetur. Est autẽ cupiditatũ cohibitio, maximũ, ad rerũ diuinarũ meditationẽ, & rerũ humanarum modestiam, præsidium, & adiumentum-

Scientiam, pudicitiæ subiecit Apostolus, quam aliquando, idem esse putat D. Thomas, quod prudentia, qua, quis in medio nationis prauę & peruersæ, grauiter, magnoque cum decoro conuersatur, & agit, cuius & ad Rom. cap. 10. videtur meminisse, cum dicit Gentium Doctor. *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Id est, nõ prudenter, nõ omnibus probè perpensis, & consideratis, vt nihil admitterent indecens: Nam etsi *pietas ad omnia valeat*, nisi tamen, qui pij sunt, & religionẽ ardentius colunt, moderationis sale, suas actiones erga proximos condiant, ac tempestiuè, sua pietate, iustitię cultu vtantur, non multum spiritualiter ædificant, sed alios facilè offendunt: Ideo *sapientiam serpentinam*, cum *simplicitate columbina*, â suis exigebat Dominus. Si verò scientia, ad certitudinem referatur, quà fideles, de his quæ ad Dei cognitionem pertinent, certi fiunt, sic ad fidei virtutem spectat, & vtraque, ait D. Thomas, Christianis necessaria est, quia ex vtriusque ignoratione, in errores, defectus, & peccata, est facile ruere. Propterea ait Isaias: *Captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* *Esai.5.*

Addit, *in longanimitate*, quæ spiritus sancti fructus est, hominis animum, contra duras ac diutinas aduersitates, adeò cõstanter obfirmans, vt malis, ob spei melioris euentum, non cedere aut frangi sit nescia, sed sibi sẽper similis, suoque de statu, se deijci nõ patiatur, adeò vt omnibus se ęquũ. & affabilem præbeat, ideo suauitatẽ eidẽ conglutinauit: quia *qui suauis est* hoc est, *blandus siue iucundus viuit in moderatiõibus*, vt qui se proximo amabilem reddat ac dulcem. Nam, vt author est Ecclesiastes, cap. 6. *verbum dulce, multiplicat amicos*, non quidem secundum vel carnem vel mundum, sed secundum *Gal.5.* *Col.3.* *Prouerb.12.*

cundum Deum, quoru m incensor est spiritus sanctus. *O quam suauis & bonus est spiritus tuus Domine*, ait Sapiens; Et hæc vna commendatio viri beati, Deum timentis, quod scilicet iucundus sit, procliuis ad commodandũ proximo, eiusque miserendum, & qui sermones suos in iudicio disponat ac in æternum non commoueatur. Quia *spiritus sanctus disciplinæ, effugiet fictum*, ideò ab Ecclesiæ ministris, synceram erga alios affectionem, & dilectionem requirit, Sicut alibi dilectus Christo discipulus præcipit, *vt non diligamus verbo, neque linguâ sed opere & veritate, quæ scilicet* omnis simulationis sit expers, ita vt in alios, sic esse velimus procliues, quemadmodũ in nos omnes optaremus, esse propensos. Sap. 12. 1. Io. 3.

Propterea adiungit, *In verbo veritati*, quod vel simulato & duplici opponitur sermoni, qui inter fictos amicos blandè, quo ad linguam sonat, licet felle cor, & amaritudine sit interim plenum.

Alij *veritatis* verbum, Euangelij prædicationem interpretantur, contra sectarios, qui non secundum Dei mentem & spiritus sancti suggestionem, sed secundum priuatum sensum & spiritum, tam scripturam sacram, quâm maiorum traditiones & instituta ad suã & aliorum pernitiem ex mera nequitia exponunt. Ideò monet D. Petrus, vt si *quis loquatur, tanquam sermones Dei loquatur, nempè ad Dei mentẽ, puros, synceros, & nõ fictos. Neq; enim voluntate humana, allata est aliquãdo prophetia: sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt, sancti Dei homines*: Regnum enim Dei, hoc est, Euangelium, non in sermone, sed in Dei virtute consistit. 1. Pet. 4.

Cum enim verbum Dei, siue Euangelium dicimus, nõ ipsũ nomẽ aut vocem, aut scripturã Euangelij, sed res in Euangelio contentas intelligimus, & per Euan-

gelium annuntiatas, velut sunt mysteria incarnationis, passionis, septem Sacramenta &c.

Hinc adiecit Apostolus, *In virtute Dei*, quia doctrina Euangelij, nascente Ecclesia, signis & prodigijs à Deo confirmabatur, quibus verũ esse comprobabatur q; sancti Dei ministri prædicabant, vt omnis dubitandi locus tolleretur. Quemadmodũ Colossensibus scribẽs, *inquo & laboro*, ait, *certando secundum operationem eius, quã operatur in me in virtute.*

Col. 1. *Dei virtus* hic etiã sumi potest, pro interna latente & efficaci spiritus sancti operatione, quæ prædicatiõi verbi diuini externę cooperans, auditorũ mentẽ conuertit, & trahit ad verita tis sensũ & intelligentiã. Neq; n. verbo, aut prædicatiõi duntaxat, sed spiritui sancto potius inuisibiliter docenti, hominũ cõuersio asscribẽda est: Ideo dicebat Apostolis Dñs, q; *paracletus spiritus S. quẽ missurus erat in nomine ipsius, docturus, & suggesturus esset Apostolis, omnia quæcunq;* inquit *dixero vobis.*

Per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris.

Vt Deus veros Christi ministros patientia & longanimitate diutissimè probat, ita iustitià in huius mundi prosperis & aduersis, illis se ducem præbet, ne his fracti, illis verò elati, à recto & bono deflectant. Ideo iustitiæ, vult spiritualem Athletam, pręsidijs munitum, non armis corporalibus, quibus *aduersus spiritualia nequitiæ te-*
Iustitia est omnis virtus *nebrarum harum* victoria potiri fas non est, sed fide, spe, Charitate, patientiaq;, & alijs spiritualibus adiumentis instructum Christianum vult, quæ sinu suo, iustitiæ ratio, tanquam humanarum actionum norma & amussis complectitur. Ideo suos Ephesios monet Apostolus *vt* induant

induant armaturam Dei, quo possint stare aduersus insidias Diaboli, Quam armaturam describens, *state,* inquit, *succincti lumbos vestros in veritate*, quasi castitatis studio, luxuriam tanquam intestinum hostem, ante omnia compressam velit: deinde *iustitiæ loricam* eos cupit indutos, qua rerum terrenarum cupiditates illicitas contemptui habeant. Quemadmodum, n. totum corpus lorica tegit: ita iustitia, suum vnicuique tribuit. *Deinde calceatos pedes in præparationem Euangelii pacis desiderat,* ne superfluis rerum caducarum affectionibus, curisque corporis, supra modum angantur, qui ad æternitatem sollicite aspirant. *Ephes.6.*

Alia denique armorum spiritualium genera ibidem proponit, *fidei* nempe *scutum*, & *spei galeam*. Qui enim Christi cultor spiritus gladiũ, hoc est, orationem, pietatem, & vigilantiam habet, tuto cum hostibus in certamen potest descendere. Sua n. virtute, neminé vincit communis aduersarius noster Diabolus, sed nostra vna ignauia superamur. Ideo monet D. Iacobus: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. *Iacob.4.*

Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.

Mundi malitia, & Cacodæmonis fraude fit, vt in hac rerum Vniuersitate, nihil aliud homini obiiciatur, quam auaritia, luxuria, superbia, à quibus, Christi cultores, gratiæ diuinę præsidio adiutos, vult abhorrere Apostolus, qui veræ perfectęque felicitatis Creatoré, authoremq, Deũ, vti par est, colere desiderant. Ideò regiã viã ostẽdit, & quasi ducatũ prębet ne à dextris, vel sinistris in via ad beatitudiné Christiani deflectant.

Ex re enim minima, & ex quouis, aut iudicio inclinationis prauo, aut infirmitatis signo, seducendi ansam sumit Diabolus. Nam quos saturatos videt, ad luxuriam pellicit, quos famelicos animaduertit, ad gulā prouocat & tum ad luxuriam: laboribus oppressos, ad impatientiam solicitat: Rebus secundis vtentem, ad superbiam vocat: Ideò hortatur Paulus, nequis moueatur: si hodie digito monstratus, dicitur hic est, & cras contemptus, nauci habetur. *Qui enim gloriam non quærit, contumeliam non sentit*, ait D. Gregorius, & 1. & Cor. 9. *Melius est mhi mori*, dicebat Apostolus, *quam vt gloriam meā quis euacuet*, Quod ideò optabat, quia quibusdam, scilicet, *a dextris* doctus, eruditus, prudens videbatur: alijs *à sinistris*, Reipublicæ pernicies, impostor, pauper, & cōtemptus habebatur. Idcirco dicit, *per infamiā, & bonam famam.* Nam, licet hominis bonum tale sit fama, quod diuitijs & fortunis præponderat: si quis tamen propter iustitiam, ac immeritò huius patitur aliquod detrimentum, id minimè curandum est, quemadmodum ipse Christus, suo exemplo docebat, cum aliqui dicerent, *bonus est*, alij ë contra, *turbas ab eo seduci* mentirentur: eam ob causam gloriabatur Apostolus, si quando Christi causa, à mundi amatoribus, vel *purgamentum, vel peripsema* habitus *seminiuerbius per conuitium*, appellaretur.

Ioan. 7.

Act. 17.

Nam licet *de bono nomine, curam habere* velit Ecclesiasticus, & hoc *propter eos, qui foris sunt*, ait Apostolus: Si tamen præter eius meritum, cuius fama læditur, id accidit, moueri cordatus vir non debet, qui occasionē non dedit. *Quasi morientes, & ecce viuimus*, sic malorum discrimini conspiciebantur expositi Apostoli, vt pro mortuis haberentur. *tanquam oues occisionis*. Ideò dicit, quod

Ecclesi. 1. 41.
1. Tim. 3.

quod etiamsi permittat nonnunquam Dominus, suos tentationibus diuexari, siue persecutionibus, tàm spiritualibus, quàm corporalibus affligi; hoc agit, vt eos, quasi per disciplinam erudiat atque castiget, non autem, vt eos morti tradat: Dum enim corpus cruciatur exterius, intus anima vegetatur vberius, *nā iustus ex fide sēper viuit:* Talis erat patientiæ paradigma Iob, qui licet in nidulo suo moriebatur, nihilominus tamen, quasi palma multiplicabat dies suos. *Iob. 29.*

Nam, *quem diligit Deus, castigat: flagellat enim omnem filium, quem recipit*, sicut castigatum se ita dicebat Regius Vates à Domino, vt interim morti non esset traditus. *Quasi* (subijciebat) *tristes, semper autem gaudentes.* *Hebr. 12.* *Psal. 117*

Apud incredulos, ait Theophylactus, videntur iusti homines, mœsti, cæterum in animo voluptas est florida & viuax, quasi non aliquando lætentur, & aliquando mœreant, sed nunquam non gaudent.

Nam vt ait Dydimus, *Lætitia sempiterna in corde eorum versatur, quorum spiritus sanctus habitator est.* Tristitia enim exterior iustorum, in animi sæpe gaudiū conuertitur. *Ioann. 16.*

Ideo monet Iacobus, vt *omne gaudium existiment, cùm in varias tentationes inciderint, &c.* & D. Petrus *communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis.* *Iacob. 1.* *1. Pet. 4.* *Persecutionē patientes propter iustitiam.*

Sicut egentes, multos autem locupletantes: Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Quæ mundus in pretio habet, & supra modum homines admirantur, vt sunt diuitiæ, voluptates, honores, boni similitudinem, non veritatem habent. Ideo voculas siue coniunctiones, *tanquam, quasi, vt, velut* (quæ similitudinem significant) rebus terrenis, q̃ transeunt, adiunxit, certa verò & firma bona, vocibus absolutis expressit.

Dicit itaq; Paulus, iustos, sępè miseros, & pauperes hominum opinione, videri: cùm tamen bonis omnibus affluant. Sunt indigentia, tristitia, &c. vmbræ passionum; Qui siquidem Deum possidet, omnia habet, nec à quacunq; re, quæ Deus non est, possidetur. Ideò timentem Deum, Propheta prædicat beatum, non aurum, argentum, & ingentes diuitias possidentem, non arte, non potentia, non dignitate, non sciẽtia, non ingenio præditum, sed qui curat, & cupidissimè quærit effectui mandare, quæ Deus mandat, & cauere, quæ prohibet ipse; Hæc enim duo, complectuntur omnia iustitiæ arma: vt scilicet, *à malo declinãs homo, faciat bonum:* Qui enim noctes & dies, in has duas res incumbit, gloria & diuitijs, tàm spiritualibus quã corporalibus, abundantem domum habet: Spiritualibus quidem, quia legi diuinæ perficiendæ intentus, eos bonarum operationum cumulos profert, qui etiam seruiant aliorum necessitatibus, quia dum tempus eiusmodi iustus habet, *ad omnes bonum operatur, & bonum faciens, non deficit.*

Vera arma iustitia, quæ sint.

Psal. 33.

Hoc genus sanctos scilicet homines, dicit alibi Dauid

David, *quod euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Nec desunt ad vitæ necessaria, terrenæ iustis diuitiæ, quia, vt ait Sapiens: *Nō affligit Dominus animam iusti fame:* Nec, *vidi iustum derelictum, aut semen eius quærens panem* ait Psalmographus. Nam licet aliquando videantur alijs egere, suo tamen iudicio, penuriam non patiuntur. Notum enim est illud sapientis, quod *sit quasi pauper, cum in multis sit diuitijs. Omnia enim nostra sunt*, ait Apostolus, in ea quæ est ad Corinthios: Nam qui omnia mundi & fortunæ bona aspernatur, & habet mundum, imò seipsum contēptui propter Christum; Omnibus, vt Dominus, incumbit & insidet, & verè terrenarum diuitiarum possessor est, q a qui ab eis non possidetur. Qui enim non sibi, sed Christo viuūt omnia quę Christi sunt, sua esse omnia reputant; Christo vero cum sint omnia subiecta, tùm Christi cultoribus, omnia videntur subiacere.

Psal. 145.
Prou. 10. 13
1. Corin. 3.
Quis sit verè diues in hoc mūdo

Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.

Vbi Paulus propria percurrit certamia, ait Oecumenius, venit ad sermonem de conuersatione, vitæq; ratione & amicitia. Primū autem ꝑsuadere nititur, pari dilectione, à Corinthijs, se nō amari, qua illos cōplectebatur, quasi diceret; Nō possumus silere erga vos, sed sēp loq cupimus, q, amantiū est ꝓprium, & ingenua libertate loquentiū. Qn̄ etenim, ait Photi⁹, quēpiā q spiā feruenter amat, alij verò, nō pari modo redamant, occasionē ac facultatē amanti p̄bēt, vt plurib⁹, suā causā erga ipsos iustificet ac ꝓbet; Deamamus, inq t, & cordis patimur inflamationes, dilatamur corde, & gaudemus, amoriq; subdimur.

 Vos

Vos autem angusti estis. Sunt hæc Pauli verba, gaudij & amoris in animo conceptorum, nec se continere valentium, quin effundantur, significantia. Tum n. *patere os* dicitur, cùm ea quæ animo compressa retinebantur, in lucé adminiculo linguæ liberè emittuntur:
Iob. 3. Sic dicitur Iob aperuisse os suum. Sic Christus Math. 5. & 12. dicebat, *ex abundantia cordis os loqui*, quéadmodũ & profundiora mysteria docturus Apostolus, *aperire*
Ezech. 29. *dicebatur os suum*. Vnde & de Prophetis, apud Ezech. ex Dñi sententia, quædam prolocuturis dicitur. *In die illo, pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo apertum os in*
Quid aperire os sit in scriptura. *medio eorum, & scient, quia ego Dominus*. In quem sensum, dicitur Eclesſ. 15. quod *in medio Ecclesiæ, aperuit Dominus os eius*, id est, coram omnib⁹, *& in conspectu Regum loquetur, & non confundetur*. Ne verò, tã auram popularem, quã Corinthiorũ vtilitatem sectari videretur, hac sui amoris testificatione, adiunxit *ad vos*, vt omnia sua interiora & exteriora, eorum saluti militare significet.
Quomodo autem ardebat, ait August. *cùm diceret, os nostrũ, &c, ardebat & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incende-*
Aug, Tom. 8. in psal. 103. *ret, &c.* Et quia sicut saccus, quo magis repletur, dilatatur magis: Sic animus Pauli, cœlestium arcanorum plenissimus, cor constrictum retinere non poterat, q, os suum in tertium cœlum raptus aperiens, spiritum attraxerat, quia exaltatio oculorum, dilatatio est cordis. Vndè & subdit, *cor suum esse dilatatũ*, quia euacuatis terrenis, æterna capacissimo animo complectens, cum Propheta dicebat, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Non

Non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.

Corinthios, ad mutuum in ſe amorem prouocans, dicit eoſdem anguſto non eſſe loco, in ſuo corde: ſed toto potius pectore comprehenſos ita concludi, vt animum ſuum totum occupent. Aliquo ſiquidem loco anguſtiari, ſic comprimi eſt, vt euadendi nullus ſit relictus locus. In Paulum vero, ita videbantur affecti Corinthij, à veritatis hoſtibus, & Apoſtoli aduerſarijs, decepti (qui V. G. legis ceremonias, promiſcua connubia, &c. docebāt, vt anguſtiari potius in eo, quā ipſum proſequi viderentur amore; non aliter ac filij, qui ob patrem ignobilem, & diſcipuli, ob magiſtrum imperitum, & contemptui habitum, anguſtiantur. Et eſt, quaſi dicat, de ſe querendi non habere Corinthios occaſionem, ſi tàm fidei traditæ doctrinam ſpectent, quàm virtutis exhibitæ exempla, altius conſiderent, adeò vt ipſi, tum anguſtæ mentis, tùm remiſſioris amoris ſint occaſio, non ipſe Paulus, qui tàm erudita, tàm docta, tàm ſpiritualia docuerat, quæ ipſi ideò calumniabantur, quia non intelligebant. Sicut D. Hieronymus, de quibuſdam dicit, *vos quoq; parati morſibus plurimorum, qui ſtimulante inuidia, conſequi non valent, deſpiciunt*, & paulò poſt: *legāt prius, & poſtea deſpiciāt, ne videantur modo ex iudicio, ſed ex odij præſumptione, ignorata damnare.*

Vos autem angusti estis. Sunt hæc Pauli verba, gaudij & amoris in animo conceptorum, nec se continere valentium, quin effundantur, significantia. Tum n. *patere os* dicitur, cùm ea quæ animo compressa retinebantur, in lucé adminiculo linguæ liberè emittuntur:

Iob. 3. Sic dicitur Iob aperuisse os suum. Sic Christus Math. 5. & 12. dicebat, *ex abundantia cordis os loqui*, quéadmodũ & profundiora mysteria docturus Apostolus, *aperire*

Ezech. 29. *dicebatur os suum*. Vnde & de Prophetis, apud Ezech. ex Dñi sententia, quædam prolocuturis dicitur. *In die illo, pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo apertum os in*

Quid aperire os sit in scriptura. *medio eorum, & scient, quia ego Dominus*. In quem sensum, dicitur Eclesi. 15. quod *in medio Ecclesiæ, aperuit Dominus os eius*, id est, coram omnib⁹, *& in conspectu Regum loquetur, & non confundetur*. Ne verò, tã auram popularem, quã Corinthiorũ vtilitatem sectari videretur, hac sui amoris testificatione, adiunxit *ad vos*, vt omnia sua interiora & exteriora, eorum saluti militare significet.

Quomodo autem ardebat, ait August. *cùm diceret, os nostrũ, &c, ardebat & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incende-*

Aug. Tom. 8. in psal. 103. *ret, &c.* Et quia sicut saccus, quo magis repletur, dilatatur magis: Sic animus Pauli, cœlestium arcanorum plenissimus, cor constrictum retinere non poterat, q, os suum in tertium cœlum raptus aperiens, spiritum attraxerat, quia exaltatio oculorum, dilatatio est cordis. Vndè & subdit, *cor suum esse dilatatũ*, quia [illegible] terrenis, æterna capacissimo a[illegible]

cum Prophet[illegible]

Ite[illegible]

Non ang... ...ulli conue-
...n pertinét,
autem ... Et ad Dia-
...n dicitur.

Prauorum hominum consortia Christianis fugienda.

Corinth... ...psa cha-
dicit eosdem ang... ...ringit,
toto potius pe... ...iator,
nimum suum ... ...rauas
angustiari, sic ... ...uius
lictus locus. In Paulus ... ...*bitis*
Corinthij, à veteris ... ...ce
decepti, qui V.G. le... ...li-
bia, &c. docebāt, vt l
prosequi viderentur ...
patrem ignobilem, & ...
ritum, & contemptu ...
quasi dicat, de se ...
casionem, si tàm ...
quàm virtutis exhibere ...
adeò vt ipsi, tum ...
moris sint occasio, ...
tàm docta, tàm spir... ...ie-
lumniabantur, quia non ... ...tolus;
ronymus, de quibusdam ... *vsq; ad*
plurimorum, qui simulante ... ...d inobedi-
spiciunt, & paulo post ... ...uq; inobediés
ne videantur ... ...us sint, Diaboli
... ...m horrendum, in-
... ...n coaluerint.

Iure orthodoxis cũ hæreticis cõuersatio ... ab Ecclesia ... per est prohibita.

...lial, *& in Christo non ha-*
...al clamant, *quid nobis & tibi*
...*se tempus torquere nos:* Vt ergò

Ioan. 10.

gelium annuntiatas, velut sunt mysteria incarnationis, passionis, septem Sacramenta &c.

Hinc adiecit Apostolus, *In virtute Dei*, quia doctrina Euangelij, nascente Ecclesia, signis & prodigijs à Deo confirmabatur, quibus verũ esse comprobabatur q̃ sancti Dei ministri prædicabant, vt omnis dubitandi locus tolleretur. Quemadmodũ Colossensibus scribẽs, *in quo & laboro*, ait, *certando secundum operationem eius, quã operatur in me in virtute.*

Col. 1. *Dei virtus* hic etiã sumi potest, pro interna latente & efficaci spiritus sancti operatione, quæ prædicatiõi verbi diuini externę cooperans, auditorũ mentẽ conuertit, & trahit ad verita tis sensũ & intelligentiã. Neq; n. verbo, aut prædicatiõi duntaxat, sed spiritui sancto potius inuisibiliter docenti, hominũ cõuersio ascribẽda est: Ideo dicebat Apostolis Dñs, q̃ *paracletus spiritus S. quẽ missurus erat in nomine ipsius, docturus, & suggesturus esset Apostolis, omnia quæcunq;* inquit *dixero vobis.*

Per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris.

Vt Deus veros Christi ministros patientia & longanimitate diutissimè probat, ita iustitià in huius mundi prosperis & aduersis, illis se ducem præbet, ne his fracti, illis verò elati, à recto & bono deflectant. Ideo iustitiæ, vult spiritualem Athletam, pręsidijs munitum, non armis corporalibus, quibus *aduersus spiritualia nequitiæ tenebrarum harum* victoria potiri fas non est, sed fide, spe, Charitate, patientiaq;, & alijs spiritualibus adiumentis instructum Christianum vult, quæ sinu suo, iustitiæ ratio, tanquam humanarum actionum norma & amussis complectitur. Ideo suos Ephesios monet Apostolus *vt*

Iustitia est omnis virtus

induant armaturam Dei, quo poßint stare aduersus insidias Diaboli, Quam armaturam describens, *state*, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate*, quasi castitatis studio, luxuriam tanquam intestinum hostem, ante omnia compressam velit: deinde *iustitiæ loricam* eos cupit indutos, qua rerum terrenarum cupiditates illicitas contemptui habeant. Quemadmodum, n. totum corpus lorica tegit: ita iustitia, suum vnicuique tribuit. *Deinde calceatos pedes in præparationem Euangelii pacis desiderat*, ne superfluis rerum caducarum affectionibus, curisque corporis, supra modum angantur, qui ad æternitatem sollicite aspirant. *Ephes. 6.*

Alia denique armorum spiritualium genera ibidem proponit, *fidei* nempe *scutum*, & *spei galeam*. Qui enim Christi cultor spiritus gladiũ, hoc est, orationem, pietatem, & vigilantiam habet, tuto cum hostibus in certamen potest descendere. Sua n. virtute, neminé vincit communis aduersarius noster Diabolus, sed nostra vna ignauia superamur. Ideo monet D. Iacobus: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. *Iacob. 4.*

Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.

Mundi malitia, & Cacodæmonis fraude fit, vt in hac rerum Vniuersitate, nihil aliud homini obiiciatur, quam auaritia, luxuria, superbia, à quibus, Christi cultores, gratiæ diuinę præsidio adiutos, vult abhorrere Apostolus, qui veræ perfectęque felicitatis Creatoré, authoremq; Deũ, vti par est, colere desiderant. Ideò regiã viã ostédit, & quasi ducatũ prębet ne à dextris, vel sinistris in via ad beatitudiné Christiani deflectant.

Ex

Ex re enim minima, & ex quouis, aut iudicio inclinationis prauo, aut infirmitatis signo, seducendi ansam sumit Diabolus. Nam quos saturatos videt, ad luxuriam pellicit, quos famelicos animaduertit, ad gulã prouocat & tum ad luxuriam: laboribus oppressos, ad impatientiam solicitat: Rebus secundis vtentem, ad superbiam vocat: Ideò hortatur Paulus, nequis moueatur: si hodie digito monstratus, dicitur hic est, & cras contemptus, nauci habetur. *Qui enim gloriam non quærit, contumeliam non sentit*, ait D. Gregorius, & 1. & Cor. 9. *Melius est mihi mori*, dicebat Apostolus, *quam vt gloriam meã quis euacuet*, Quod ideò optabat, quia quibusdam, scilicet, *à dextris* doctus, eruditus, prudens videbatur: alijs *à sinistris*, Reipublicæ pernicies, impostor, pauper, & cõtemptus habebatur. Idcirco dicit, *per infamiã, & bonam famam*. Nam, licet hominis bonum tale sit fama, quod diuitijs & fortunis præponderat: si quis tamen propter iustitiam, ac immeritò huius patitur aliquod detrimentum, id minimè curandum est, quemadmodum ipse Christus, suo exemplo docebat, cum aliqui dicerent,

Ioan. 7. *bonus est*, alij ë contra, *turbas ab eo seduci* mentirentur: eam ob causam gloriabatur Apostolus, si quando Christi causa, à mundi amatoribus, vel *purgamentum, vel pe-*

Act. 17. *ripsema* habitus *seminiuerbius per conuitium*, appellaretur.

Nam licet *de bono nomine, curam habere* velit Ecclesiasticus, & hoc *propter eos, qui foris sunt*, ait Apostolus:

Eccles. 1. 41. 1. Tim. 3. Si tamen præter eius meritum, cuius fama læditur, id accidit, moueri cordatus vir non debet, qui occasionẽ non dedit. *Quasi morientes, & ecce viuimus*, sic malorum discrimini conspiciebantur expositi Apostoli, vt pro mortuis haberentur. *tanquam oues occisionis*. Ideò dicit,

quod

quod etiamsi permittat nonnunquam Dominus, suos tentationibus diuexari, siue persecutionibus, tàm spiritualibus, quàm corporalibus affligi; hoc agit, vt eos, quasi per disciplinam erudiat atque castiget, non autem, vt eos morti tradat: Dum enim corpus cruciatur exterius, intus anima vegetatur vberius, *nã iustus ex fide sẽper viuit:* Talis erat patientiæ paradigma Iob, qui licet in nidulo suo moriebatur, nihilominus tamen, quasi palma multiplicabat dies suos. *Iob. 29.*

Nam, *quem diligit Deus, castigat: flagellat enim omnem filium, quem recipit*, sicut castigatum se ita dicebat Regius Vates à Domino, vt interim morti non esset traditus. *Quasi* (subijciebat) *tristes, semper autem gaudentes.* *Hebr. 12.* *Psal. 117*

Apud incredulos, ait Theophylactus, videntur iusti homines, mœsti, cæterum in animo voluptas est florida & viuax, quasi non aliquando lætentur, & aliquando mœreant, sed nunquam non gaudent.

Nam vt ait Dydimus, *Lætitia sempiterna in corde eorum versatur, quorum spiritus sanctus habitator est.* Tristitia enim exterior iustorum, in animi sæpe gaudiũ conuertitur. *Ioann. 16.*

Ideo monet Iacobus, vt *omne gaudium existiment, cùm in varias tentationes inciderint, &c.* & D. Petrus *communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis.* *Iacob. 1.* *1. Pet. 4.* *Persecutionẽ patientes propter iustitiam.*

Ee Sicut

Sicut egentes, multos autem locupletantes: Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Quæ mundus in pretio habet, & ſupra modum homines admirantur, vt ſunt diuitiæ, voluptates, honores, boni ſimilitudinem, non veritatem habent. Ideo voculas ſiue coniunctiones, *tanquam, quaſi, vt, velut* (quæ ſimilitudinem ſignificant) rebus terrenis, q̄ tranſeunt, adiunxit, certa verò & firma bona, vocib⁹ abſolutis expreſſit.

Dicit itaq; Paulus, iuſtos, ſępè miſeros, & pauperes hominum opinione, videri: cùm tamen bonis omnibus affluant. Sunt indigentia, triſtitia, &c. vmbræ paſſionum; Qui ſiquidem Deum poſſidet, omnia habet, nec à quacunq; re, quæ Deus non eſt, poſſidetur. Ideò timentem Deum, Propheta prædicat beatum, non aurum, argentum, & ingentes diuitias poſſidentem, non arte, non potentia, non dignitate, non ſciētia, non ingenio præditum, ſed qui curat, & cupidiſſimè quærit effectui mandare, quæ Deus mandat, & cauere, quæ prohibet ipſe; Hæc enim duo, complectuntur omnia iuſtitiæ arma: vt ſcilicet, *à malo declinãs homo, faciat bonum:* Qui enim noctes & dies, in has duas res incumbit, gloria & diuitijs, tàm ſpiritualibus quã corporalibus, abundantem domum habet: Spiritualibus quidem, quia legi diuinæ perficiendæ intentus, eos bonarum operationum cumulos profert, qui etiam ſeruiant aliorum neceſſitatibus, quia dum temp⁹ eiuſmodi iuſtus habet, *ad omnes bonum operatur, & bonum faciens, non deficit.*

Vera arma iuſtitia, quæ ſint.

Pſal. 33.

Hoc genus ſanctos ſcilicet homines, dicit alibi

Dauid

Dauid, *quod euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Nec desunt ad vitæ necessaria, terrenæ iustis diuitiæ, quia, vt ait Sapiens: *Nõ affligit Dominus animam iusti fame:* Nec, *vidi iustum derelictum, aut semen eius quærens panem* ait Psalmographus. Nam licet aliquando videantur alijs egere, suo tamen iudicio, penuriam non patiuntur. Notum enim est illud sapientis, quod *sit quasi pauper, cum in multis sit diuitijs. Omnia enim nostra sunt*, ait Apostolus, in ea quæ est ad Corinthios: Nam qui omnia mundi & fortunæ bona aspernatur, & habet mundum, imò seipsum contẽptui propter Christum; Omnibus, vt Dominus, incumbit & insidet, & verè terrenarum diuitiarum possessor est, q̃ qui ab eis non possidetur. Qui enim non sibi, sed Christo viuũt omnia quę Christi sunt, sua esse omnia reputant; Christo vero cum sint omnia subiecta, tùm Christi cultoribus, omnia videntur subiacere.

Psal. 145.

Prou. 10. 13

1. Corin. 3.

Quis sit verè diues in hoc mũdo

Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.

Vbi Paulus propria percurrit certamia, ait Oecumenius, venit ad sermonem de conuersatione, vitæq; ratione & amicitia. Primũ autem psuadere nititur, pari dilectione, à Corinthijs, se nõ amari, qua illos cõplectebatur, quasi diceret: Nõ possumus silere erga vos, sed sẽp loq cupimus, q, amantiũ est ꝓprium, & ingenua libertate loquentiũ. Qñ etenim, ait Photi⁹, quẽpiã q ſpiã feruenter amat, alij verò, nõ pari modo redamant, occasionẽ ac facultatẽ amanti pbẽt, vt plurib⁹, suã causã erga ipsos iustificet ac ꝓbet; Deamamus, inq t, & cordis patimur inflamationes, dilatamur corde, & gaudemus, amoriq; subdimur.

Vos autem angusti estis. Sunt hæc Pauli verba, gaudij & amoris in animo conceptorum, nec se continere valentium, quin effundantur, significantia. Tum n. *patere os* dicitur, cùm ea quæ animo compressa retinebantur, in lucé adminiculo linguæ liberè emittuntur:
Iob. 3. Sic dicitur Iob aperuisse os suum. Sic Christus Math. 5. & 12. dicebat, *ex abundantia cordis os loqui*, quéadmodū & profundiora mysteria docturus Apostolus, *aperire*
Ezech. 29. *dicebatur os suum*. Vnde & de Prophetis, apud Ezech. ex Dñi sententia, quædam prolocuturis dicitur. *In die illo, pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo apertum os in*
Quid aperire os sit in scripturis. *medio eorum, & scient, quia ego Dominus.* In quem sensum, dicitur Ecles. 15. quod *in medio Ecclesiæ, aperuit Dominus os eius*, id est, coram omnib⁹, *& in conspectu Regum loquetur, & non confundetur*. Ne verò, tā auram popularem, quā Corinthiorū vtilitatem sectari videretur, hac sui amoris testificatione, adiunxit *ad vos*, vt omnia sua interiora & exteriora, eorum saluti militare significet.
Quomodo autem ardebat, ait August. *cùm diceret, os nostrū, &c, ardebat & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incende-*
Aug. Tom. 8. in psal. 103. *ret, &c.* Et quia sicut saccus, quo magis repletur, dilatatur magis: Sic animus Pauli, cœlestium arcanorum plenissimus, cor constrictum retinere non poterat, q, os suum in tertium cœlum raptus aperiens, spiritum attraxerat, quia exaltatio oculorum, dilatatio est cordis. Vndè & subdit, *cor suum esse dilatatū*, quia euacuatis terrenis, æterna capacissimo animo complectens, cum Propheta dicebat, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Non

Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris.

Corinthios, ad mutuum in se amorem prouocans, dicit eosdem angusto non esse loco, in suo corde: sed toto potius pectore comprehensos ita concludi, vt animum suum totum occupent. Aliquo siquidem loco angustiari, sic comprimi est, vt euadendi nullus sit relictus locus. In Paulum vero, ita videbantur affecti Corinthij, à veritatis hostibus, & Apostoli aduersarijs, decepti (qui V. G. legis ceremonias, promiscua connubia, &c. docebāt, vt angustiari potius in eo, quā ipsum prosequi viderentur amore; non aliter ac filij, qui ob patrem ignobilem, & discipuli, ob magistrum imperitum, & contemptui habitum, angustiantur. Et est, quasi dicat, de se querendi non habere Corinthios occasionem, si tàm fidei traditæ doctrinam spectent, quàm virtutis exhibitæ exempla, altius considerent, adeò vt ipsi, tum angustæ mentis, tùm remissioris amoris sint occasio, non ipse Paulus, qui tàm erudita, tàm docta, tàm spiritualia docuerat, quæ ipsi ideò calumniabantur, quia non intelligebant. Sicut D. Hieronymus, de quibusdam dicit, *vos quoq; parati morsibus plurimorum, qui stimulante inuidia, consequi non valent, despiciunt*, & paulò post: *legāt prius, & postea despiciāt, ne videantur modo ex iudicio, sed ex odij præsumptione, ignorata damnare.*

Eandem autem habentes remunerationem, (tanquam filijs dico) dilatemini & vos.

Sensus est, id vnum à vobis contendo, vt vestri amantissimum, reciproco amore redametis. Rem arduam, difficilem & onerosam à vobis non exigo; Exigo Pater à filijs, sui patris imitationem, vt eius charitatem, charitate compensent, quod pietatis officiũ, ab illis iure exigit: Nam, cum eandem mecum, ô Corinthij, (quos in Christo genui) idem patrimonium, eandem hæreditatem exspectetis, (vbi enim est pater, ibi deberent esse & filij.) *Dilatamini*, hoc est, cor latum habentes, cœlestium & æternorum bonorum spe concepta, gaudio mecum gestite.

[Pro suo labore, suis tantummodo amorem exigebat in cõpensationem Apostolus.]

Tunc demum liberi eritis, nec vllis angustijs cõstringemini, si terrenis contemptis Christum ante oculos habentes, sic in eum exardescatis, vt eius causa, pati sine difficultate, mala & discrimina sitis parati, Tunc enim spei certitudo cor dilatabit, firmumq́; constans, ac stabile efficiet, si magnum, & liberum, spiritus libertate, (quæ fidei Christianæ propria est) animum habueritis.

Nolite iugum ducere cum infidelibus.

Pleriq́; Latinorum, ad sola connubia, hanc ꝓhibitionem Apostolicam reuocant. Græci verisimilius, eâdem, omnem fidelibus cum infidelibus societatem, caueri existimant: Quod, vt planius fiat, sciendum est, ait D. Thomas, quod iugum, dicitur omne illud, quo plures, ad aliquod opus efficiendum colliga-

colligantur. Quemadmodum verò nonnulli conueniunt, vt aliquid boni conficiant & ad Deum pertinét, sicut aliqui, vt quippiam mali exequantur; Et ad Diabolum spectat, conspirant: Sic vnum iugum dicitur Dei, alterum Diaboli. Est autem iugum Dei, ipsa charitas, quæ hominem ad obsequia diuina constringit, quod Matth. 10. à suis cultoribus, tolli iubet Saluator, Diaboli porrò iugum, est ipsa iniquitas, quæ prauas hominum voluntates ad malum vnitas colligat, cuius hic Paulus meminit, & Esaias c. 5. *væ*, inquit, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*: quasi diceret, nolite communicare in operibus infidelitatis, cum infidelibus; Et hoc propter duo, quia aliqui erant inter eos, q. de Idolothytis, non sine infirmiorum scandalo communicabant, alij cum Iudæis, in seniorum traditionibus conuersantes, Christi legibus derogabant.

Prauorum hominum consortia Christianis fugienda.

Iure orthodoxis cũ hæreticis cõuersatio omnis, ab Ecclesia semper est prohibita.

Vult itaq; ne Christiani cum Iudęis, in traditionibus legis, cum gentibus, in idolorum cultu communicent, quemadmodum in priore Epistola inhibens, *nolo vos*, ait, *fieri socios dæmoniorum. Non potestis bibere calicem Domini & Dæmoniorum*: Et in ea, quæ est ad Ephes. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*: Vbi omnem planè consuetudinem cum infidelibus, vt infideles sunt, damnat. Ideò huius loci authoritate, D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, & D. Hieronymus lib. contra Iouinianum *matrimonia illa damnant, quæ aliquis fidelis, cum aliqua infideli non baptizata, contraxerit*: quæ & Ecclesiæ consuetudo, vt omninò nulla, irritauit, sicut diligenter notarunt Scholæ Theologi, 4. sent. dist. 39. quæst. vnica, art. 2.

1. Corinth. 10. Ephes. 5.

Ambros. l. 1. de Abrahã c. 9. epistol. 70. Tertul. l. de Coron. Militis & l. 2. ad vxorem.

Quæ

Quæ enim participatio iustitiæ, cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras.

Loco personarum, res ipsas, siue repugnantes qualitates, ad rei maiorem exaggerationem posuit, vt cum incredulis ij, qui Christo nomina dederant, in posterum consuescere versariq; desinerent: Quia, inquit, omnis infielis ex eo iniquus meritò debet censeri, q. dæmoni, per summam impietatem, quod veri Dei proprium est, tribuat, *& veritatem in iniustitia detineat*: Vos verò Christianos, ipsa iustitiæ ratio, ad verum, veri Dei cultum compellit (quæ cum inter se coalescere nequaquam possint) nulla, vel societas, vel consuetudo inter nos & illos esse debet.

Eccl. 13. Quæ enim communio est sancti, ad canem; aut

Hierem. 23. quæ pars bona diuiti, ad pauperem: Et quid paleis ad triticum? Nunquid *fons* ait D. Iacobus, *de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam*? Non ergo congrua est Christianorum, qui lux, ob mysteriorum diuinorum cognitionem dicuntur, cum infidelibus societas, q. per diuinarũ rerum ignorationem densissimæ sunt tenebræ: Diuisit enim Deus statim in prima mundi conditione lucem à tenebris: Quia igitur, *impiorum via, tenebrosa est, & iustorum semita lucis plenissima*, nihil vni cum altero potest esse commune.

1. Ioann. 1. Ideò dicit D. Ioann. *Si dixerimus, qnoniam societatem habemus cum eo & in tenebris ambulamus, mentimur.*

Quæ

Quæ autem conuentio Christi cum Belial?

Ex discordia dominorum, idem probat, quia infidelium Dominus, vel potius tyrannus, est Belial; credentium autem Christus, Dominus benignissimus, *cuius iugum suaue est, & onus admodum leue.*

Vocabulum *Belial* in scriptura, vsitatum est, quod Hieron. idem valere docet, quod apud nos, valet *præuaricator & Apostata*: Significat etiam hoc nomen, iugum Dei abijcientem, ac potissimum Diabolum, qui à seculo iugum confregit & dixit, *non seruiam*. Quo modo Iudicũ 19. accipitur. *Venerunt ciuitatis illius filij Belial, nescientes Dominum, neq; officium eius ad populum.* 2. Reg. 16. *Egredere vir sanguinum, vir Belial.* Ita 3. Reg. 21. *Et adductis duobus viris, filijs diaboli, fecerunt sedere cõtra eum.* Et statim. *At illi*, scilicet viri diabolici *dixerunt contra eum testimonium*, in Hebr. habetur viri *Belial*, id est, homines apostatæ, hoc est, à Dei lege recedentes, & abijcientes eam.

Ex quibus, facilè intelligimus; pietati, ad impietatem nihil esse commune. Quasi diceret Apostolus; Quæ conuentio Christi, *qui obediens fuit patri vsq; ad mortem*, ad Belial, id est, absq; iugo, siue ad inobedientiã? longissimè abest à Christo, quicunq; inobediẽs est: Cum ergò credentes, Christi corpus sint, Diaboli verò membra, infideles; monstrum horrendum, ingens, & terribile erit, si in vnum coaluerint.

Princeps mundi est Belial, *& in Christo non habet quicquam*: at Socij Belial clamant, *quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos*: Vt ergò Ioan. 10.

nulla est inter Dominos, ita inter horum diuersorum Dominorũ seruos, nulla debet, aut pôt esse conuentio.

Aut quæ pars fideli, cum infideli?

Dei cum diaboli filijs, in vnam coire familiam non posse, ex diuerso hæreditatis adeundæ iure cõprobat, quare, eos vt filios, improborum cõmercia deuitare cupit, qui xp̃m patrem ritè voluerint imitari. Nam, *ancillæ filij, cum liberæ sobole, hæredes esse non possunt.* Dicit n. scriptura, *Eijce ancillam, & filium eius:* Qua Geneseos authoritate, probat Apostolus, non modò infideles tã Iudæos, quã Ethnicos, sed omnes homines, Christum tàm verbis & signis, quàm factis non confitentes, ad eius familiam non pertinere, nec regno Dei potituros: Verba Pauli sunt, *Nescitis*, ait, *quod iniqui regnum Dei non possidebunt?* è diuerso regius Vates, in persona iustorũ dicebat, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es q restitues hæreditatem meam mihi.* Hinc de iniquis legitimi apud Iephte, hæredes aiunt, in domo patris mei esse non potestis, quia de adultera nati estis. Nobis autẽ per Christum, in libertatem assertis, hæc sors contigit, vt *Deus cordis nostri, sit nostra pars in æternum.* Vestra autẽ pars, ô infideles & sectarij, reposita est cum hypocritis, nempe ignis, sulphur & Spiritus procellarum, pars inquam calicis iniquorum.

Nihil commune filiis Dei, cum filiis Diaboli esse pôt, aut debet.

1. Cor 10. Psal. 15.

Qui autem consensus templo Dei, cum idolis?

Ex Religionis probat disparitate, cane peius & angue, fugiendos fidelibus Christiani nominis hostes. Quia, inquit, sicut Ecclesiæ Catholicæ sacra, in simulacrorum adytis recondenda, non sunt, quæ gentibus maximo sunt ludibrio, ita profanorum idololatrarum

cultum

cultum, in nostra sacraria admitti non posse, leges ipsę docent. *Quid enim communicabit cacabus ad ollam?* Spem suam, impiæ gentes, in suis simulachris collocant, gẽs autem Christiana, in Domino confidit, quia *præsto est iis, qui confugiunt ad eum*, quia ex templò seruat eos ab omni periculo incolumes, eosq; in omni aduersitate protegit. Ex quo fit euidens, rectè ꝓhiberi Catholicis, ne cum hæreticis consuescant, sicut sanis cum leprosis viuere, etiam interdicitur. Hæreticorum siquidem sermo, semper, vt cancer serpit. Eccl. 14.

Vos n. estis templũ Dei viui: sicut dicit Deus; Quoniã inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: Et ipsi erunt mihi populus.

Regeneratos, esse Dei templa, Leuitici confirmat authoritate, vbi sẽm vulgatam editionẽ, ita scribitur, *Ponam tabernaculum meum, in medio vestri, & ambulabo in medio vestri, & ero vester Deus*: Cui dissimile non est, ꝙ apud Hierem. c. 7. legitur, *bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto*; quasi singularia quædã loca & vasa sint sacris vsibus deputata, Christiani; qui Dño, tũ demũ, *edificant domũ*, qñ *animam suã ab omni inquinamẽto carnis & spiritus emundantes*, sanctũ & impollutũ in se Deo domicilium ꝑparant. De quo alibi Paulus, dicit, *Christũ habitare per fidẽ, in cordibus nostris*: Vbi fidẽ intelligit, q̃ per charitatẽ operatur, vt ipse in epistola, ad Gal. est interpretat⁹, & in ea quę est ad Corinth. prior, *templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Pura n. esse anima nostra, ab amore terrestrium, & nullũ habere idolum debet, quæ domus Dei est. Leuit. 26.

Quare Dei tepla. vocetur fideles & iusti.

Quod verò addit, *Quoniam inhabitabo in illis*, vult significare, quod etsi totam rerum vniuersitatem DEVS inhabitet (cùm præsentia, potentia & essentia sua omnia repleat) iustos tamen singulari gratiæ suæ modo inhabitat, sicut apud Ioannem, dicit ipsa veritas, *Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & ego, & pater meus ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Non quod in se Deus moueatur, qui immobilis omnia occupat: Sed propter continuam operationem in iusto, ipsam DEI gratiam sibi inhærentem habente: Deus enim, qui animam iusti tanquam Dei domicilium incolit, clàm incolumem conseruat, promouèt, tuetur, & vnà cum ipsius arbitrio cooperatur.

Tales enim, beneuolentia sua, tanquam scuto firmissimo protegit, & sanos in charitate defendit, ab omnibus telis, artibus & insidijs inimicorum, vt securi, *de virtute in virtutem progredientes*, laboris tandem

Psal. 83. sui quietam mercedem possideant. Ideò tanta celeritate, ad diuinæ domus ædificationem accelerant, & sartam diligenter vindicare student, *qui iam gustarunt, quam suauis & dulcis sit Dominus: Sicut iurauit Domino*, dicebat Dauid, *votum vouit Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus mea, si ascendero in lectum strati mei, si somnum dedero oculis meis, & palpebris dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernacnlum DEO Iacob.*

Propter

Propter quod, exite de medio eorum. & separamini, dicit Dominus: Et immundum ne tetigeritis.

D. Augustinus, lib. contra Donatistas, cap. 8. & in breui collat. tertiæ diei, Paulum post Esaiam, de triũphante Ecclesia, sic loqui arbitratur. *Verba* verò Isaiæ: *Recedite, exite, &c.* de separatione, quæ moribus & animo fieri debet, nõ autem de corporali discessione ab infidelium templo, sacris & commerciis exponit. Cyrillus verò, secundum mysticum sensum, vult Esaiam à Paulo huc adduci, de Christianis loquentem, qui post baptismum, separari debent ab infidelium cœtibus, templis, sacrificijs, coniugijs & cæteris rebus, quæ quoquo modo, ad religionem spectant. Non quod omni commercio cum Christianis, peccatoribus interdicat: cum Ecclesia ex perfectis & imperfectis constet, sed cum infidelibus; quibuscum, tanquã *cum operibus infructuosis tenebrarum*, in ea, quæ est ad Epheseos, vetat communicare. *Ephes. 5.*

Ideò in priore Epistola nolebat suos Corinthios, *mensæ Domini & Dæmoniorum esse participes* Apostolus, quia verè fidei maiestas, & religionis nostræ dignitas, tanta ac talis est, vt eam sit existimandum violari, non modò cum contraria religio asseritur ex animo, sed etiam, cum id fit externo signo. Hinc dudum inueterata Ecclesiæ consuetudo, sanctorum Patrum authoritate, firmata est, vt matrimonia fidelium cum infidelibus, contracta, essent nulla, irrita, inualida: Quemadmodum prioris ad eosdem Corinthios, c. 7. latius à nobis est dictum.

Fidelibus ~ itã da cum hæreticis & infidelib⁹ commercia.

Vnde cùm fideles, ceu Dei templa, cupit Apostolus

Vos autem angusti estis. Sunt hæc Pauli verba, gaudij & amoris in animo conceptorum, nec se continere valentium, quin effundantur, significantia. Tum n. *patere os* dicitur, cùm ea quæ animo compressa retinebantur, in lucé adminiculo linguæ liberè emittuntur: Sic dicitur Iob aperuisse os suum. Sic Christus Math. 5. & 12. dicebat, *ex abundantia cordis os loqui*, quéadmodũ & profundiora mysteria docturus Apostolus, *aperire dicebatur os suum*. Vnde & de Prophetis, apud Ezech. ex Dñi sententia, quædam prolocuturis dicitur. *In die illo, pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo apertum os in medio eorum, & scient, quia ego Dominus*. In quem sensum, dicitur Eclesi. 15. quod *in medio Ecclesiæ, aperuit Dominus os eius*, id est, coram omnib[9], *& in conspectu Regum loquetur, & non confundetur*. Ne verò, tã auram popularem, quã Corinthiorũ vtilitatem sectari videretur, hac sui amoris testificatione, adiunxit *ad vos*, vt omnia sua interiora & exteriora, eorum saluti militare significet.

Iob. 3.

Ezech. 29.

Quid aperire os sit in scriptura.

Quomodo autem ardebat, ait August. *cùm diceret, os nostrũ, &c, ardebat & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incenderet, &c*. Et quia sicut saccus, quo magis repletur, dilatatur magis: Sic animus Pauli, cœlestium arcanorum plenissimus, cor constrictum retinere non poterat, qꝫ os suum in tertium cœlum raptus aperiens, spiritum attraxerat, quia exaltatio oculorum, dilatatio est cordis. Vndè & subdit, *cor suum esse dilatatũ*, quia euacuatis terrenis, æterna capacissimo animo complectens, cum Propheta dicebat, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*.

Aug. Tom. 8. in psal. 103.

Non

Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris.

Corinthios, ad mutuum in se amorem prouocans, dicit eosdem angusto non esse loco, in suo corde: sed toto potius pectore comprehensos ita concludi, vt animum suum totum occupent. Aliquo siquidem loco angustiari, sic comprimi est, vt euadendi nullus sit relictus locus. In Paulum vero, ita videbantur affecti Corinthij, à veritatis hostibus, & Apostoli aduersarijs, decepti (qui V.G. legis ceremonias, promiscua connubia, &c. docebãt, vt angustiari potius in eo, quã ipsum prosequi viderentur amore; non aliter ac filij, qui ob patrem ignobilem, & discipuli, ob magistrum imperitum, & contemptui habitum, angustiantur. Et est, quasi dicat, de se querendi non habere Corinthios occasionem, si tàm fidei traditæ doctrinam spectent, quàm virtutis exhibitæ exempla, altius considerent, adeò vt ipsi, tum angustæ mentis, tùm remissioris amoris sint occasio, non ipse Paulus, qui tàm erudita, tàm docta, tàm spiritualia docuerat, quæ ipsi ideò calumniabantur, quia non intelligebant. Sicut D. Hieronymus, de quibusdam dicit, *vos quoq; parati morsibus plurimorum, qui stimulante inuidia, consequi non valent, despiciunt,* & paulò post: *legãt prius, & postea despiciãt, ne videantur modo ex iudicio, sed ex odij præsumptione, ignorata damnare.*

Eandem autem habentes remunerationem, (tanquam filijs dico) dilatemini & vos.

Sensus est, id vnum à vobis contendo, vt vestri amantissimum, reciproco amore redametis. Rem arduam, difficilem & onerosam à vobis non exigo; Exigo Pater à filijs, sui patris imitationem, vt eius charitatem, charitate compensent, quod pietatis officiũ, ab illis iure exigit: Nam, cum eandem mecum, ô Corinthij, (quos in Christo genui) idem patrimonium, eandem hæreditatem exspectetis, (vbi enim est pater, ibi deberent esse & filij.) *Dilatamini*, hoc est, cor latum habentes, cœlestium & æternorum bonorum spe concepta, gaudio mecum gestite.

Tunc demum liberi eritis, nec vllis angustijs cõstringemini, si terrenis contemptis Christum ante oculos habentes, sic in eum exardescatis, vt eius causa, pati sine difficultate, mala & discrimina sitis parati, Tunc enim spei certitudo cor dilatabit, firmumq; constans, ac stabile efficiet, si magnum, & liberum, spiritus libertate, (quæ fidei Christianæ propria est) animum habueritis.

Pro suo labore, à suis tantummodo amorem exigebat in cõpensationem Apostolus.

Nolite iugum ducere cum infidelibus

Pleriq; Latinorum, ad sola connubia, hanc ꝓhibitionem Apostolicam reuocant. Græci verisimilius, eâdem, omnem fidelibus cum infidelibus societatem, caueri existimant: Quod, vt planius fiat, sciendum est, ait D. Thomas, quod iugum, dicitur omne illud, quo plures, ad aliquod opus efficiendum, colliga-

colligantur. Quemadmodum verò nonnulli conueniunt, vt aliquid boni conficiant & ad Deum pertinét, sicut aliqui, vt quippiam mali exequantur; Et ad Diabolum spectat, conspirant: Sic vnum iugum dicitur Dei, alterum Diaboli. Est autem iugum Dei, ipsa charitas, quæ hominem ad obsequia diuina constringit, quod Matth. 10. à suis cultoribus, tolli iubet Saluator, Diaboli porrò iugum, est ipsa iniquitas, quæ prauas hominum voluntates ad malum vnitas colligat, cuius hic Paulus meminit, & Esaias c. 5. *væ*, inquit, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*: quasi diceret, nolite communicare in operibus infidelitatis, cum infidelibus; Et hoc propter duo, quia aliqui erant inter eos, q. de Idolothytis, non sine infirmiorum scandalo communicabant, alij cum Iudæis, in seniorum traditionibus conuersantes, Christi legibus derogabant.

Prauorum hominum consortia Christianis fugienda.

Iure orthodoxis cũ hæreticis cõuersatio omnis, ab Ecclesia semper est prohibita.

Vult itaq;, ne Christiani cum Iudęis, in traditionibus legis, cum gentibus, in idolorum cultu communicent, quemadmodum in priore Epistola inhibens, *nolo vos*, ait, *fieri socios dæmoniorum. Non potestis bibere calicem Domini & Dæmoniorum*: Et in ea, quæ est ad Ephes. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*: Vbi omnem planè consuetudinem cum infidelibus, vt infideles sunt, damnat. Ideò huius loci authoritate, D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, & D. Hieronymus lib. contra Iouinianum *matrimonia illa damnant, quæ aliquis fidelis, cum aliqua infideli non baptizata, contraxerit*: quæ & Ecclesiæ consuetudo, vt omninò nulla, irritauit, sicut diligenter notarunt Scholæ Theologi, 4. sent. dist. 39. quæst. vnica, art. 2.

2. Corinth. 10. Ephes. 5.

Ambros. l. 1. de Abrahã c. 9. epistol. 70. Tertul. l. de Coron. Militis & l. 2. ad Vxorem.

Quæ

Quæ enim participatio iustitiæ, cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras.

Loco personarum, res ipsas, siue repugnantes qualitates, ad rei maiorem exaggerationem posuit, vt cum incredulis ij, qui Christo nomina dederant, in posterum consuescere versariq; desinerent: Quia, inquit, omnis infielis ex eo iniquus meritò debet censeri, q̃ dæmoni, per sum̃am impietatem, quod veri Dei proprium est, tribuat, *& veritatem in iniustitia detineat*: Vos verò Christianos, ipsa iustitiæ ratio, ad verum, veri Dei cultum compellit (quæ cum inter se coalescere nequaquam possint) nulla, vel societas, vel consuetudo inter nos & illos esse debet.

Eccl. 13. Hierem. 23. Quæ enim communio est sancti, ad canem; aut quæ pars bona diuiti, ad pauperem: Et quid paleis ad triticum? Nunquid *fons* ait D. Iacobus, *de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam*? Non ergo congrua est Christianorum, qui lux, ob mysteriorum diuinorum cognitionem dicuntur, cum infidelibus societas, q̃ per diuinarũ rerum ignorationem densissimæ sunt tenebræ: Diuisit enim Deus statim in prima mundi conditione lucem à tenebris: Quia igitur, *impiorum via, tenebrosa est, & iustorum semita lucis plenissima*, nihil vni cum altero potest esse commune.

1. Ioann 1. Ideò dicit D. Ioann. *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo & in tenebris ambulamus, mentimur.*

Quæ

Quæ autem conuentio Christi cum Belial?

Ex discordia dominorum, idem probat, quia infidelium Dominus, vel potius tyrannus, est Belial; credentium autem Christus, Dominus benignissimus, *cuius iugum suaue est, & onus admodum leue.*

Vocabulum *Belial* in scriptura, vsitatum est, quod Hieron. idem valere docet, quod apud nos, valet *præuaricator & Apostata*: Significat etiam hoc nomen, iugum Dei abijcientem, ac potissimum Diabolum, qui à seculo iugum confregit & dixit, *non seruiam.* Quo modo Iudicũ 19. accipitur. *Venerunt ciuitatis illius filij Belial, nescientes Dominum, neq́ officium eius ad populum.* 2. Reg. 16. *Egredere vir sanguinum, vir Belial.* Ita 3. Reg. 21. *Et adductis duobus viris, filijs diaboli, fecerunt sedere cōtra eum.* Et statim. *At illi,* scilicet viri diabolici *dixerunt contra eum testimonium,* in Hebr. habetur viri *Belial,* id est, homines apostatæ, hoc est, à Dei lege recedentes, & abijcientes eam.

Ex quibus, facilè intelligimus; pietati, ad impietatem nihil esse commune. Quasi diceret Apostolus; Quæ conuentio Christi, *qui obediens fuit patri vsq́ ad mortem*, ad Belial, id est, absq; iugo, siue ad inobedientiã? longissi mè abest à Christo, quicunq; inobediẽs est: Cum ergò credentes, Christi corpus sint, Diaboli verò membra, infideles; monstrum horrendum, ingens, & terribile erit, si in vnum coaluerint.

Princeps mundi est Belial, *& in Christo non habet quicquam*: at Socij Belial clamant, *quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos*: Vt ergò Ioan. 10.

nulla est inter Dominos, ita inter horum diuersorum Dominorũ seruos, nulla debet, aut pôt esse conuentio.

Aut quæ pars fideli, cum infideli?

Nihil commune filii Dei, cum filiis Diaboli esse pôt, aut debet.

Dei cum diaboli filijs, in vnam coire familiam non posse, ex diuerso hæreditatis adeundæ iure cõprobat, quare, eos vt filios, improborum cõmercia deuitare cupit, qui xp̃m patrem ritè voluerint imitari. Nam, *ancillæ filij, cum liberæ sobole, hæredes esse non possunt.* Dicit n. scriptura, *Eijce ancillam, & filium eius:* Qua Geneseos authoritate, probat Apostolus, non modò infideles tã Iudæos, quã Ethnicos, sed omnes homines, Christum tàm verbis & signis, quàm factis non confitentes, ad eius familiam non pertinere, nec regno Dei potituros: Verba Pauli sunt, *Nescitis*, ait, *quod iniqui regnum Dei non possidebunt?* è diuerso regius Vates, in persona iustorũ dicebat, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es q restitues hæreditatem meam mihi.* Hinc de iniquis legitimi apud Iephte, hæredes aiunt, in domo patris mei esse non potestis, quia de adultera nati estis. Nobis autẽ per Christum, in libertatem assertis, hæc sors contigit, vt *Deus cordis nostri, sit nostra pars in æternum.* Vestra autẽ pars, ô infideles & sectarij, reposita est cum hypocritis, nempe ignis, sulphur & Spiritus procellarum, pars inquam calicis iniquorum.

1. Cor 10. Psal. 15.

Qui autem consensus templo Dei, cum idolis?

Ex Religionis probat disparitate, cane peius & angue, fugiendos fidelibus Christiani nominis hostes. Quia, inquit, sicut Ecclesiæ Catholicæ sacra, in simulacrorum adytis recondenda, non sunt, quæ gentibus maximo sunt ludibrio, ita profanorum idololatrarum

cultum

cultum, in nostra sacraria admitti non posse, leges ipsę docent. *Quid enim communicabit cacabus ad ollam?* Spem suam, impiæ gentes, in suis simulachris collocant, gẽs autem Christiana, in Domino confidit, quia *præsto est iis, qui confugiunt ad eum*, quia ex templò seruat eos ab omni periculo incolumes, eosq́; in omni aduersitate protegit. Ex quo fit euidens, rectè ꝓhiberi Catholicis, ne cum hæreticis consuescant, sicut sanis cum leprosis viuere, etiam interdicitur. Hæreticorum siquidem sermo, semper, vt cancer serpit. Eccl. 14.

Vos n. estis templũ Dei viui: sicut dicit Deus; Quoniã inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: Et ipsi erunt mihi populus.

Regeneratos, esse Dei templa, Leuitici confirmat authoritate, vbi scdm̃ vulgatam editionẽ, ita scribitur, *Ponam tabernaculum meum, in medio vestri, & ambulabo in medio vestri, & ero vester Deus*: Cui dissimile non est, ꝙ apud Hierem. c. 7. legitur, *bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto*; quasi singularia quædã loca & vasa sint sacris vsibus deputata, Christiani; qui Dño, tũ demũ, *ædificant domũ*, qñ *animam suã ab omni inquinamẽto carnis & spiritus emundantes*, sanctũ & impollutũ in se Deo domicilium ꝑparant. De quo alibi Paulus, dicit, *Christũ habitare per fidẽ, in cordibus nostris*: Vbi fidẽ intelligit, q̃ per charitatẽ operatur, vt ipse in epistola, ad Gal. est interpretat⁹, & in ea quę est ad Corinth. prior, *templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Pura n. esse anima nostra, ab amore terrestrium, & nullũ habere idolum debet, quæ domus Dei est. Leuit. 26.

Propter quod, exite de medio eorum: & separamini, dicit Dominus: Et immundum ne tetigeritis.

D. Augustinus, lib. contra Donatistas, cap. 8. & in breui collat. tertiæ diei, Paulum post Esaiam, de triũphante Ecclesia, sic loqui arbitratur. *Verba* verò Isaiæ: *Recedite, exite, &c.* de separatione, quæ moribus & animo fieri debet, nõ autem de corporali discessione ab infidelium templo, sacris & commerciis exponit. Cyrillus verò, secundum mysticum sensum, vult Esaiam à Paulo huc adduci, de Christianis loquentem, qui post baptismum, separari debent ab infidelium cœtibus, templis, sacrificijs, coniugijs & cæteris rebus, quæ quoquo modo, ad religionem spectant. Non quod omni commercio cum Christianis, peccatoribus interdicat: cum Ecclesia ex perfectis & imperfectis constet, sed cum infidelibus; quibuscum, tanquã *cum operibus infructuosis tenebrarum*, in ea, quæ est ad Epheseos, vetat communicare. *Ephes. 5.*

Ideò in priore Epistola nolebat suos Corinthios, *mensæ Domini & Dæmoniorum esse participes* Apostolus, quia veræ fidei maiestas, & religionis nostræ dignitas, tanta ac talis est, vt eam sit existimandum violari, non modò cum contraria religio asseritur ex animo, sed etiam, cum id fit externo signo. Hinc dudum inueterata Ecclesiæ consuetudo, sanctorum Patrum authoritate, firmata est, vt matrimonia fidelium cum infidelibus, contracta, essent nulla, irrita, inualida: Quemadmodum prioris ad eosdem Corinthios, c. 7. latius à nobis est dictum. *Fidelibus vetãda cum hæreticis & infidelib⁹ commercia.*

Vnde cùm fideles, ceu Dei templa, cupit Apo-

 stolus

stolus exire, peccandi sublatas occasiones omnino desiderat, quas malorum sæpe contubernia, etiam ipsis sāctis hōibus quemadmodum vsus & consuetudo docét, afferunt. Regij sanè Vatis sentētia nota est, *& cum electo, electus eris, & cum peruerso peruerteris*, qui & psal. 1. dicit, ad beatitudinē ꝑtinere, peccatorum fugā, & flagitiosa peccatorum consilia vitare, quibus à vero supremi numinis cultu & honesta viuendi ratione, pij homines facilè seducuntur. Quo sensu Hieremias, *Recedite*, inquit, *de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini:* Et hoc, quia *peccatum*, morbus est contagiosus, quo, per lepram significato, præcipit Dn̄s, *vt leprosi eijciantur extra castra*, nulliq́; fas sit, ijs familiariter vti: *Voce separari*, respondere videtur, q, eodem 1. psal. dicit Psalmographus. *B. vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.*

Num. 15.

Cùm n. ab ijs separamur, nec in via, nec in cōsilio illorū ꝑsistimus, sed rectū vitæ cursum retinem[9]. Quod porrò monet, ne im̄undum tangamus, congressū, amicitiam, & frequentem consuetudinē hominum ꝑditorum inhibet. *Non sedi*, dicebat Propheta, *cum consilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo. Odiui Ecclesiā malignantium, & cum impijs non sedebo.* Quæ causa est, q, Moyses, tanto studio, festinare suum populum volebat, *vt recederent à tabernaculis hominum impiorū, & prohibebat, ne quicquā tangerent, quod ad eos pertineret. Nam, qui tangit picē, inquinabitur ab ea. Neq́ n. qui peccat tantū, sed & peccanti consensū præbet*, pœnæ q́; culpæq́;, Pauli sententia, reus iudicatur, qui nihil aliud à Corinthijs exigit, quàm vt declinatis peccati occasionibus, mentis & corporis seruent puritatem, & innocentiam.

Fugienda malorum consortia.

Psal. 25.
Num. 16.
Eccl. 13.
Rom. 1.

Et

Et ego recipiam vos, & ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens.

Ex Hieremiæ cap. 11. videtur hanc adduxisse sententiam, non tàm ipsius Prophetæ verba, quàm sensũ imitatus. Vnde à Paulo monemur, licitum esse scripturæ multas simul coniungere sententias; modò ad probationem, ad testimonium, & ipsius propheticæ scripturæ explicationem, ritè aptèq; fuerint accomodatæ, non autem temerè absq; iudicio & priuato sensu quemadmodum Lutherani faciunt, q. scripturæ plaustra, ideo in medium adducunt, & ex charta sæpè dictitant, vt incautos malitiosè fallant; cum quiduis ex scriptura, quacunq; ratione exposita, non tàm confirmare velint, quã spiritus S. mentem peruertere.

Vult itaq; Paulus, hac inducta authoritate, quasi vtilitate quadam, & honesto amore propositis, Corinthios prouocare, ad inculpatæ vitæ sanctimoniam quibus fere duabus rebus, vt officio suo faciant homines satis, adducuntur: Vt enim amore Dei nihil melius, aut maius potest excogitari: Ita cœlestis patrimonij hæreditate, nihil beatius aut locupletius fingi potest: Sola autem vitæ sanctitate, vtrumq; comparatur. quia, cum Dominus Deus noster, sanctus suapte natura sit, sanctum habere populum desiderat. *Obsecro*, Leuit. 19. 20. Rom. 12. ait alibi Paulus, *per misericordiam DEI, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum, & nolite conformari huic seculo, sed renouamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta.*

Dei

Dei itaque gratia & dono comparata, mentis & sanctimoniç vitæ puritas, ijs officijs retinéda est, quæ hic Apostolus à veris Dei cultoribus exigit, ne scilicet otientur, aut torpeant, sed, *vt sine timore, de manu inimicorum suorum liberati, seruiant illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ suæ.* Quid enim nobilius, quam hominẽ natura alioquin vilem & abiectum, fieri *D*ei patris filium & nominari? A filio, pater nihil petit, nisi, vt vitæ synceritate, ex viua fide profecta, sibi conformetur; ne si in pristinam corruptionem redierit, sensim obliuiscatur, in quo, quantoq; in honore Deus ipsum habuerit, *cõpareturq; iumentis insipientibus, & similis illis efficiatur: Et si patrẽ* ait D. Paulus, ad Romanos 8. *inuocatis eum, &c.* quasi diceret, cùm viua fides, Dei filios, nos efficiat, in nobis igitur Pater est; nobisq; parata est corona gloriæ immarcessibilis; Quasi diceret, hæredes Dei estis, & cohæredes Iesu Christi. Nihil igitur, vobis aliud faciẽdum superest, nisi vt in eum speretis, laborum & bonorum operum remuneratorem, qui redditurus est in die iudicij, vnicuiq; scm̃ opera sua.

Luc. 1.

CAPVT VII.

Has ergo habentes promissiones, Charissimi, mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis & spiritus.

Singularius declarat quibus *data sit potestas, filios Dei fieri*, quibusq; facta sit promissio, in Numinis diuini templum ædificari, vt æternam adipisci suo tempore, hæreditatem valeant; ijs nempe, *qui mundo sunt corde*, hoc est, pura & simplici conscientia. Quibus

Quibus *Dei viſionem*, (in qua hominis beatitudo conſiſtit) Dominus alibi promittit, quemadmodum ſi cæcis lumen, ignorantibus ſcientiam, eamque beatiſſimam polliceretur. Atque hæc retributio accommodatiſſima eſt: Nam, vt, qui purioribus oculis ſunt, obiectos clarius & diſtinctius colores vident, ita qui puriore ſunt carne atque animo, melius Deum intuebuntur. Duplicis igitur generis ſordes, & immunditiam vitari docet eum oportere Apoſtolus, qui Dei patris filius eſſe, & cordis eundem habere inquilinum, ſiue habitatorem deſiderat: Nempe inquinamenta, hoc eſt, contagium & lubricitatem carnis, quibus homo non modo *fit ſicut equus & mulus*, ſed & alijs belluis ſimilis: denique animi ſcelera, & facinora, quibus homines dæmonis ad peccandum conſuetudinem imitantur. Res ſiquidem omnes, ad quas inordinate conuertimur cum peccamus, aut ſunt bona, carnis apprehenſa ſenſibus, vt cibus, potus, concubitus: aut intellectu concepta, cuiuſmodi ſunt, honor, poteſtas, diuitiæ, & omnia peccata, quibus adhibetur conſenſus: & hæc omnia ſunt, quæ coinquinant hominem: *De corde*, ſcilicet *hominum malæ cogitationes procedunt*, ait alibi Dominus, *adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritia &c.* omnia hæc mala, ab intus procedunt, & contaminant hominem, quem in oculis & conſpectu Dei reddunt abominabilem, & aſpectu maxime horridum. Ab his verò, ſeparari vult ſui cultores Dominus; Cum enim ſanctus ſit, ſanctum habere populum deſiderat. Illud porro ſanctum eſt, quod à mundi ſordibus, & carnis lenocinijs longè abeſt. Sicut vero quælibet res, nobilioris naturæ, ex permixtione inferioris, atque vilioris, ſordes contrahit; ita quæ ſunt munda, ex coniun-

Magnam vitæ puritatem, in Corinthijs ab omnibus Christi cultoribus exigit Apoſtolus

Mar. 7.

ctione eum meliori, fiunt puriora. Inde fit, illud sanctum dici, quod segregatur à communibus, & soli cultui Dei applicatur: contra vero immunda nominantur communia. Hinc dicitur *sanctificari*, quicquid offertur, sicut ait Cyrillus, libro citato, 29. Similiter interpretatur lib. 11. in Leuiticum, vbi dicitur, *sancti estote, quia sanctus sum. Sicut* inquit, *ego segregatus sum, & longe separatus ab omnibus, quæ adorantur, siue coluntur, siue in terris siue in cælis, & sicut ego excedo omnem creaturam, & ab vniuersis, quæ à me facta sunt, segregor, ita, & vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti, Deo dicati,* hoc est, *à mundo, in quo quicquid est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Segregari enim dicimur non semper locis, sed actibus, non regionibus, sed conuersationibus. Ideo subiungit Apostolus.

Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 25.

Perficientes sanctificationem, in timore Dei.

Si quis in peccata, post baptismum, relabatur, Deus sua gratia rursus sanctificationem inchoat: In regeneratione autem absque vllis nostris meritis: tametsi, nostrarum sit partium, etiam eadem adiuuante Dei gratia, hanc sanctificationem, bonis operibus nostris perficere, vt pote noctes & dies, in timore Domini ambulando, Deum diligendo, ab his, quæ illi displicent, abstinendo, quod amat, efficiendo: quod facit, amãdo, & cum aliquod difficile occurrerit, quod iubet, ad eum recurrendo, vt vnde datur præceptum, præstetur auxilium. Neque is negaturus est opem, qui bonam tribuit voluntatem.

Quod est ex sua parte ad iustificationem necessarium debet homo facere, quia Deus id requirit.

Ad hoc enim *pro nobis seipsum Christus sanctificauit, vt & ipsi in veritate, sanctificaremur*, hoc est, vt efficacia sacrificij (quod in cruce patri obtulit) obtineremus, & consequeremur sanctificationem, quam spiritus sãctus

Rom. 17.

ctus, in mundum effudit. Ad hoc enim *apparuit benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei, vt secundum suam misericordiam, saluos nos faceret per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Iesum Christũ saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes essemus, secundum spem vitæ æternæ*, modo *sobrie, pie, & iuste viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & aduentũ gloriæ magni Dei.* In vacuum enim Dei gratiam recepisse existimandus est, *qui gratiæ Dei defuerit.* *Hebr. 12. Cor. 6*

Addit vero, *in timore Dei*, hanc nostram sanctificationem esse perficiendam Apostolus, vt filiorum affectionem erga Deum, nos habere doceat, quæ non tam seruorum timore, qui pœnæ formidine oderunt peccare, quam filiorum reuerentia, & amicorum, solicitudine, à Dei, per peccatum, offensione deterreret: Nam, licet natura, serui Dei simus, quem & Dominũ iure recognoscamus, Christi tamen merito, filiorum nacti sumus conditionem, quæ amoris ingenui potius quam timoris seruilis est mater. Neq; n. post xp̄i aduentũ, agimur flagellis, vt serui, ad virtutẽ & obedientiam, sed secundum legem, viuimus in lege, nobis illam charitatem largiente, quæ libenti & expedito animo, Dei facere nos imperata adiuuat. *Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas*, quæ filiorum est propria. *Timor seruilis & timor filialis.* *August. in ps. 1*

Si autem spiritu ducimini, ait alibi Paulus, *non estis sub lege*, quæ lex, *non iustis, sed iniustis & non subditis, est posita.* Hinc est, quod ad Rom. 8. cap. dicit Apostolus, *spiritu vitæ se liberatũ à lege peccati & mortis, id est*, lege in corde scripta, quæ est charitas, se liberatũ à lege scripta in tabulis, *quæ sine spiritu, litera occidens erat.* *Rom. 6. 2. Cor. 3. Gal. 5. 1. Tim. 1.*

Capite nos.

Metaphora, à molliore cera, quæ signi typum, siue figuram facile recipit, ducta, ad id alludens, quod antea dixerat (*dilatamini*) promiscuam Corinthiorum amicitiam in se prouocat. Facite, inquit, ne augusta sint erga me charitatis vestræ viscera; sed ea, sic distendite, vt me totũ contineant, & complectantur, Magnus namque amor, capaci corde indiget, In me, ceu in speculo, quomodo sit amandum, discite: Vita nostra, consuetudo nostra, fides nostra, doctrina nostra, studium nostrum, vobis vberem nos redamandi formã suppeditãt, quia vos, non vtilitatis aut voluptatis nostræ, sed vestra potius causa dileximus.

Nos itaque redamate: Verę namque amicitiæ ratio, iure quodam suo requirit quandam inter amicos æqualitatem, & vicissitudinem, vt amico scilicet, amicus vicem rependat. *Vnus enim Deus, vna fides, vnum baptisma, vnum* religionis institutum, animos nostros ita colligare debet, vt vnius amor, alterum non aliter continere debeat in suis visceribus, atque vasa liquorem aliquem à se contenta sibi conformata, ad sui figuram trahunt. Capaces itaque nostri estote, recipite nos effuse, &c.

Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus.

Quot modis aliquis possit lædi. Videtur æquitatem suam, contra impostorũ quorundam technas & malas artes defendere, à quibus, & ipsi Corinthij forte fuerant grauiter læsi. Lædi autem quis potest, vel quo ad personam, cui vis aut damnum aliquod notabile infertur, & quoad hoc, dicit, *neminem læsimus*, per violentiam scilicet, vel ad vitæ turpitudinem & maliciam prouocando, Quod falsis persuasioni-

ſionibus, doctrinæ corruptela, morumque corruptorũ exemplo contingere poteſt, ſicut alibi dicit Apoſtolus *bonos mores, prauis colloquijs corrumpi.* A quibus hominũ etiam fama & exiſtimatio, magnum ſæpe detrimentũ ſumunt: Ideo dicit, *neminem corrupimus*, quod grauius, & deterius eſt, quam lædere perſonam. Vel deniq; læditur aliquis, cum per iniquitatem, fraude & dolo malo, alicui, quod iure ad eum pertinet, ſurripitur. *1. Tim. 4.*

Has omnes lædendi rationes, à ſe ſemotas fuiſſe declarat, cum Timotheo ſuo ſeuere præcipit, *vt exemplum ſit fidelium in verbo, in conuerſatione*: Neque enim de eorum numero fuit Apoſtolus, qui prius id non faceret quod docebat, vt qui Chriſtum imitari, per omnia conaretur, *qui cœpit facere & docere.*

Non ad condemnationem veſtram dico.

Mordacitatis ſuſpicionem remouet, ne aliter ſua ipſius verba intelligant, aut interpretẽtur, quam tacitus ipſe cogitabat. Quod prudentis & ſynceri eſt amici vel potius optimi parentis, ſuos nolentis filios ſermonis mordacitate exacerbare: Neque enim vllius calũniæ volebat illos redarguere, quaſi, ſe ab ijs accuſatũ, fuiſſe inſinuaſſet, vel corruptelæ, vel læſionis, vel fraudis: ſed eo omnia ſua dicta, & facta dicit reſpexiſſe, vt ſpiritualis ipſorũ vtilitas, maius incrementum ſumat, non vt per cordis amaritudinem, laqueum aliquẽ ipſis inijciat, aut in ſiniſtrã aliquam ſuſpicionẽ inducat.

Prædiximus n. quod in cordibus noſtris eſtis, ad commoriendum & ad conuiuendum.

Confirmat id, quod paulo ante dixerat, ſe ſyncero veri functum amici officio, nempe tam in proſperis,

quam in aduersis, se sibi semper esse, & futurum similem; vt neque in his, illis inuideat, nec in illis, illos deserat, quasi se communem cum ipsis vitam ducere, & mortem subire eandem, paratum confirmet: Adeo, vt ipsius, & Corinthiorum sors, vna debeat existimari. Fieri enim potest, ait Theophylactus, vt quispiam diligat, nec velit tamen vna periculis se submittere, Propterea dixit, *ad commoriendum*: At quia, multi prospere agentibus his amicis, non gratulantur, aut congaudent, propter inuidentiam, Addidit: *Et conuiuendum* Quasi diceret: In periculis non fugiemus vos, in secũdiore vero statu, conuiuemus, & non inuidebimus.

Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis.

Spei firmitudinem, vehementer auget attenta bonorum prætèritorum consideratio. Vsus n. docet, magistrorum fiduciam, de bono discipulorum inposterũ profectu, diutina eorundem anteacta & probata diligentia erigi, & parentes de stabili filiorum probitate optime in futurum sperare, quos iusto temporis spatio frugi fuisse memoria repetunt: Apostolus hoc loco Diuina bonitate fretus, quæ in Corinthijs, opus bonum cœperat, & concepta ex anteacta eorum vita, bona opinione, de eorum tum salute, tum reciproco in se amore, maximam se habere fiduciam dicit; Qua forma, Hebræis scribens, *Confidimus*, ait, *de vobis dilectissimi, meliora & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.* Et c. 10. *Nolite amittere confidentiam, quæ multam habet remunerationem.* Cum n. per xp̃m, veram peccatorum remissionem consecuti fuerimus, ipseq; redemptione nostra reperta, in cælum ascenderit, fiduciam nos etiam habere debemus, quod simus ingressuri cæle-

Hebr. 6. 11.

ri cælestem beatitudinem, si modo eam virtutis & passionũ viam percurrere voluerimus, quam ipse xp̃s nouam nobis initiauit. Quod vero adiunxit, sibi *multã de eis gloriationem*, nempe apud alios, quasi de pietatis, religionis, ac iustitiæ Corinthiorũ studio, passim multa prędicaret, iactaret, & publicaret, suam in eos propensionem, & verę amicitiæ testantur euidentissima argumenta, quasi non alia ratione ipsorũ honorem, existimationem, res cæteras, ac proprias & priuatas curans, cæteris longe lateq; proponeret imitandas.

Repletus sum consolatione, superabũdabo gaudio in omni tribulatione vestra.

Pergit incredibilem suã affectionẽ, in Corinthios declarare. Posteaquam n. fæliciter eos cœpisse videns, de prospero eorundem successu & exitu se optime sperare, deq; spirituali amicorũ bono, nõ aliter, ac de proprio lætari ac gloriari dixisset, orationẽ amplificans, se tantam ex eorum insigni profectu, ac notabili vitæ innocentia, voluptatem cepisse commemorat; quæ corporis dolorem acerbissimum, ex persecutionibus allatum, non modo minueret, sed & penitus leuaret animi molestiam quã vel ex eorum delicto conceperat, vel ipsi inuidorum iniquitas attulerat, & maxime quam sibi Macedones aduersarij mouerant. Hoc autem ideo magis exaggerat, vt, eos ad mutuam charitatem prouocatos, futuris temporibus incitet, & vrgeat.

Nam & cum venissemus in Macedoniã, nullam requiẽ habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus.

Eius videtur meminisse persecutionis, quam puellæ à spiritu Pythonico liberatæ occasione, Philippos

pos illi in Macedonia mouisse, narrat D. Lucas: quam
Act. 16. grauem & acerbam ex eo fuisse liquet, quod *cucurrerit plebs aduersus eos, & magistratus, scissis tunicis eorum iusserint eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserint eos in carcerem*: Et quod postea sequitur; quod *hora illa noctis, lauerit plagas eorum, custos carceris: &c.* Ea tamen verbera, hunc carceris squalorem, plagarum liuorem, & vibices, leuia reddidit gaudij magnitudo, & prope nulla, inquit, quam vestra, ô Corinthij, correctio, emendatio, & ab ijs alienatio, quæ superiori epistola exprobraueram, pepererunt. Quietis expertem suam carnem, non se, iuges molestias dicit reddidisse, vt se interim animo fuisse infractum, insinuet. *Mirabili*, enim *dispensatione*, ait D. Gregorius, *tribulatio dum exterius affligit, interius reficit*. Anima enim, iuxta Glossam, in aduersis, quæ in corpore patitur: spe futuri quiescit. *Nam, licet caro, per infirmitatem, sibi innatam, vires ad sustinendum & patiendum sæpe deneget: spiritus tamen promptus est*, hoc est, animus & voluntas, iustis hominibus non desunt: Cum enim persecutionem patiuntur, *leuãt oculos suos in montes, vnde auxilium*, & certa præsidia exspectant: Et hæc quidem certa, cum certas, ab eo habeant promissiones, qui nec falli potest nec fallere.

Sed omnem tribulationem paßi sumus, foris, pugnæ, intus timores.

Sæpe admodum, quæ Christi causa, patiebatur Apostolus, malorum facit mentionem, vt diuinam & cælestem sapientiam aliter de rebus iudicare insinuet,

quam

quam mundanam & terrestrem: Nam maius beneficiũ & opus excellentius est, discipulos reddere in calamitatibus perferendis lætos ac fortes vt pericula aggrediantur, omniaque huius mundi incomoda, quã vel potẽtia, vel industria, vel aliqua alia ratione impedire, ne ab ijs liberentur. Illud enim, iustos homines beatos facit, non hoc; Illud, Reges terræ possunt facere, non autem istud: Nam in tribulationibus perferendis, & morte contemnẽda, magis Christi spirit⁹ splendet, quã ijs impediendis & prohibendis: Sicut in sustinendis aĩo læto afflictionibus, quam in ijs euertendis, maius beneficium illud est, quam hoc. Diuinius sane hoc opus fuit; Apostolos per mortem, afflictiones, & contemptiones, mortalium genus conuertere, quam per incolumitatem temporalem, & huius mundi fælicitatẽ, illud inducere, vt crederet, & sequeretur eorum doctrinam, qui male habiti sunt à mundo, & mundi hominibus, quam si bene accepti essent ab eo: Ideo solicite admodum, suos præmonebat Dñs, quod *in mundo*, hoc est, ab eo quod diuinam legem oppugnans, hominem à Deo auertere nititur (qualia sunt honores, diuitiæ, voluptates, timores, persecutiones, mali homines, dæmones) *essent pressuram passuri*. Hinc est, quod Paulus in omnibus his, videtur gloriari, eo quod in Christo, per gratiam manens, omni hominum potestate & mundi potentia maior effectus, tantas vires habeat, vt si vellet, posset facile præualere. Quamobrẽ, & si eius animum formido quædam cruciabat, V. G. ne, vel à fide, fideles aliqui deficerent, vel aliqui domestici, alijs essent offendiculo & scandalo, vel metu persecutionum nutare fratres nonnulli in religionis causa inciperent; imperterritus tamen, sibique semper

Sapientia cælestis supra humanã encomiũ

Qui sunt filii Dei per gratiã omnia facile contemnũt.

similis manebat. Si hostis imminens corpori suppliciorum crudelitatem intentabat, minimè terrebatur, aut trepidabat; quia nulla mala præualere possunt, in Christo manenti, si viribus, à Deo suppeditatis, viriliter vti velit. *Omne* enim *quod natum est ex Deo, vincit mundum*, ait D. Ioannes: Aliunde itaque intentata certamina, & pugnas, siue persecutiones sustinendo, constanter vincebat Paulus, excitatos in animo timores & impugnationes, Dei fretus auxilio, intrepidè superabat.

1. Ioan. 5.

Vbi sciendum, quod vocibus *foris* & *intus* in priori Epistola vtitur Apostolus, pro fidelibus & infidelibus, vt qui *foris* sunt, intelligantur, qui Ecclesiæ nomina nunquam adhuc dederunt, qui autem dicuntur esse *intus* regenerati sunt, qui Christo capiti tanquam mébra, per fidem, adhærent.

Sed qui consolatus humiles, consolatus est nos Deus, in aduentu Titi. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiã in consolatione, qua consolatus est in vobis referens nobis vestrum desiderium. &c.

Singularius ostendit, qua ratione, solatio sibi fuerit emendata Corinthiorum vita, cuius nuntium certum, oculatus testis, ipsius charissimus discipulus Titus attulerat. Temporales enim necessitates & indigentiæ, solent assequendæ consolationis & salutis subinde occasionem suppeditare, quando diuina misericordia, vt afflictos leuet, iuuetque ijs vti disponit. Sic profectio Titi, maximis calamitatibus afflicto Paulo, exitij spem & salus Corinthia, eidem solatium attulit. Dicit porrò Deum,

Deum, humiles nempe spiritu, consolari, quoniam, ait venerabilis Beda, super Luc. cap. 14. qui in suorum plagis vitiorum, veri se medici manibus suppliciter subdunt, merito desideratæ sanitatis dona percipiunt: his enim perfectionem boni operis, & beatæ perennitatis dona largitur. E diuerso, *Deus superbis resistit*, & ipse, iuxta sapientem, Prouerb. 3. secundum 70. interpretes, *deludit illusores, qui mansuetis dat gratiam:* Meritò autem, superbi vocantur *illusores*, quia alijs, præ se contemptis illudunt, tanquam pauperibus, quorum *Dominus spes est*, quia humiles, quia, mansueti sunt, sicut erat Saluator, qui dicebat *Mitis sum & humilis corde. Fures quidem* ait Beda, *periuros, & alios peccatores, quasi contemptores suorum præceptorum punit Deus. sed specialiter resistere dicitur superbis, quia nimirum maiori pœna plectuntur, qui confidunt in virtute sua, & diuina potentia subdi pœnitendo negligunt, qui, quasi sibi ipsis, ad saluandum sufficiant, diuinæ gratiæ auxilium detrectant: é diuerso verò, humilibus dat Deus gratiam.* Sicut verò gaudium in cœlis *est Angelis, super vno peccatore pœnitentiam agente, ita* Paulo, ingentē voluptatem attulerat Titus, qui seriam & insignem Corinthiorum pœnitudinem, de ad missis erroribus & malis præteritis narrauerat, significans, & se ab illis eiusmodi obsequijs, tali hospitalitate, & beneuolentia exceptum, ac si ipse Paulus, pręsens ad fuisset. Hæc enim desiderij, fletus, & procliuitatis Corinthiæ commemoratio, indicat singularem affectum, incredibilem amorem, & gratam ipsius Pauli, apud eosdē memoriam: ex quibus, inpigram eorum correctionem, & perseuerantiam in futurum facile poterat tū colligere, tum sperare: certum enim ex his sumere poterat argumentum, quod licet prioris Epistolæ hortatu rigidiore

paulo fuissent acrius exacerbati, ęquo tñ aío, fuissét interpretati ex syncera voluntate, ꝓfectam fuisse monitioné. *Argue sapienté* ait sapiens, *& diliget te. Da sapiēti occasioné, & addetur ei sapientia. Doce iustū, festinabit accipere.* proverb. 09.
Et Ecclesiasticus: *Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum.* Iure itaque correctionem ipsorum, maius sibi gaudium attulisse gloriatur, quâm eorum, vel delicta, vel errores, dolorem antea peperisset.

Quoniam etsi contristaui vos in Epistola, nō me pœnitet. Etsi pœniteret, videns, quod Epistola illa (& si ad horā) vos cōtristauit, nunc gaudeo. non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam

Cum tristitia ægritudo sit animi, humanam voluntatem in primis, mirificè perturbans, eidemque molestiam adferens ingentem, mirum alicui poterat videri, quomodo voluptatem afferre Paulo potuerit Corinthiorū tristitia. Ideò q̄d tacitus ea de re sentiat, apertius declarat. Quia inq̄t, occasio siue materia tristitiæ quam vobis, priore Epistola attuli, causa fuit maioris boni, nempe emendationis & correctionis, quod Epistolà scripta, vos paulo durius increpauerim, nulla me capit pęnitudo. Quæ, Theophylacto authore, dicit nō q̄ reuerà immoderate eos reprehenderit, verū vt eorū præconia maiora faciat, quod scilicet, audita Pauli monitione, illi statim, ad saniorem mentem redierint. Prȩceptor enim, ait Theophylactus, tum discipulo damnum infert, quando delinquentem non obiurgat:
Si

Si enim increpatus esset, facturus erat lucrum, emendaturusq; erat se se discipulus. Sicut enim medicus, de remedij, quod morbo adhibet, amaritudine non lætatur, sed de sanitate, quæ ipsam sequitur: Ita de dolore, quem reprehensio attulerat, nõ gaudebat, sed de ipsorũ ex dolore subsecuta emendatione capiebat voluptatẽ. Correptio quidem acerbitatem attulerat breuem & momentaneam, sed quæ profectum pepererit diuturnum & vsque in finem duraturum. Perpetrati siquidẽ mali memorię refricatio, dolorem operabatur. Nam qui reprehensus, ait Ambrosius, pudorẽ patitur, corrigere se permittit; qui vero irascitur, peiorem, se ostendit.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.

Prouerbio tritum est, quod remedia quæ dolorẽ pariunt, sæpe sint salutaria. Est autem tristitia, secundum Deum, vel quæ ob ad missa peccata, vel ob dilatam fruendi Deo, spem, vel quod exiguos in studio virtutum aliquis fecerit progressus, suscipitur. Omnis porrô alia tristitia, si fuerit immoderatior, eo nomine, mala est, quod inutilis, & homini noxia est, iuxta illud Ecclesiast. 30. cap. *Tristitiã longe expelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.*

Hæc autem tristitia *sæculi* appellatur quæ propter pręsentium rerum iacturam, solet assumi, & inanis dicitur, quia alijs quibuscumque malis dolorem adhibere, nihil est aliud, quàm medicinam oculis comparatam, pedi apponere, quemadmodum Homil. 18. ad populum Antioch. dicere videtur Chrysost. *Audiui,* ait, *ego multos ad seipsos dicentes: Quæ vtilitas, quod dolui,*

nec pecunias recuperaui, & meã animã læsi. Quod fit in omni iactura rerum temporalium, aut accepto quocunque, vel detrimento, vel infortunio: Nam qui de eo tristatur; nec detrimentum resarcit, & seipsum lædit, damnumque damno addit, idemque grauius & sæpe acerbius. Plus enim lædit animi tristitia, quam alia quælibet vel iactura, vel iniuria.

Nisi tamen *tristitiæ* nomine, molestiam quandam, & timorem ac pudorem natum ex obiurgatione vehementi, & minis, quibus apud Corinthios vsus fuerat, intelligas. Neque enim de peccatis admissis, contritionem, aut pęnitentiam, sed verecundiam & molestiam significat, quæ ęquo animo accepta, & secundum Deum, pœnitentiam saluberrimã gignit, quasi, secundum Chrysostomum, dicat Paulus, non gaudeo de tristitia, gaudeo de fructu, qui est pœnitentia. Et quemadmodum medicus, non gaudet, quod amaro pharmaco, vel sectione, aut adustione ægrotum cruciet, sed gaudet de sanitate, quæ ex pharmaco illo, vel sectione aut adustione consequitur: Sic etiam Paulus non gaudet, quod aspera obiurgatione & minis, terrorem & molestiam Corinthijs attulit, sed quod ea molestia ac terrores, Pœnitentiam, eamque stabilem & omnino salutarem pepererint. Vides hęretice igitur ex doctrina Apostoli, pœnitentiam non esse terrorem ex minis incussum, sed effectum, seu fructum quendam eius terroris, vt Concilium Tridentinum recte docet.

Secul

Saculi autem tristitia mortem operatur

Seculi tristitia, est morbus animi, qui de boni temporalis amissione, vel rerum corporalium damno concipitur, quæ propter Deum non diligebatur, qualis Antiochi, Iudæ, & Simonis Magi erat tristitia.

Vbi sciendum, ex amore, omnem tristitiam nasci: Cum enim, quis vel cupito, vel amato bono caret, vel amati boni contrarium euentum expauescit, tristatur.

Duplex autem est amor, Dei nempe, & seculi; Ex amore Dei, de admisso peccato, tristitia oritur, quæ vt Deo est acceptissima, ita homini nullum adfert detrimentum. Sed amor seculi, mortem ingenerat: Nam *qui voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur* ait D. Iacobus. Quocirca, tam Ethnici, qui sapientiores fuere, quâm fideles qui mentē habuere magis illuminatam, in eam semper curā incubuere, vt huic animi morbo, medicinam tempestiuius adhiberent: Neque enim, probari potest, ait Tullius, vt sibi mederi animus non possit, cum ipse corporis medicinam inuenerit.

Amor Dei, & seculi res sunt valde diuersæ.

Ac verè etiam Cassianus lib. 9. Cœnob. cap. 12. *præter illam*, inquit, *quæ vel pro salutari pænitentia, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia, tanquam seculi, & quæ mortem inferat æqualiter repellenda est: ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyriæ, de nostris cordibus penitus extrudenda.* Nam tristitiæ causa effectrix, non, tam malum ipsum est, quod dolorem auget & vrget, quam nostra mali illius opinio & æstimatio, quæ,)

Tristitia huius seculi, quid.

cum

cum in nostra sita sit potestate, non est admodum difficile, medicinam ei adhibere,, quo ipse morbus tristitię, ha ud difficulter sanetur.

Viderint porrò impœnitétes Lutherani, quàm benè Pauli mentem fuerint assecuti, cum pœnitentiam non de peccatis præteritis dolorem, sed nouam vitam definierunt, cum hoc loco tristitiam, siue doloré siue molestiã, quæ secundum Deum est, salutem stabilem dicat Apostol⁹, operari. Lutherus vero solius fidei prę- sidio, eandem niti obganniat, qui ideò cordis contriti sensum ridet, & de peccatis confessionem Sacramentalé detestatur, & bonorum operum, pro admissis flagitijs, compensatione, non esse opus mentitur, quasi sæculi (quæ misericordiæ diuinæ spe nō innititur) & secundum Deum tristitia de Dei offensione reuerenter, animo demisso, & contrito concepta, nihil in se contineant discriminis. Cum tamen iusti homines, omnem cogitationem â pręsentibus molestijs, malisque vrgentibus auocantes, ad ea bona æterna videlicet semper conuerterint, quæ se consecuturos sperabant. Quibus cogitationibus, animi leuabant ægritudinem, iuxta Ecclesiastici sententiam, *In die malorum,* inquientis, *ne immemor sis bonorum.* Vndè Cassianus lib. 9. de institutis Cœnobiorum cap. 13. *Hanc,* inquit, *perniciosissimam passionem tristitiæ, ita expellere poterimus, vt mentem nostram futura spe, & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus.* Nam qui de peccato tristatur, ex vitiorum odio, & virtutis amore ideò tristatur, quod offenso Deo suo, æternę beatitatis certam fecerit iacturam, Propterea, beati illi prædicantur à Christo, *qui lugent, nempe* sua peccata, defectus & errores, *quoniam ipsi consolationem accipient*. Ideo subdit Apostolus.

Fallax Lutheranorum de diuerso tristitiæ genere, indiciũ

Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem.

Sicut arbor, quæ radicitus euellitur, terram (in qua hærebat) deijcit, inuertit, & comminuit; sic peccatum, quod stirpitus eradicatur, cor in quo latuerat, necessario commotum, ac penitus inuersum, relinquere solet: Quod Apostolus videtur ex Corinthiorũ tristitia colligere. Hanc autem tristitiam secundum Deum, conceperant in salutem Corinthij; quæ solicitudinem, studium, & singularem diligentiam operatur, ne pœnitens ille fornicarius, in peccata denuo relaberetur, sed dignos pœnitentiæ fructus operando, potius, *sacrificium iustitiæ, spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum Deo*, sacrificaret. Operatur namq; ea tristitia, defensionem, siue apologiam, siue excusationem coram Iudice Deo, contra virtutis ipsius aduersarios. Deinde contra peccata, indignationem parit, quia ille, qui sui solicitus gubernator est, ingemiscens & dolens lapsus sui superioris offensam, quærit, quomodo abluat fluctibus pœnitentiæ, quibus *lauet per singulas noctes, lectum suum*, id est, singula peccata excutiendo, cor suum mundet. Deinceps Dei tristitia, de futuris peccatis timorem & formidinem affert, & ingentem nouæ vitæ cupiditatem prouocando, æmulationem gloriæ diuinæ incredibiliter accendit, vt per nouam vitam glorificet Deum, quem peccando inhonorauerat, Imo & à seipso, vindictam crudeliter eiusmodi pœnitens exigit, quem delicti causa, iuxta Ambrosium, vehementer affligit. Exemplo nobis sit sanctissimus David, qui dicebat: *Exitus aquarum deduxerũt oculi*

Tristitia secundum Deum, diuersi fructus & effectus varia.

oculi mei, quia non custodierunt legem tuam: Tabescere me fecit Zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Atque hanc de peccato tristitiam, esse certum peccati remedium, Deo simul sacrificium acceptum, & iustam offensæ suæ vindictam, iuxta scripturas, semper docuere SS. Patres. Vnde Cyprianus, *eorum cæcitatem grauiter reprehendit, qui nec agnoscunt delicta, nec plangunt:* Sed plenam pœnitentiam vocat, quæ dolentis & lamentantis vim, probat mæstitiam. Ideo B. Gregorius, *nequaquam*, ait, *satisfacimus, si ab iniquitate cessamus: nisi voluptates, quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur: Neque enim Deus, nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrarijs medetur.* Quod adeo verum est, vt verissime scripserit Chrysostomus, *Tristitiam nobis Deus, non ab aliud indidisse, nisi propter solum peccatum.* Sciendum tamen est, quod indignatio, æmulatio, solicitudo, vindicta, respectu fornicarij, cuius causa scripserat Apostolus, possint intelligi allata &c. quasi admissi sceleris grauitas, indignabundos vindices, solicitosque Corinthios reddidisset. Ideo subdit.

In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.

Ad quid teneatur homo cum proximus peccat.

Quia sceleris admissi, solicitos se præbuerāt Corinthij vindices; ideo suam singularem innocentiam, accepta Pauli epistola, probarant; Sicut enim, peccata dissimulans, & nolens punire, cum possit, contaminatur, sic qui iustas de delictis à se, pœnas exigit, se purgat, & ita emundatur. Vtique commendastis vosmetipsos, ait Paulus, ô Corinthij, quod fueritis in eo negotio

gotio innocentes, sed tum impuri & contaminati eratis, dum nullo sceleris admissi sensu commoti, eundẽ fauore & gratia prosequebamini, dum impune & honeste mœchus ille inter vos versabatur. Qui enim alterius morbum non curat, cum possit, & debeat, homicida est: correctionis enim fraternæ, tanta vis est, vt qui proximi spirituale bonum negligit, seipsum cõficiat, *cum vnicuique de proximo suo seuere sit mandatum*. *Negotium* appellat, incæstum illius, qui patris sui vxorem tenebat, cuius in priore Epistola, est frequens mẽtio.

Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coram Deo.

Vox (*igitur*) ostensionem, non illationem, hic significat: quasi diceret Paulus; ex dictis est euidens vos omni culpa, ait, vacasse: Quod ego autem, de negotio illo acrius scribens, vos omnes iniquitatis, negligentiæ, segnitiei &c. visus sum insimulasse, non me pœnitet, imo nec obiurgationis illius seueritas, mihi displicet; quę, licet ad vnum duntaxat pertinere videbatur, omnes tamen complexa tangebat, vt vos excitatos, officij monerem, quo manifestaretis vestrũ studium, quod habetis de nobis, in his; quæ ad nos pertinent: Et hoc corãDeo, hoc est, vt videret hoc facto De⁹ Zelũ vestrũ sumendę de grauioribus flagitijs vindictæ: Nam in scripturis, ea quasi nescire dicitur Deus, quæ in effectum non exeunt: Vnde, & tentare dicitur sanctos, vt videat, an sint seipso digni. Sæpe commendat

Apostolus suum studium, & vigilantiam, circa gregem sibi commissum, vt rationem de eo esse sibi reddendã declaret. *Scire vos volo*, ait, in ea, quæ est ad Colossenses, *qualem solicitudinem habeam pro vobis*. Ideo, qui sicut oues, in Ecclesia videntur errantes, merito pastorum suorum monitis, debent ab erroribus, ad veritatis disciplinam, à vitijs, ad virtutem, æquo animo, & magna patientia conuerti. Sicut enim Christus, totum mũdum *oriens ex alto visitauit*, vt *illucesceret his qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant*, ita singulares suas Ecclesias, officij sui frequenter monebant Apostoli, ne vnius, aut alterius delinquentium occasione, totum pateretur alicuius Ecclesiæ corpus detrimentum, *Parum n. fermenti totam massam corrumpit*. Quare, graues subditis videri non debent communes leges, quæ paucorum delinquentium feruntur intuitu: sicut vna vel altera domo peste infecta, molestum non accidit Ciuitati, si diligentiæ moneantur, ne contagione per magistratus negligentiam, latius serpente, omnes inficiantur.

Colos. 1.

Ex paucorum erratis recte cõmunes sanciri bonas leges.

Aliqui, voces, *coram Deo*, asseuerantis, & iuramenti vim habere existimant, quasi Deum, his verbis, vocare in testem voluerit Apostolus, quem nihil fugit, aut latet, in cui⁹ oculis, & spiritu, sunt oĩa nuda & aperta.

Ideo consolati sumus, in consolatione autem nostra, abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis.

Sensus est: Quia spem, quam de vobis maximam conceperam, non fefellistis, sed alacri promtitudine, ad morem dictis meis gerendum, eandem multis modis.

dis superastis: incredibile est, quantam sumpserim ex eo consolationem. Ad huius magnitudinem consolationis, insignem accessionem fecit ingens gaudium, quo Titum ardenti vestro studio, & ad meliorem vitam redeundi replestis festinatione. Vbi nota, quod duobus comparatiuis *magis* & *abundantius*, lætitiæ suæ vbertatem hebræa phrasi, voluerit exaggerare Apostolus, quia Hebræi superlatiuis carent: Quasi diceret, dolorem de errore eorum conceptum, narratione, eorum, quæ Titus apud ipsos legatione fungens, experientia didicerat, non modo in gaudij dulcedinem fuisse commutatum, sed longis interuallis, superatum. Titi siquidem spiritu, vestra pietate, obsequio, religione, beneuolentia, præteritorum pœnitentia, refecto, inquit, & meus supra modum spiritus erectus est, & reuixit: Sicut enim cibo & potu, corporis inedia, famesque leuata, prorogata hominis vita confirmatur: ita subditorum spirituali profectu, reficiuntur optimorũ pastorũ spirit⁹ adeo, vt tũ nouã sibi viuere vitã incipere videantur: Incrementum siquidem iustitiæ, pietatis, obedientiæ, religionis, castitatis, iustorum hominum, sunt cibus, potus, & alimenta: cum Charitatis spiritus, aliena fælicitate magis pascatur, quam inuidiæ tabe spiritus inde marcescat. *Quod nobis deerat, ipsi suppleuerunt* ait in priore Epistola, refecerunt etenim spiritum meum & vestrum, qua ratione & à Philemone petit, refici sua viscera.

Verã pœnitentiã & seriam pro peccatis satisfactionem, sequitur gaudium.

Et si

Et si quid apud illum, de vobis gloriatus sum non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra quæ fuit ad Titum, veritas facta est.

Si quid amicis narramus de aliorum amicorum vita, virtute, fama, existimatione, & opinione, ijs gratissimum tunc accidit, si vsu ipso, & experientia cognouerint esse vera, quæ ex verborum nostrorum auditione conceperant: Sic eunti Corinthum Tito, de fidelium ibidem fide, constantia, probitate, plurima ac præclara quæque deprædicarat Apostolus, eorundem in Domino parens, quæ postea, reipsa fuisse verissima Titus ipse cognouit, cum ijs aliquandiu fuisset familiariter vsus. Gloriatur itaq; fælici euentu, Corinthios opinioni cōmendationiq; suæ apud Titum, respondisse. Ex quo, fit euidens, recte gloriam, ex benefactis captari, quorum factorum originem, Deum; & Dei nos coadiutores, seu instrumenta fuisse, agnoscimus & fatemur. Hic est verus sensus verborum Pauli, quibus se nec verecundiæ, nec confusionis habere causam dicit ex eorum commendatione, sed gaudij potius & gloriæ maximam ansam consecutum.

Et viscera eius abundantius in vobis sunt.

Viscerum nomine, verum, solidum, intimum, purum, flagrantem, non vanum, instabilem, simulatum, fictum, inanem affectum & amorem, scriptura passim intelligit. Hinc Lucas 2. cap. Dicit, *per viscera misericordiæ Dei nostri* id est, per maximam & intimam Dei misericordiam, hominibus peccata remittendi scientiam à D. Ioan-

à D. Ioanne tradendam. Intimus amor, viscera sunt, quæ communicari possunt. Venter animæ patientia est, cuius interiora sunt pietas & compassio, quæ non solum cibos ministrare, sed & fæces, id est proximorũ imperfectiones, iniurias, molestiasque sibi ab ipsis illatas portare non dedignantur. Hinc Philippensibus scribit, *si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis.* sic & Philemoni, *Viscera sanctorum requieuerunt per te, refice viscera mea in Christo.* Phil. c. 2.

Reminiscentis omnium vestrum obedientiam quomodo cum timore & tremore excepistis illum.

Sensus est, Iucunda vestri, O Corinthij, recordatio, iugem Tito voluptatem affert: Cum n. memoria repetit, qua reuerentia, pietate & liberalitate fuerit à vobis exceptus, gaudio gestit incredibili, sibique gratulatur de spe vestri profectus, & de concepta, iugi in bonis operibus, perseuerantia. Neque enim simulatis Charitatis officijs eum excepistis, cum ei gestu corporis, facieiq; & vultus alacritate, intimum cordis affectum declararetis: sed eius dictis morem vos esse paratos gerere, significaretis. *Timor* hic ad animum, qui proprie filiorum & obedientiæ est, referri debet: *Tremor* externam corporis habitudinem innuit, secundum quam vultus, & gestus compositio, intimam procliuitatem mentis declarant, ad obsequendum: *risus enim dentium, iuxta* sapientem, *annunciant de eo.* Plurimus in hac Titi descriptione, videtur esse Paulus, vt amorem promiscuum vtrinque conciliet. *Quid tremor & timor hoc loco, significet.*

Cum enim duplicem, ipsis inesse virtutem testatur dilectionem scilicet, erga parentem, & metum in præpositum, vt neq; Charitas, timoris expers deficiat, neq;

timor

timor à dilectione seiunctus, iniucundus sit atque adeo ingratus, tum ea vtrinque amoris media adducit, vt nō difficulter vnus alterum diligat.

Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

Ex his, ait, bene de vobis sperandi occasionem accepi, & gaudeo plurimum, quod in posterum, sine metu, aut formidine, vestras virtutes possum tuto prædicare, & mihi maiora, de vestra fide, constantia, & bonitate queo polliceri. Præterita siquidem, futurorũ esse videntur prænuntia, quæ bonorum futurorum spem & fiduciam, non mediocriter firmant & fulciunt.

CAPVT VIII.

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ.

Quia Deus, authore D. Augustino, lib. de libero arbitrio cap. 17. *operatur incipiens, vt velimus, qui volentibus cooperatur perficiens* (*operatur* enim iuxta S. Paulũ, ad Philip. cap. 2. *in nobis velle & perficere, pro bona voluntate*) ideo, tum liberalem, spontaneamque largitionem eleemosynarum, qua Macedoniensis Ecclesia, fratres necessitaté patientes, refecerat, tum in ferendis Christi causa, persecutionibus constantiam, *Dei gratiam*, appellat. Scripturæ siquidem familiaris est loquendi modus, vt bona opera, Deo afflante, patrata, *gratiæ Deique dona* vocentur; quod Deus sine ipsis, operaturos quidem vocando præueniat, licet illi sequantur,

non tamen sine eius auxilio, eius vocationi assentiẽdo: Sicut enim spiritus sanctus, ijs dari dicitur, quibus eiusdem dona & charismata communicantur, sic salutares fidelis populi actiones, ad beatitudinem ordinatæ, diuini ordinis *gratiæ nomine* solent exprimi: Talem Macedonibus, à Deo datam esse, hoc loco amplificat Apostolus: Cum enim *peccatis*, iuxta Ecclesiasticum, c. 3 *resistat Eleemosyna, & Deus sit eius*, ait idem *prospector, qui reddit gratiam, beati* vero prædicentur à Domino, *qui propter iustitiam, persecutionem patiuntur*, eos singulari fauore & beneuolentia prosequi dicitur Deus, quibus has cogitationes eosdem simul excitando, immittit, excitatos iuuat, adiutos comitatur, vt & ex charitate, proximo sua largiter erogent, & fortiter aduersa, propter Christum, sustineant. Hanc itaq; fratribus Achaicis, gratiam, singulari artificio commendans patefacit, vt Corinthiorum voluntates, ad similem profusarum Eleemosynarum erogationem & paria erga Christianos, charitatis officia inuitet.

Quid sit donare & accipere spiritum sanctum in scriptura.

Quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.

Dei gratiam, efficaciter in Macedonibus Christianis, operatam fuisse, cõmendat ex eo; quod non modo tribulationibus & angustijs, non potuerint à iustitia & pietatis officio dimoueri, sed quo magis afflicti fuerant, eo fortiores euaserint.

Sicut enim bellicosi milites, non solum, non pug-

patriam possit, in hac vita peregrinus & aduena, pertingere, simplex est: quia fælicitatis suæ præsidia, nec in diuitijs, nec in voluptatibus, nec in honoribus huius vitæ ponens, si *victum & amictum simplicem habet, his est contentus*: Scit enim esse verum, *nihil totius mundi possessionem, afferre cuiquam emolumenti, si animæ suæ detrimentum, quis patiatur*. Hanc animi simplicitatem, siue rectam intentionem, sæpe dilaudat scriptura; secundum enim eam, beneficia in proximum collata metitur DEVS, ad eam magis attendendo, quam ad copiam & munerum oblatorum valorem. Dei voces hæ sunt, *Si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis, ponam thronum regni tui super Israel, in sempiternum*. Item prouerb. cap. 11. *Simplicitas iustorum, diriget eos*: Ideo, prioris Epistolæ, cap. 9. monet Apostolus, *vt in omnibus locupletati, abundent in omnem simplicitatem*. Hinc ait Augustinus, *quod tenues in substantia, diuites in dando fuerint Macedones, quia pura conscientia*, (ex charitate scilicet) *sunt operati*.

Mira liberalitas bonorum Christianorum erga indigos in primitiua Eccl.

Quia secundum virtutem (testimonium illis reddo.) & supra virtutem voluntarii fuerunt cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerii quod fit in sanctos.

Tria percenset, quæ Macedonum liberalitatem, vel charitatem potius in pauperes, maxime commenda-

Largitatis primorum Christianorum descriptio.

bant. Primum, quod sponte, & non coacte sua erogarent; deinde, quod sua, precibus ab Apostolo in communem pauperum vsum recipi efflagitarent, denique quod supra vires & substantiam suam, (hoc enim *virtus* hoc loco, significat) facultates suas, in gratiam, hoc est, beneficium & societatem ministerij, quæ est inter sanctos, vellet suscipere: Miram sane dilectionis vim arguit, in misericordiæ operibus aliquem ita esse prodigum, vt sibi quis nihil retineat.

Ecclesi. 12. Gen. 18.

Hoc autem apud homines iustos, confidentia in Deum operatur, quod sciant, iuxta Ecclesiasticum, cap. 11. *non esse difficile in oculis Domini, subito honestare pauperem.* Scriptum est enim: *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam.* Rogasse, & fere coegisse peregrinos, vt ad se diuerterent, commemorantur Abraham, & Loth. Ad quorum imitationem, duo illi discipuli concedentes Emauntem, *sub peregrini* specie, Christum vna ambulantem, fere ad hospitium *secum compulere*, vt author est, Lucas cap. 24. Vbi, dicit Gregorius, *non modo inuitandos, sed & rogandos, & cogendos peregrinos ad hospicium.* Licet vero Tobias, cap. 9. præceperit suo filio, vt *si multum illi fuisset, abundanter tribueret*: Macedones tamen supererogabant sua tam in pauperum Christianorum communitatem, quam in totum fidelis populi collegium, qui Hierosolymis, fidei causa, necessitatem patiebantur: Ita vt non attenta propria indigentia, se commoditatibus quibusdam, ad vitæ sustentationem faciliorem spectantibus, fraudarent. Et licet politicæ liberalitatis virtus, his terminis definita sit, secundum Ethicos; vt facultates suas, secundum potentiam & mediocritatem metiatur:

Imitanda in pauperes ad Dei gratiam liberalitas.

Hos

Hos tamen fines, liberalitas, quæ à Deo fidelibus inſtinguitur, certam medietatis portionem non ſemper ad amuſſim, reſpicit & obſeruat; ſed & ipſis etiam neceſſarijs, ſeſe ſubinde abdicat: quando propter Deum, ſua indigenti non aliter impertitur, ac abſtinentia, ſiue moderatio cibi & potus, non ſolum, quæ carnem per voluptatem oblectant, reſecat, (prout congruam corporis valetudinem, ad rationis normam, defendit & conſeruat) ſed & vlterius progreſſa, carnis petulantiam comprimit, corpuſque ipſum extenuat, ne menti & ſpiritui per temulentiam, officiat.

Et non, ſicut ſperauimus, ſed ſe metipſos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.

Senſus eſt; ſuperauit Macedonum charitas & obedientia, noſtram exſpectationem. Quis enim, ab egenis & afflictiſſimis hominibus, qui ſuarum fortunarum iacturam, fidei cauſa, fuerant paſſi, tantum fuiſſet auſus ſperare? Suis enim fortunis, propriæ indigentiæ, non habita ratione, alterius leuare inopiam, Chriſtianæ dilectionis indicium tantum eſt, vt ſit, quodammodo incredibile, & antea inauditum; cum alioqui charitatis Lex, à ſeipſo ortum ſoleat habere: At, Deo ſeſe deuouere, Deique loco prælatis, præpoſitis, & Rectoribus Eccleſiarum, (qui curam animarum gerunt) ita ſe conſecrare, ſuaque erogare vt ad ipſorum nutum viuas, ab eorum voluntate, in omnibus vitæ actionibus, dependeas, li-

Macedonum Christianorum liberalitas & misericordia insignis erga pauperes omnibus imitanda proponitur.

beram & innatam humanæ naturæ conditionem, videtur excedere. Eiuſmodi homines, cum Regio vate, poſſunt libere profiteri *vt iumentum factus ſum apud te*: Parum enim, Eleemosyna Dei cauſa erogata affert emolumenti, ſi largitoris mens atque intentio prius oblata non fuerit ipſi creatori. Hinc Deus, ad *Abel reſpexiſſe* dicitur, deinde ad *opera eius*, quia *dona iniquorum*, ait Eccleſiaſt. cap. 34. *non probat altiſſimus*.

Catharinus, ad Monaſtices profeſſionem, hanc voluntariam obedientiam, & ſpontaneam exquiſitamque paupertatem reuocat: *Dederint*, inquit, *ſemetipſos, ſicut moris eſt in profeſſionibus, qui propriam voluntatem & omne obſequium Deo primum, deinde præpoſitis* (in Deo ſcilicet) *ſpondent & offerunt*: De obedientia porro, quæ Epiſcopis ac animarum paſtoribus, naſcentis Eccleſiæ primordio, ſponte, & alacri animo præſtabatur, alij hæc non incongrue, ad Pauli mentem, exponunt.

Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiã gratiam iſtam.

Cum hæc mittenda eſſet epiſtola, Titus, Corinthios Catechizans; fidei apud Achaicos iacta fundamenta, in altius ædificium ſimul erigebat. Interea Paulus, Macedonum improuiſa largitate & procliui obedientia commotus Tito, in hoc genere alias ex ſeipſo ſine cuiuſquam monitu currenti, committendum exiſtimauit, vt ad Macedonum imitationem; ſuos, apud quos hærebat Corinthios, ad ſimilia miſericordiæ opera hortaretur, quemadmodum eidem Corinthum

rinthum profecturo, coram inſinuauerat, ipſo hoc onus in ſe laboris libenter ſuſcipiente: Quod ipſa verba indicant, *cum iam cœpiſſe*, & in hoc miſericordiæ opere promouendo laborare; licet Paulo, poſtea hortante, efficacius idem opus, propoſito Macedonum exemplo, tractauerit.

Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis.

Quemadmodum, ait, cæteris fratribus gratiæ donis, Chriſto iam inſiti abundatis ô Corinthij (*in omnibus enim diuites facti eſtis in illo; in omni verbo & in omni ſcientia, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia*) ita & in hac gratia, videte ne deficiatis: Obſecro, (ad ſenſus enim perfectionem, hoc aut ſimile verbum, videtur deſiderari) inquam vos, vt liberalitatem veſtram, in hoc etiam miſericordiæ opere commonſtrantes, cæteris nō inferiores, reipſa vos eſſe teſtemini. Vobis quidem intelligendi & eloquendi myſteria fidei, facultas adeſt, adeo vt nullo chariſmatum diuinorum dono ſitis deſtituti, (ex his enim apud omnes bonos & ſapientes, inſignem laudem meremini) quibus ſpirituales diuitiæ affluunt, quemadmodum charitas, amor & obſeruantia in nos veſtra ſingulariter teſtantur: (indicaſtis enim Tito dilectionem veſtram erga me, æmulantes etiam pro me) At hoc vnum, ad ſummam virtutum veſtrarum perfectionem deſideratur, 1. Cor. 1.

vt in

vt in sanctos, inedia fidei causa laborantes, sitis benefici, profusi, & paulo liberaliores.

Non quasi imperans dico, sed per aliorum solicitudinem: etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans.

Sensus est: Vobis ob oculos, Macedonum, aliorumque munificentiam non pono, quasi tacitus cogere vos velim, ad eorum imitationē, & authoritate mea fretus, vobis, & vestris fortunis imperiosius velim dominari: Absit: sed, vt eorum potius egregium in Eleemosynis largiendis, affectum ostendens, vestram ingenuam charitatem; & candidum, procliuemque animum, ad benefaciendum fratribus & conciuibus commendatum, proponam, vt eum imitemini. Vbi sciendum, non ita Pauli de facienda Eleemosyna exhortationes esse accipiendas, quasi sub præcepto, ad eandem (exigente maxima scilicet necessitate) non potuissent cogi Corinthij, qui superfluas opes sine iniquitate retinere non poterant, patientibus interim Christianis inediam, quos, vt seipsos diligere debebant. Qui enim, superflua, cum indigente fratre communicare detrectat, non modo proximum, vti decet non diligit, sed etiam, sese ipse plusquam oportet, hoc est, inordinate, dicendus est amare.

Teneri subinde Christianos, ad erogandas eleemosynas

Nam licet, qui diuitias habent, sint earum (quas iuste videlicet possident) Domini, si alijs suis proximis comparentur: ad DEVM tamen si referantur, non tam earundem opum Domini quam dis-

dispensatores dici debent; quemadmodum testari videtur parabola, de villico iniquitatis, Luc. 16. Deus siquidem omnia creauit, & eius prouidentia, fiunt homines, aut diuites, aut pauperes: Et illi, Deo, sine dubio, rationem reddituri sunt, de suarum diuitiarum administratione. Propterea debent, qui opibus affluunt, suas diuitias erogare, iuxta Dei voluntatem; Qui mundo in comunem vtilitatem creato, alios ita diuites, vt abundent superfluis, alios ita pauperes, vt careant necessarijs, esse voluit, adhoc; vt illi per misericordiam, isti per patientiam, regnum cœlorum ingrederentur. Misericordiam autem, ij non exercent, qui Mammonæ seruientes, opes superuacaneas cumulãt, prout authores sunt Hieron. & Chrysost: Sicut Mammonæ dominantur, qui ea, quæ supfluunt, ex Domini sententia, pauperibus erogant, dicentis: *Quod superest, date Eleemosynam.* Vnde D. Hieron. ad Hedibiam Epist. q. 1. *Si plus*, inquit, *habes, quod tibi ad victum vestitumq; necessarium est, illud eroga, & in illis debitorem te esse noueris.* Illud etiam ex S. Hieron. affertur, q̃ refert Gratianus, q. 42. can. Hospitale. *Aliena rapere conuincuntur, qui vltra sibi necessaria, retinere probantur.* Hinc S. Bernar. in epist. 42. ad Henricum Archiepiscopum Senonensem: *Nostrum est*, inquit, *pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis.* Ideò ait D. Gregor. 3. parte Pastoralis, admonit. 2. *Admonendi sunt*, inquit, *qui nec aliena rapiunt, nec sua largiuntur, vt sciant solicitè, quod ea, ex qua sumpti sunt, cunctis hõibus terra cõmunis est; & idcirco alimenta quoq; omnibus communiter profert, & idcirco incassum se innocentes putant, qui cõmune Dei munus sibi priuatum vendicant.*

Vsus diuitiarũ mundanarum qualis

Quod autem hoc loco, Paulus Eleemosynã minimè

mè mandare, sed consulere videtur, ita intelligendum est, quod nollet Corinthios cogere, vt suas opes Christianis, habitantibus Hierosolymis erogarent, (q; tamē maximè cupiebat) cum ijs dare easdem non tenerent, qa id quod supererat, suos in ciues distribuere potuissent. Quamuis n. superflua teneantur diuites largiri, non tamen cuiq; obuio pauperi coguntur erogare, sed vni potius, quàm alteri, sicut plus minus etiam dare, prout prudens suaserit charitas.

Scitis enim gratiā Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos, egenus factus est, cum esset diues: vt illius inopia vos diuites essetis.

Suum, de faciendis Eleemosynis, consilium rationi consonum, atq; adeo vtile esse, probat exemplo xp̄i, qui hanc generi humano contulit gratiam, vt eleemosynas corporales, quas ex paupertate (qua seu homo laborabat) accipiebat, æternis, immortalibus, & spiritualibus bonis compensaret. Vocat autem Christi paupertatem, *Gratiam*, quia quicquid pœnarum, ait D. Th. nostri causa Dominus assumpsit, totum gratiæ ipsius est imputandum, cum nec alicuius bonitate adductus, nec cuiuspiam virtute, siue potentia coactus, vel aliqua fuerit impulsus necessitate, vt illam assumeret; sed vnica sua bonitate, charitate, & ardenti salutis humanæ desiderio adactus est; Ideo, vt iure dixerit D. Ioannes, *gratiam & veritatem per Iesum Christum, esse factam, qua patri cœlesti nos gratificârit. Egenum* autem *nostri causa, factum* dixit, vt hanc *gratiam* amplificaret, quod *indigētia* plus sit, quam paupertas: Pauper enim est, qui parum, egenus, qui nihil habet.

Quicquid hominum causa xp̄s gessit gratia rectè vocatur.

Vera

Vera enim & perfecta paupertate siue indigentia verè laborat is, qui bona temporalia, tanquam propria non possidet aut habet. Nam, qui bonorum ad se p-tinentium vsu non gaudet, dici pauper non potest, quemadmodum rerum temporalium vsu duntaxat destitutus, dominij rationem minimè dicitur amisisse, cum in easdem ius & potestatem, etiam abdicato vsu possit retinere, (quia rerum dominium vsus non est) sed potestas cum facultate, ad rei vsum. Hanc rerũ temporalium facultatem, cùm non fuisset habiturus vt homo, Dominus, in eius persona dixerat Dauid: *Ego autem mendicus sum & pauper: Ego sum pauper & dolens.* Dicit ergò Apostolus, Christum diuitem, secundum diuinitatem, factum esse propter nos, pauperem & egenum, atq; adeo omni caruisse rerum dominio: Vnde, D. Ambrosius enarrat. in psal. 40. hunc ipsum Apostoli locum ad Corinth. expendens: *Si,* inq̃t, *egenus & pauper in carne, vtiq; egenus & pauper in carnis ipsius passione.*

Differt ab indigentia, paupertas.

Non ergo in diuitijs suis: (hoc est in diuinitate) sed in nostra passus est paupertate, ideoq; non plenitudo diuinitatis, quæ in illo corporaliter habitat, sed caro passa est, sicut c. 2. ad Philipp. dictum est, *cum in forma Dei esset, non rapinam eum arbitratum esse, se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuisse & formam serui accepisse.* Quãobrem, contra Arriũ, asserentẽ xp̃m esse purã creaturam, & purum hõiem, huius loci p̃sidio, vtebantur SS. Doctores, in hanc sententiam. Cum in assumpta humanitate Christus nunquam diues fuerit, sequitur (dicebant) quod diuinitate humanitatem assumente, simul paupertatem assũpserit, in qua & natus est; cùm locum non habens in diuersorio, cõtentus esse debuerit p̃sepio: In qua paupertate, & vixit, cũ ei deficerẽt, q̃

Quomodo Christus factus est pauper, ex diuinitate.

vulpibus & volucribus cæli, abundanter suppetebant, nidi & foueæ. Indigentia etiam ea, ei maxima fuit, in qua & mortuus est, cum dura acerbæ crucis trabs, ei lectum suppeditaret. Hinc etiam conficitur, Christum regem temporalem non fuisse: atq; adeò, scm̃ humanitatem rerum temporalium dominium non habuisse; nisi (vt tritum est in scholis) indirectè, in ordine scilicet, ad finem spiritualem: Cum enim Rex pauper esset, quomodo temporalis mundi dominator esse potuit, qui dicebat, *regnum suum non esse de hoc mundo, regnum meum non est hinc*: Quibus sententijs, non tantum suo regno conuenire negabat quædam, velut accidentia mundanorum regnorum: (quale est, q̃ tollat, vel minuat aliorum dominium, vel q̃ humano aliquo, & ordinario titulo, sit acq̃ situm, vt electione, vel hæreditate, vel iure belli) sed in primis, suo regno conditionem propriã & quasi essentialem regnorum mundanorum cõgruere, inficiatur: Quæ scilicet, consistit, in facultate vtendi rebus, absq; cuiusquã iniuria, ꝓpter finem quoque merè temporalem, sine respectu peculiari ad finem spiritualem. Neq; n. rerum politicarum dominio, humanæ redemptionis dispensatio indigebat; cum Christus scm̃ hypostasim suam diuinã, omni modo esset Rex, & Dñs. Quemadmodum in multis rebus temporalibus declarauit, quibus ad gloriæ suæ manifestationem vtebatur, cum opus esset, ad spiritualem suam potestatem exercendã, vt oĩbus constaret, ꝑ quædam opera, ipsũ minimè esse aliquem vulgarem hominẽ; Licet interim, ex Dei zelo, more aliorum Prophetarũ, & SS. virorum, qui similia faciebant, multa patefaceret, quæ testari poterant, aliq̃ dominiũ indirectum, in res temporales, vt *cùm misit dæmones in gregem porcorum*, cùm

Quale Christi regnum fuerit: Certum est aũt quod nõ fuerit temporale.

Dispensatio aduentus xpi, dominio tẽporali nõ indigebat.

cùm violenter ex templo ementes eiecit, cùm maledixit ficulneæ. Sed plura, hac de re Scholastici, quæ ad nostrum institutum non spectant: satis sit, Christi inopia, nos esse locupletatos, explicuisse.

Hoc enim vobis vtile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc vero & facto perficite: vt quemadmodum promptus est animus volũtatis; ita sit & perficiendi in eo quod habetis.

Earum collectarum videtur meminisse, quarũ c. 16. prioris epistolæ mentioné fecerat. Vnde coniiciunt aliq, hanc epistolã, altero à priore, anno, conscriptam & missam fuisse. Dum ait, se desiderare, vt quam à superiori anno, promptam declarauerant sanctis benefaciendi voluntatem, executioni iam data occasione, mãdent & pficiant; Quasi illos habere promptos ad conferendas Eleemosynas, ex eo q, habent, cupiat: *Velle* n. animi prõptitudinem; *præstare quod velis*, ipsã facultatem respicit: Quasi dicat: Quod habuistis in animo, iã perficite, ne frustra voluisse videamini, secundum q, dicit S. Ioann. *Non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate.* Qui siquidem prõptam habuit voluntaté ad faciendum, eandem habere debet, ad perficiendũ: cum hominis pigri sit, velle, & non velle.

Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet.

Sensus est: prout cuiuscumq; sunt facultates, sic

dantis voluntas Deo accepta est, vt non minus pauperis modicum dantis, quàm diuitis plurimùm largientis, voluntas à Deo bene ponderetur, & grata fiat: Ideò adducere Corinthios nititur, vt quod suum est, faciãt: Quo scilicet, in erogandis eleemosynis, summa discretione vtantur; quia singulari prudentiæ, opera misericordiæ debent esse coniuncta, vt secundum quod cuiuis suppetit, offeratur: Quo, Deo, (qui in vetere lege, quoduis oblationum genus, sale conditum esse cupiebat) magis quod offertur, placeat: Et hic correctione quadam vtens, adiicere videtur, quod profusã paulo ante Thessalonicensium liberalitat é laudasset, qui supra vires, & facultates, pauperibus sua erogarãt: Ad quorum imitationem, se minimè Corinthios prouocare voluisse insinuat; iuxta Tob. cap. 2. *Prout habueris fili, fac Eleemosynam.*

Non enim, vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate.

Nequaquam se dicit exigere, vt tantum Corinthij erogent, in egenos, quantum Macedones, qui sua, vsque ad propriam egestatem, & rei familiaris extenuationem, profuderant; Et hoc, inquit, ne qui sunt pauperes, vestra immoderata beneficentia locupletati, sumant occasionem delicatius, ociosius, & pigrius viuendi, vobis interim ex profusiori largitione, rei familiaris angustia laborantibus.

Hæc à Paulo dici, ait D. Thomas, condescendẽdo potius, quàm iubendo, ne teneri adhuc, & non satis in fide perfecti Corinthij, se Pauli consilio, vsque ad indigentiam, effectos pauperiores, à Christianismo

sume-

ſumerent deficiendi occaſionem. Maximum alioquin charitatis, in eo ſtudium eniteſceret: qui, ſuis in ſanctos, ob Chriſtum, profuſis opibus inediam pateretur, ad Dei gloriam propagandam.

In præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia, veſtræ inopiæ ſit ſupplemētum: vt fiat æqualitas; ſicut ſcriptum eſt.

Mutuam bonorum operum, & ſubſidiorum communicationem, inter *Chriſti capitis* membra, probant hac Pauli authoritate, orthodoxi Doctores: qua Lutherani abutentes, aiunt Apoſtolum velle duntaxat, per Titum & Lucam (ſi modo Lucas is ſit, cuius hoc loco Paulus facit mentionem) vnius doctrinæ miniſterio, ſpiritualem Corinthiorum inopiam ſuppleri: Sed quis quæſo, Paulum ſpem facere Corinthijs non videt: fore, vt ex abundantia Sanctorum, qui fidei cauſa, Hieroſolymis inediam & neceſſitatem patiebãtur, in omni ſcilicet bonorum operum genere, poſſit illorum ſpiritualis inopia ditari? Quo ſenſu dicebat Regius Vates, *ſe participem eſſe omnium timentium Deum*, *Pſal. 118.* &c. hoc eſt, pijs operib⁹ hominum iuſtorum communicare, tanquam ſocium & membrum eiuſdem corporis Eccleſiæ (quæ mutua quædam ſocietas eſt) cuius emolumenta communia, à ſingulis ſocijs, participenť. Qua ſpe, D. Ioan. 1. Epiſt. cap. 1. eorum, quos docebat, animos cõfirmabat. *vt & vos*, inqͭ, *ſocietatē habeatis nobiſcū.* Et Apoſtolus Coloſſenſ. ſuos, vt ꝑ hoc beneficio *gratias agant Deo Patri*, hortatur, *qui dignos*, inquit, *nos*

fecit,

fecit, in partem sortis Sanctorum. Apostoli sanè contextus, id clarissimè docet, cum dare cuperet Corinthios, bona, quibus affluebant, vt *ditemini* ait, *quibus illi abundant, & fiat aequalitas*, id est, vt æqualiter omnibus necessaria sufficiant, hoc est, vestra abundantia, illorum inopiæ, & illorum vicissim abundantia, vestræ succurrat indigentiæ, vt æqualiter omnibus necessaria sufficiant, sicut scriptum est.

Qui multum, non abundauit, & qui modicũ non minorauit.

Suo instituto, applicat Gentium Doctor, quod Exodi cap. 16. iuxta Hebraicam veritatem, hoc sensu D. Hieron. reddidit: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus.* Vbi mannæ habetur mentio: Ex cuius collectionis modo, probat æqualitatem prædictam, hac analogia: Sicut qui plus, quam par erat, sibi manna colligebat, non plus reperiebat, quam suo suæq; ipsius familiæ vsui seruiebat: Et quemadmodum, qui parcius parauerat, non minus, quam sibi opus erat, inueniebat (quantum n. cuiq; satis erat, ad vescendum, tantum reperiebat, adeo vt colligentium maxima esset secundum mensuram Gomor, æqualitas) ita si ditiores de superfluo, sanctis indigentioribus necessaria suppeditent, similiter fiet æqualitas: Quia vtrisq; sua sorte contentis, satis superq; erit.

Pulchra similitudo.

Quod verò, ait Gagnæus, intercedit, *vt & illorum abundantia, vestra inopiæ sit supplementum*, hoc est, vt ipsi de spiritualibus bonis, quibus abundant, vestram penuriam suppleant, per parenthesin legendum est; sed de his superiori textu amplius. Sicut ergo, ait Catharinus, tunc Dei mira voluntate fiebat, vt qui plus colligebat

gebãt mannæ, non haberent plus, significante spiritu sancto, quod illi debebant sua superabundantia, supplere his, qui minus colligebant, vt fieret æqualitas: Ita deberet intelligere omnis Christianus, superabundantiam suam, siue spiritualium, siue temporalium, non esse suam, sed & aliorum egentium: & hoc, propter debitum charitatis, quæ cuncta facit inter homines, communia.

Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem solicitudinẽ pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, sua voluntate, profectus est ad vos.

Acturus de ministris, per quos, collectæ, siue eleemosynæ fieri debeant, à gratiarum actione incipit: Cuius documento, communis mater Ecclesia Deum pro aliqua spirituali tum vtilitate, tum necessitate deprecatura orare solet; vt suas actiones aspirando præueniat, & adiuuando prosequatur, quia nihil veri boni, id est, nihil omninò, quod ad salutem & spirituale inprimis commodum pertineat, nouit sine Saluatoris gratia, ritè & conuenienter fieri posse: *Conatus enim nostri*, ait S. Bernardus, lib. de gratia, & libero arbitr. *& cassi sunt, si non iuuentur; & nulli sunt, si non excitẽtur.* Ideo *gratias agit Deo, (qui velle & perficere operatur pro bona voluntate)* hic Apostolus, quod Tito, hoc salutaris consilij suggesserit, vt de iuuanda Sanctorum necessitate, diligentius cogitaret: pro curando scilicet, sumptus ad pauperum sustentationem, qui noctes & dies in eã curam incumbebat, vt misericordię profusis operib⁹, *Ecclesiæ præclara consuetudo aliquid aggressura.*

inopum fratrum miseriæ occurreret; Quod etiam facere volebat eos, quibus res familiaris, infidelis populi cœtui lautior erat, & pinguior. Titi verò, promptam in eo voluntatem commendat, quod non solo populi hortatu fuerit adductus, vt Corinthum, collectarum causa, proficisceretur, sed quod sponte, vltroq; ad hâc pij negotij expeditionem, singulari charitatis studio ac zelo, in omnes deflagrans, sese obtulisset.

Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euãgelio per oẽs Ecclesias.

Titi, in legationis functione, comitem fuisse Lucam arbitratur D. Hieronym. cuius sententiam, ait D. Baronius, non mediocriter roborat Ignatij testimonium: qui ad Ephesios scribens, eodem, quo Paulus, Lucam præconij genere laudat, cum dicit, ipsum citãs, *cuius laus est in Euangelio*: Theodoretus, sic à Paulo descriptum Barnabam fuisse putauit, qui in prima illa peregrinatione, Antiochiæ cum Paulo, in Euangelium segregatus, illi vsq; ad finem comes adhæsit; qui licet in secunda assumpta ab Apostolo peregrinatione, ab eo discessisset, antequam tamen secundam hanc, ad Corinthios scripsisset, ad ipsum videtur redijsse, cum prioris, c. 9. ad eosdem Corinthios scriptæ, eius tanquam collegæ in Euangelij prædicatione, meminerit. D. Baronius, Silæ mentionem fieri videtur sentire; Qui (cum à Paulo, Barnabas recessisset) electus es Antiochiæ, comes in peregrinatione suscepta; Cui & conueniũnt illis præconia, quibus dicitur, *laudem eius in Euangelio fuisse, per omnes Ecclesias.*

Euangelista dicuntur, non tantum, qui Euangelica historiã scripserũt, sed & qui Euangeliũ prædicãt.

Neq; enim his verbis, à Paulo necesse est existimare, describi aliquem, qui scripserit *Euangelium*: Imò, nec

nec si appellasset eum *Euangelistam*: nam & Philippus, ab eodem Luca dictus est Euãgelista, nõ q, *Euangelium* scripsisset, sed potius p̃dicasset: Vno n. & eodẽ modo, vox *Euangeliũ* nõ sumit, q, iam ꝑ *verbo*, siue *scripto*, siue *non scripto*, iustitiã & grãm annunciante, iã ꝑ *doctrina Euangelica*, q̃ in toto testameto nouo scripta est, iã ꝑ *historia*, ipsa, de rebus, à xp̃o gestis, verbisq; ab eo factis, vsq; ad Ascens. vsurpetur. Euangelistæ n. c. 4. ad Ephes. ꝓpriè vocari videntur ab Apostolo, q p̃dicant & annũtiant tan q̃ præcones, ipsũ Euangeliũ. Sic n. ait: *Et ipse dedit quosdã q̃dem Apostolos, quosdã autẽ Prophetas, alios vero Euãngelistas*: Quo nomine, ij intelliguntur, qui annuntiandi Euangelij potestate pollent, vt Christi, cum fructu, præconium *bene patientes annuntient*.

Non solũ autẽ, sed & ordinatus est, ab Ecclesiis, comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis, ad Dei gloriã, & destinatam voluntatem nostrã.

Spectatæ fidei fuisse virũ, Titi sociũ, siue comitẽ, ex eorum indicijs & authoritate commendat, q ipsũ selegerunt ad hanc gratiã, id est, ad eleemosynas colligendas, siue pecuniarũ ministeriũ; q, particulares Ecclesię faciebant pauperiorib⁹ sanctis, in Hierusalẽ habitantib⁹; Quasi dicat; q, non tantum, ob Euãgelij p̃dicationem, ab Ecclesia fuerit ꝓbatus, verum etiã ab eadem selectus, vt vna cum ipsis proficisceretur, tum discriminum, tum periculorum, tum præstandorum beneficiorum, socius. Cuius peregrinationis videtur facta mẽtio, eius, quæ scripta est ad Rom. c. 15. *Nunc ego proficiscar Hierusalem, ministrare Sanctis*. Et 1. Cor. c. 16. *Si dignum fuerit, vt ego vadam, & mecum ibunt.*

Ex his, perspicuum fit, quanta prudentia, quantoq; delectu probarentur, qui rebus & munijs Ecclesiasticis olim pręficiebantur. Solebant enim Apostoli, & primi præsules, vt patet ex Act. cap. 15. nonnisi sãctis probatæ fidei viris committere, vel suas epistolas, vel alia officia, quæ momenti alicuius fuissent; ijs nempe, quos simul amandabant, ad visitandas consolandasq; Ecclesias: sicut Petrus fecit, per Syluanum, Paulus per Tychicum, Epaphroditum, Timotheum, Titum. Hinc est, quod alibi tam serio prælatos monet Apostolus, ne (quod ad ordinationem spectat) cuipiã nimis cito manus imponant: Et hoc non solum ob eorum, qui recipiuntur probationem, sed etiam propter aliorum scandalũ, qui ex ordinatorũ tam mala vita, quam erronea doctrina possent grauiter offendi.

1. Pet. 5.
Ephes. 6.
Colos. 4.

Ad Domini ipsius gloriam & promptitudinem vestram.

Sensus est. Tãtæ fidei & sanctitatis viri, huic colligendarum pecuniarum muneri sunt pręfecti, vt & gloria nominis diuini magis inde extendatur, & vos Corinthij, promptiores reddamini ad largiendum & erogandum; cùm Thesaurorum Ecclesiasticorum administri ita probati sint, vt nemini possint afferre suspicionem vel auaritiæ, vel priuatæ cupiditatis. Magnam siquidem, pecuniarum vim tractantes, doli & fraudis opinione semper carere non solent, apud aliquos, q. d. Pecuniarum hæc copia, collectoribus viris optimis credita, satis valere posset ad inferendam improbis & maledicis hominibus suspicionem, ne in suum priuatum quæstum & compendium collectam reponerent, nisi tantum candorem, & integritatem, in his administris commendassem. Iudæ

Quales esse debeant, quibus Ecclesiæ facultates & thesauri creduntur.

Iudæ enim exemplum, obscurum nòn erat, qui licet se cura & affectu quodam, in pauperes angi simularet: ex his tamen furabatur, quæ in Eleemosynam Domino offerebantur: cum ipse haberet loculos, & munere accipiendi oblata, simulq́; conseruandi fungeretur: Nam illum esse cupidum, Dominus cum nosset, à cupiditate reuocare huius dispensationis officio commisso, volebat: quare possessionem aliquam ei dederat, vt à Domini sui proditione, secundũ Chrysostomum, abstineret, tanquam medicinam salutarẽ: sed, qua non est sanatus. Atq; vtinam, hodie Iudas nõ haberent Ecclesiæ Dei, qui earundem facultates, qua par est æquitate, non distribuunt. Aliter sane Sixto summo Pontifici & martyri, respondebat Christianorum pauperum præfectus Laurentius, *dispperdens & diuidens pauperibus*, quæ piorum hominum profusa liberalitas, in Christi gratiam & indigorum leuamen liberaliter erogasset. De Lutheranis Iudę ꝓditoris æmulis, hic mihi sermo esset instituendus, qui ꝑ impune sacrilegiũ Ecclesiæ prouẽtibꝰ (q̃ bꝰ Ecclesiæ ministri, & pauperes religiosi alebantur) in suum fiscum redactis, Dñi templa nefariè polluta spoliauerunt; Sed prudens supersedeo.

Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis, in Domini gloriam.

Sensus est; Ideo tanta cura, conati sumus prudentes, & idoneos rei eleemosynariæ procuratores, ad vos mittere, vt omni cupiditatis opinione sublata, nemini essemus offendiculo; Quasi vestra liberalitate abutentes, nostra, non publica: & Dei inprimis glo-

riã, quæreremus; sed potius ditari his collectis quã inopum succurrere necessitati videremur. *Vnusquisq́. n. nostrum*, inq t, *sicut accepit gratiam in alterutrũ, illam administrat, nõ aliter, quã boni dispensatores multiformis gratiæ Dei:* (1. Petr. 4.) *nemini*, vt supra, c. 6. dictũ est, *dantes vllã offensionẽ & curam habentes de bono nõie, ne vituperetur ministeriũ nostrũ.* Neq́; n. horum bonorum dominos, sed ministros & dispensatores nos esse profitemur: non otiosos q. dem, sed in Dei gloriam, proximi vtilitatem, *non arbitrantes quæstum pietatem* sicut à veritate alieni homines (1. Tim. 6.) & Sectarij inprimis, faciunt, qui Dei cultui, suum consecrata ad compendium per rapinam, reuocant.

Prouidemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Enitimur, ait, & damus operam sedulam, ne coram Deo tantum, sed etiã coram hõibus, rectè & honestè versemur: ne quis vita nostra, & moribus offendatur; Omnibus enim placere studemus, qui diuinæ legi cõformiter viuunt: Licet enim à Psalmographo dictum (1. Corinth. 10.) sit, *eorum ossa dissipanda, qui hominibas*, secundum carnẽ scilicet *placent*, ait tamen alibi, & hic, noster Apostol⁹, se in eam curam incumbere, ne cuiquam, in aliqua re sit offendiculo, per quam ipsius fama, & bona æstimatio, possit vllam labem contrahere, aut irue reprehendi. Quæ causa est, quod Corinthios, ad sui imitationẽ prouocans, *sine offensione ad omnes se habeant*, præcipit, sicut ait, per omnia placeo omnibus; ijs videlicet *qui sobriè, iustè, & piè viuunt in hoc seculo.*

(Veri Christiani non debent esse contenti, vt Deo soli se probẽt.) Ideo Apostolorum princeps, fidelis populi cætũ *obsecrat, vt suam conuersationem inter gentes habeat bonam*, quod honestum sit, & maximè Christiano homini conueniens, ea modestia, sanctitate q; placere, vt exẽ-

plo vitæ integræ & ſtudioſæ, ad pietatis & religionis officia alliciantur ij, quibuſcum verſamur: Quo ſenſu Saluator, ſic coram hominibus opera noſtra voluit lucere, *vt glorificent*, inquit, *patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Propter nos quidem*, ait Gloſſa, vel potius S. Auguſtinus, *conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter vos autem fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in nobis. Duæ res ſunt, conſcientia & fama. Conſcientia tibi, fama proximo. Qui conſciẽtiæ fidens, famam negligit, crudelis eſt.* Ex his, fit euidens, quanto illi ſcelere ſe obſtringant, qui ad Reipub. tam Eccleſiaſticæ quam ciuilis, clauum ſedentes, vitæ improbitate, ſunt ijs offendiculo, & ſcandalo, q bus & ſãctitatis exemplo, & doctrina ſana, debebant facẽ pferre.

ſed proximis etiam infidelibus & honeſtis placere debent.

Miſimus autem cum illis, & fratrem noſtrũ quem probauimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe, nunc autem multò ſolicitiorem confidentia multa in vos, ſiue pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vobis adiutor, ſiue fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarũ gloria Chriſti.

D. Th. & pleriq; alij interpretes, tertiũ hunc legatũ, ſiue procuratorem fuiſſe Apollo arbitrantur, qui cum primus, poſt Paulũ, pdicaſſet Corinth. euangeliũ, eorũ inobediẽtia commotus, ab ijs receſſerat, quẽ *ideo nunc ſolicitiorẽ*, ſiue eorũ eſſe ſtudioſiorẽ dicit, q a aĩo in eoſdem Corinth. iã eſſet factus pcliuiore; vel q vberiorẽ ab iis, quos de facie nouerat, Eleemoſynã exſpectaret, vel q imperatis Pauli, ſuiſq; in Euangolicæ diſciplinæ cauſa, ad morem gerẽdum, videret eos ſolito proniores: Quemadmodũ ex Titi cõmendatione didicerat;

qua adductus: & libentius, & facilius se profectionis suscipiendæ sociũ adiunxerat: Quasi dicere vellet, secundũ Gagnæum, Apostolus: *Misimus*, alium fratrem studiosum vestri, & confidentem de vobis. Alij, *confidentiam*, coniungentes cum verbo, *Misimus*, ad Paulũ referunt, hoc sensu: Misimus & alium fratrẽ nostrũ, multum confidentẽ de vobis, siue ꝓ Tito, siue ob Titũ, q hanc, tũ illi, tum mihi confidentiã peperit, q & honorificè, & liberaliter oẽs ad hanc rẽ deputatos, tã excepturi, quã tractaturi sitis: Cum sint mei fratres, legati illi communi Ecclesiarũ decreto, ad vos ordinati, missiq;, quorum vita, prædicatione & doctrina, religio Christ. sumere possit, non mediocre incrementum ad Dei gloriã ãplificandã, & xp̃i nõis extẽsionẽ, spero &c.

Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro uobis, in illos ostendite in facie Ecclesiarum.

Monet itaq; Corinth. vt nõ modo honore debito & singulari beneuolentia hos, ad se legatos amandatos ꝓseq velint, sed etiã erga eosdẽ ita se gerant, vt Ecclesiis testimoniũ, postea luculentum p̃beant, ipsorũ in alios declaratæ charitatis. Mutui nã q; erga legatos, amoris, testificationẽ, in ipsius Apostoli gloriã, & Ecclesiarũ personas redũndaturã p̃nũtiat, hacq; sua hospitalitate, & honesta tractatione confirmaturos p̃dicit eas laudes, qb⁹ eos absentes tantopere passim fuerat ꝓsecut⁹: Nisi malis dicere, q Paulus charitatis Corinthiæ specimen, legatis exhiberi tale desideret, q oẽs Ecclesiæ, digito notare possint, simulq; vera fuisse coniiciãt, q̃ in eorũ cõmẽdationẽ ab ipso Paulo frequenter fuissent dicta. Nã, *in facie*, idẽ est, ac in cõspectu; Quo sẽsu, dictũ est, à Comico; Vercor . n os corã te laudare amplius.

CAPVT IX

Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis.

Ad beneficentiam leuandis Christianorum vitæ necessitatibus, Corinthios antea prouocatos, hortari pergit, quorum lubenti & spontaneæ temporalium facultatum erogationi, certam mercedis accipiendæ compensationem pollicetur. *Ministerÿ* voce, copiosam Eleemosynarum elargitionem intelligit, qua significatione, dixit D. Lucas, *quasdam mulieres, Christum fuisse secutas, quæ ministrabant ei*, quod earum ministerio & facultatibus indigeret, *cum tollebat consuetudo offensionem*, prout in cap. 27. Mathęi. annotauit Hieronymus. Fidelis porrò populi cœtum, *sanctos* hic & alibi appellat, quod secundum præcipua sua membra quædam, nempe per metonymiam, secundum iustos, ab omni essent immunes peccati læthiferi macula, quæ macula sola cum gratiæ sanctitate stare non potest: vt quæ, eius nitorem & puritatem deleat; quam Christus sanguinis sui profusione ac pretio incorruptibili acquisiuit. Quomodo enim populus, js sanctus non erit, qui totus diuino cultui consecratus, præceptis, sacramentis, institutisque sanctis ac multiplicibus gratiæ diuinæ charismatibus, continetur? Licet enim, non omnes fideles, vitæ sanctimoniam colant, omnes tamen illam extrinsece profitentur: Quemadmodum religosos, aut artifices, propter vitæ institutum & professionem, eos etiam solemus dicere, qui religionis, aut artis præcepta transgrediuntur.

Ait ergo, huius noni capitis initio Paulus, inane, frustra & superfluum fore, si de faciendis Eleemosy-

nis, plura apud eos, verba faceret, quos ad misericordiæ opera, antea procliues, paratissimosque sciret. Vox enim (*abundans*) huius loci, idem quod superuacaneum, & vltra quam satis est, significat.

Scio enim promptum animum vestrum. pro quo, de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito.

Monitione non indigetis, ait, ò Corinthij, in hoc bonorum operũ genere, cũ perspecta mihi sint viscera misericordiæ vestræ, in fideles ope vestra summe indigétes: Sic enim liberalem vestram voluntatem habeo cognitam, vt non modo verbis amplissimis, eã apud Macedones deprædicem, sed etiam, in ea maximum gloriæ meç cumulum, apud omnes bonos, reponam.

Familiare enim fuerat Apostolo, ex vnius particularis Ecclesiæ comendatione, cæteras officij monere, ad similem vitæ perfectioné, maioréq; Charitatis prouentum incitando. Ideò, totius Ecclesię Achaicę (cuius erat Corinthus metropolis) insigné liberalitaté, maximis laudibus extollit, vt ipsos Corinthios doceat, in promissis esse constantes, ne falsa & inania de ipsis prędicasse, ab externis reprehendatur; si minus ad largiendum prompti, suo tempore, fuissent reperti: sępe enim vsu venit, vt audito recenter prudentis monitoris sermone, ad sua pauperibus eroganda, quidã protinus incalescant, qui temporis decursu, sensim reddãtur, tum frigidiores, tũ parciores. Quod exemplo ægrorũ, se didicisse narrauit mihi clariss. quidã medicus. Dũ n. homines ægrotant, nihil nõ Medicis pollicentur, si eorũ opera possint iuuari, at quo medici compensatio differtur

Simile, notatu dignum

fertur diutius, eo magis ea decrescit, mẽoria nempe tũ ægritudinis, tum laboris, & industriæ Medici, deficiente. Hinc de ipsis se gloriari apud Macedones dicit, quos etiam hac ratione, ad pietatis & munificentię Corinthiæ imitationem, inuitare tacito artificio, contẽdit.

Et vestra æmulatio prouocauit plurimos.

Facta, dictis efficaciora sæpe sunt; sicut exempla, doctrinis ad persuadendum, maiorem frequenter efficaciam habent. Ideo, Corinthiorum exemplo, ceu magisterio, ad pietatis officia & bonorum operum exercitationem, fuisse Macedones adductos, hoc loco, affirmat Paulus: qui tanquam discipuli, pręceptoribus ob eorũ offæ, vicẽ referẽtes, ipsos in misericordię operibus, non aliter ac filij, parentes imitabantur, Christi scil. documento imbuti, qui vitæ sanctimoniam, in nominis sui cultoribus, *lucem* appellans, in Apostolis, atq; adeo in Apostolorum discipulis, volebat *coram hominibus lucere, & videant*, inquit, *opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*

Quo sensu, B. Petrus, prioris suæ epistolæ, cap. 2. Christianos bene viuentes, gentibus prælucere voluit, conuersationẽ vestrã inter gentes, ait, *habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis* quæ causa est, quod in Apostolis, credentes comparantur *lucernæ*, quæ sicut eo animo accenditur, vt ab omnibus videatur; ita ad fidem, Christiani ideo se accessisse testentur, vt eam bonis actionibus longè lateq; ex primant; quasi, ad omnis generis virtutes, facem præferentes.

Fructum siquidem maximum adducit proximis honesta, exemplaris & sancta conuersatio; quæ & ad veritatis capessendam cognitionem, infideles facilius impellit, & nominis diuini gloriam magis magisque extendit: Sicut e diuerso, *blasphemare Domini nomen ii dicuntur facere*, qui Christianam religionem, sermone duntaxat inani profitentur, *quam factis negant*. Cuiusmodi Christianos; *infidelibus esse deteriores* affirmat alibi Paulus, quasi vita & moribus sint, velut *as sonans, aut cymbalum duntaxat tinniens*.

1. Cor. 13.

Misimus autem fratres, vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte: vt (quemadmodum dixi) parati sitis. ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos, vt non dicamus vos in hac substantia.

Quia hilari animo, omne studium, ad operam sanctorum necessitatibus nauandam, Tito, ac cæteris à Paulo missis collectæ causâ, Corinthij promiserant, (quemadmodum cap. 7. dictum est) profusus fuerat eorum beneficentiæ & liberalitatis laudator Apostolus qui veritus, ne non eorum facta, suæ cōmendationi responderent, hortatur Corinthios (quos forte parciores & magis auaros sciebat) vt ad ipsos vnà cum venientibus Macedonum legatis, ita se ad liberalem erogationem componant, ne; & ipse si sordidiores fuerint reperti, confusus erubescat, & mendacij Paulus redarguatur, quasi plura in ipsorum cōmendationem, iactasset, quàm ipsi reipsa præstitissent. Ex quo, superiorum,

riorum, Rectorumque dignitatis, vbique diligenté rationem esse subditis habendam, fit euidens. Honesti siquidem & grauis viri est, bonæ existimationis suæ, iacturam, ob inanem dicacitatem & verborum lenocinia, quæ assentationis referre speciem possent, extimescere. Vndè, quasi de turpi actione, rubore suffusi merito verecundamur, quando nostris amplissimis pollicitationibus, acta minimè respondent: Cùm pollicitis diues quilibet esse queat. Hinc ait, *ne erubescamus in substantia*, id est, de hoc genere gloriationis, quo gloriati sumus, de vestra in sanctos beneficentia. Vox *substantia*, hypostasin hoc loco significat, quæ vt author est Gagnæus, etiam pro animi audacia confidentiaque accipitur, quod significatum, ait huic loco, non male conuenire, vt sit sensus: Ne erubescamus, quod tam confidenter de vobis in hac parte, gloriati sumus, si videlicet, ad vos veniétibus legatis, eleemosynę primũ colligi, & quasi ab inuitis, auaris, parcioribus, tardisque manibus, emungi, extorquerique primum debeant, cum tamen, qui cito dat, bis dare existimetur.

Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt praueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratã esse sic, quasi benedictionem, non tanquã auaritiam.

Fratres illos, quos à Paulo præmitti necesse fuit, ad Corinthiam Ecclesiam legatos, aliqui Lucam, aliqui Barnabam, aliqui Silam, vel Iudam fuisse colligunt. Nam ad Apostolicam perficiendam legationem, Silas ex Con. Hierosolymitano, vna cum Iuda, quod

primi essent, eodem Luca teste, in fratribus, delecti fuerant. Eleemosynam autē, quā larga & alacri manu porrigi cupiebat, *benedictionem* vocat. vbertatem enim & copiam in scriptura sacra, sæpe admodum *benedictio* significat, sicut Gen. cap. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Aggæi 2. *ex die ista benedicā*, id est, copiose multiplicabo. & Iud. c. 7. *Da mihi benedictionem, quia terram arentē dedisti mihi.* Inde Luc. 1. *Benedicta tu in mulieribus*, hoc est, fæcundissima, vno partu fæcundior, quam cæterę multis, quomodo dicit quidam.

Nec genetrice tua, facundior vlla parentum,
Tot bona, per partus, quæ dedit vna duos.

Benedictioni auaritiam Charitatis studio contrariam, opponit Apostolus, cuius opinionem, vix ô Corinthij effugietis ait, si tristes, inuiti & austeriore vultu, illam erogaueritis, præterq̃, quod ex ea, exilē, aut nullā fere mercedē, à Deo olim estis reportaturi, quēadmodū trito, & ipsis agricolis notissimo, probat exemplo.

Hoc autem dico, qui parce seminat, parce & metet.

Singulari artificio, quod, vel propter abundantiā, vel propter collectionem vocauerat *benedictionem*, hic semen appellauit; vt eiusdem largioris compensationis expectatione elargitores erigat, quasi porrectæ eleemosynæ, multiplex fructus certo debeat sperari; nō secus, quā à semente; quam qui faciunt, vtilitatis fiducia adducti, nec laboribus franguntur, nec ex temporis interposita morâ, vllā capiunt molestiā; quod hāc copiosę messis firma spes, licet (diutina) iuxta tritū prouerbiū, (spes alit agricolam) temporis intercapedinem, absque omni tædio, minimè grauem faciat: *qui enim in corde*

bono & optimo audientes verbum (Dei) *retinent, fructum afferunt in patientia*, hoc est, operum suorum mercedem, suo tempore patienter exspectant, *quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* 1.Cor.9.

Siquidem, homines etiam sanctissimi, ad largiendum, spiritualis fœnoris & lucri spiritualis odore, vehementer incitantur. Quod optime callens Dominus, vel *aquæ frigidæ calicem*, vilissimo homini, suo nomine propināti, *mercedem* pollicebatur: *Seminanti enim iustitiam*, vt est in prouerbijs, *merces fidelis*. Alij enim diuidunt propria, & ditiores sunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate viuunt: *Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*: prouerb.11.

Ideò qui in hac mortali vita, esurientes pauerūt, *benedicti patris* à Domino vocati, propter misericordiæ opera, torrente voluptatis bonorum æternorum, replebuntur, fructumque centuplum, Deo incrementum dante, exspectant; donec in eius requiem ingressi, regnum percipiant, ipsis à constitutione mundi pręparatum.

Est enim hęc messis, quam seminantibus promittit Apostolus, adeptio beatitudinis, de qua nimirum Dauid, psal. 125. *Quę seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Item Apocal. 14. *Et nemo, inquit, poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia.* Vbi Ioannes indicat, virgines de quibus loquitur ibi, singulare quoddam à cæteris reportare præmium: Non etenim idem omnium promiscue futurum præmium insinuat Apostolus, cum dicit, *qui parce seminat, parce metet*. Aduerbium enim (parce) inæqualitatem designat; quasi pro ratione meritorum, alij alijs, perfectiorem visionem, ac fruitionem diuinam

sint

sint habituri, quemadmodum præcinuisse videtur Isaias cap. 56. *Quibus dabo* inquit, *in domo mea, locum & nomen melius à filiis & filiabus.* Quod idem Saluator, eo ipso, videtur confirmasse, quod dixit: *Sedere autem ad dextram, vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus, paratum est à patre meo.* Sessio n. ad dextram & ad sinistram, significat inæqualitatem beatitudinis, pro inæqualibus meritis, à Deo paratam, vt recte D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianũ argumentatur: quẽ Iouinianũ imitati Lutherani, omnes in beatitudine pares, futuros, contra manifestissimas scripturas, sunt, vt solent, ementiti: Eo enim vesaniæ illud orbis monstrum, Lutherus adductus est, vt blasphemâ, sed exscindendâ linguâ assereret, omnes credentes, æque, propter Christi merita, esse sanctos; & consequenter æque futuros beatos, atque est ipsa Dei mater. Cum tamen, Ioan. cap. 14. dicat ipsa veritas, *in domo sui patris, multas esse mãsiones* sicut & noster Apostolus, 1. Cor. 13. ducta similitudine *ex stellis* idem confirmat, quæ maiori & minori claritate inter se differunt. Cum enim omnium non eadem sint merita, neque eædem V. G. Eleemosynæ, non pariter, oẽs eãdẽ beatitudinẽ metẽt; sed maiorẽ vel minorẽ prout magis, vel minus, ad beatitudinem erunt ordinati per gratiam & merita. Fruentur quidem secundum communem rationem, eadem beatitudine, siue summo bono, quod est Deus, nihilominus tamen vnus alio perfectius; cum ipse Deus *vnicuique redditurus sit secundum opera sua.* Nam pro diuersitate luminis gloriæ (quod quisque maius vel minus participabit) iuxta charitatis proportionem, quam habuerit in hac vita, pulchrè expressit Apostolus, *vnumquemque propriam mercedem accepturum, iuxta suum laborem.* Quid quæso est

Math. 20. — *contra sectarios saluandis æqualia præmia mendaciter pollicentes.* — *Rom. 2.* — *1. Cor. 3.*

est *secundum laborem*, nisi qui plus dedit, & plus laborauit, maiorem; qui minus, minorem recipiat: Quemadmodum in ea, quæ est ad Gal. scriptum est: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Id enim apud Mathæum, cap. 10. expressit saluator, cum ait: *Qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet;* Quasi diceret, (quemadmodum recte obseruauit Clemens Alexandrinus) non eandem, eum qui Prophetam, & eum qui quemblibet hominem iustum exceperit, mercedem recepturum: Sicut nec eandem ipsi Propheta & iustus sunt mercedem recepturi. Si n. Christo seminante, verbi diuini semen; quod cecidit in terram bonam, & dabat fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum afferebat, quomodo, vel fructus à fide & verbo Dei promanantes, sunt æquales; vel quomodo bonis operibus, æternam vitam, non meremur? Nam fructus, non solum terræ qualitati sed etiam colentis industriæ respondet: Immo secundum gratiam diuinam, inquit Augustinus, vnusquisque seipsum, vel bonam, vel malam terram potest facere.

August. lib. 2. de serm. Dom. in monte & ser 12. de Ver. Dom.

Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Quemadmodum, qui copiosam sementem in bonam terram spargentes, vberiorem messem exspectant; sic qui temporalia, Dei intuitu largiter & vberè profundunt, spiritualium bonorum maiorem prouentum accipient. Apto sane *seminandi* verbo, vsus est Apostolus, quia sicut qui seminat, ad tempus, rei suæ possessione caret, vt plus tempore messis, fructus reci-

piat, non vt eam amittat: ita, qui Eleemosynas erogat, re sua in hac vita, se abdicat, vt eandem, vel similem, hoc, vel futuro sæculo, in centuplo recipiat.

Quæ potissimũ spectãda in eleemosynarum largitione.

Vbi tamen notandum, non tam operis magnitudinem & Eleemosynæ valorem, opus, pretium, & æstimationem spectanda, quam personæ dantis intentionem, charitatem, & conditionem: quemadmodum luculenter apud Marc. cap. 12. declarauit, in illa paupere vidua, Dominus; *quæ duo minuta in gazophylatium miserat*; *Amen dico vobis*, ait, *quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylatium: Omnes enim ex eo, quod abundabant, miserunt, hæc vero de penuria sua, omnia quæ habuit.* Ibi animaduersione opus est, non eos vituperari, qui magnam templo pecuniam offerebant, sed viduam, illis minorem offerentem pecuniam, propter maiorem charitatem, anteferri, neque improbari; sed à Christo laudari oblationes eas, & Eleemosynas (vt qui magis animum quam censum ponderat) in ministerium ornatumque templorum dicatas, licet sacrilegi Lutherani, easdem furto per rapinam, auferri impune doceant, suisque Ecclesiasticos, bonis spolient: Singulariter tamen, Elèemosynæ, benedictio messis conuenit, tũ quod, qui eam accipit, benedicatur, id est augeatur, & cumuletur, Iob. 19. cap. tum quod, qui eam largitur, à Domino benedicatur, & laudetur. Psal. 23. tum quod ab Eleemosynam accipientibus, largitores singulariter & prædicentur, & benedicantur. Prouerb. 22. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicitur.*

vnusquis-

Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.

Licet cæteris paribus, semper maior Eleemosyna, Deo acceptior & gratior censeatur, quo plura, vel preciosiora dantur, quia donum, quod est absolute & simpliciter maius, maxime si fuerit ab eo profectum, qui iustus, & Deo acceptus est, eo maioris ab eo, qui illud accipit, æstimatur ponderis: Illud tamen non minus existimatur, quod ex maiori animi promptitudine & feruore fuerit tributum. Quia in ea quidem promptitudine, videtur inclusa voluntas plura & maiora tribuendi, casu, quo facultas maior suppeteret: quæ facultas, potissimum inter Eleemosynæ conditiones obtinet locum, vt de vidua, paulo ante dictum est. Vnde Cyprian. lib. 3. ad Quirinum, cap. 2. *In opere*, inquit, *& Eleemosynis, si per mediocritatem minus fiat, ipsa voluntas satis est.* Cui subscribens Ambros. lib. de viduis, *liberalitas*, inquit, *non cumulo patrimonij, sed largitatis censetur affectu.* Vnde Augustin. in psal. 125. illud explicans, *Tunc repletum est gaudio os nostrum &c. si manum* ait, *porrigas, & in corde miserearis, etiamsi non habeas, quod porrigas manu, acceptat Deus Eleemosynam tuam: exteriora siquidem nostra, domino quamlibet parua sufficiunt; Cor namque, & non substantiam pensat.*

Ideo sponte vult fieri Apostolus, bona opera: nam ex affectibus, vt auctor est serm. 41. de quadrages. *pura benignitatis mensura* taxatur: Ideo monet Apostolus: vt vnusquisque libenter tribuat id, quod destinauit in corde suo, id est, quod)

libera voluntate prælegit, hoc est cum summam potestatem haberet, parum, aut multum velle dare. Vox *destinare*, qua vtitur Apostolus hoc loco, liberi voluntatis motus, propria est, idem significans, quod proponere aliquid, quod in sua est potestate, ad faciendum Sunt autem Deo, quæ ex liberali & spontanea voluntate proficiscuntur, acceptissima; sicut non semel testatur Psalmographus, *Voluntarie*, ait, *sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine*, hoc est, hilari, gaudenti, & munifico animo offeram, quæ vouero tibi, & cum quadam spontanea mentis liberalitate, tibi tribuã, quæ sciuero esse accepta, quia melius est confiteri & psallere nomini tuo, quam immolatio sacrificij. Quare Ecclesiasticus monet, vt *in dando hilaris sit vultus*, id est, non deiectus, vel austerus, vel tristis, qualis est eorum qui eo modo Eleemosynas erogant, sicut qui necessitate, vi tempestatum coacti, merces in mare profundum inijciunt, capiunt tristitiam. Cui subscribens Apostolus, ad Rom. 12. *Qui miseretur in hilaritate*: Nam, vt ait Glossa, *Qui dat, vt careat tædio interpellãtis, non vt reficiat viscera indigentis, & se, & meritum perdit.*

Hilarem enim datorem diligit Deus.

Ideo recte monet Augustinus: *Quicquid boni*, inquit, *facis, cum hilaritate fac, & tunc bene facis, si autem cũ tristitia facis, fit de te, non tu facis.* Qui siquidem, cum voluntate alijs, aut officiosius seruiunt, aut sua, cum alacritate largiuntur, aut quacumque ratione, de proximo bene mereri ex animo student, suauem & benignum, diuinę videntur imitari prouidentiæ modum: Nam *secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ*, nulla autem coactus necessitate, hominum

salu-

ſalutem operans, eis vltro præſtat illa, quæ ad bene beateque viuendum, ſunt ijs neceſſaria, addo eum, *cũ filijs hominum verſari, delicias reputare: Voluntarie enim gignit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ* eius, *dando nobis* ſcilicet *poteſtatem filios Dei fieri*, vt inter eius creaturas, principatum obtineamus. Hinc eos qui ſua alacriter viciſſim Deo offerunt, tantopere celebrat ſcriptura. *Reſpexit ad Abel, & ad munera eius*, ea ſcilicet, approbando, acceptando, remunerando, dignaque iudicando compenſatione.

Nihil eſt, quod ita celebratur ac inſignis Abrahami, ad relinquendam patriam ob Dei amorem, promptitudo: nihil magis proponitur imitandum, quam eiuſdem ad immolandum filium, obedientia, & hoſpitalis in excipiendis peregrinis, alacritas: Ideo frequenter hortatur fideles pſalmographus, vt non ex anxietate, triſtitia, & ſeruili ſolicitudine, Domino ſeruiant, ſed cum lætitia, mentiſque exultatione, tanquã liberi pijſſimorum parentum, qui filios ſuos amant, ſcientes Deo iubilationem & gaudium placere, quib. alacrem exhibeant ſeruitutem: Qui enim anguſtioris in hoc genere ſunt animi, à Deo diligi non poſſunt, cũ Dei in largiendo, iuuando, & miſerendo facilitatem & liberalitatem imitari nolint, tametſi *ſimilitudo*, amicitiæ & dilectionis ſit cauſa. Nam Deus vltro, & liberaliter *oriri facit ſuum ſolem ſuper bonos & malos*, omnes vltro diligit, *nihilque eorum odit, quæ fecit*, libenterque ſe, tanquam ſummum bonum, creaturæ rationali cõmunicat, diffundit, & impertitur. Quare monet Apoſtolus, vt quotquot filij Dei eſſe volunt, *beneficentiæ & communionis nolint obliuiſci, quod talibus hoſtijs promereatur Deus.* Hac enim ratione, Deum obtinuit

 Abra-

Abraham, cum obuios hospites, Angelos excepit, eos rogans, vt ad se diuerterent. Non enim exspectabat vt ab ijs rogaretur; Quod ipsum faciebat Loth. Gen. 19. & Tobias, vt in eius historia, cap. 1. legitur, *Per singulos dies discurrebat, pauperes quærens, quibus Eleemosynam faceret*; quos imitandos, proponit D. Gregorius hom. 23. in Euangelia, explicans illud, Lucæ: *& coegerunt eum.*

Potens est autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne bonum opus.

Sicut eo animo, terræ sementem, vltro, & libenter mandant agricolæ, vt multiplicem fructum recipiant: sic danti Christiano Eleemosynam pauperi, non tam se dare, quam accipere beneficium, in mentem venire debet: *multum enim*, ait D. Greg. lib. 2. Moralium cap. 14. *ad edomandam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuit, verba solicite magistri cælestis penset, qui ait; Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Si damus eorum amicitijs, æterna tabernacula acquirimus: dantes procul dubio pensare debemus, quia pro nobis potius munera offerimus, quam egenis dona largiamur.* DEVS ingratus esse non potest, nec vllum rei familiaris detrimentum ijs metuendum est, qui sua Dei cultoribus, tam libenter, quam liberaliter erogant, ait Apostolus; Qui, cum Deo nihil sit impossibile, facilime continget, vt cum fauore, ea compensata recipiat, quæ fuerant his mini-

minimis, id est, suis membris porrecta: quemadmodum ipse Dominus pollicetur, apud Luc. cap. 6. cum ait: *Date; & dabitur vobis, mensuram nempe bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quibus verbis, in omni genere Eleemosynæ, plenissimam fore retributionem promittit, quæ etiam superabundabit, quia & in hac vita, omnia potest Deus, facere superabundanter, quam petimus, & in altera vita, supra condignum: *non enim sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam.* Quid autem est *mensura bona*, nisi fortunæ bona, quid mensura conferta, nisi naturæ bona, q̄d coagitata, nisi gratiæ dona, quid mensura superfluens, nisi æternæ gloriæ bona, quæ largientem Eleemosynam manent? Deus enim obliuiosus non est, qui cum in promissis verax sit, plenissime, quod pollicitus fuerit, præstabit, quia sine difficultate omnia facit, vt *cuius potestati nihil sit, quod possit resistere*; Et cum per Sapientem, cap. 3. dicat *De primitijs frugum tuarum da pauperibus, & replebuntur horrea tua saturitate*, nemini dubium est, quin suo nomine, profusa temporalia, cum fœnore sit compensaturus.

Quātus sit Eleemosynæ fructus

Quod ipsum, facile ostenditur exemplo viduæ Sareptanæ 3. Reg. cap. 17. Retributionem spiritualem promittens in hac vita sapiens, ait: *Conclude Elemosynam in sinu pauperis, & hæc orat pro te ad Dominum*: Et de æterna, loquitur scriptura, Daniel. ca. 4. Eccles. 3. Prouerb. 16. Esai. 58. Math. 6. & 25. Luc. 16.

Nam Deus, *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*, & qui vltro etiam non petentibus, omnia bona affluenter suppeditat

nec

nec improperat, quomodo ad benefaciendum prouocatus, ex quadam decentia, & quasi honestate non retribuet? Si vos, *licet mali nostis bona dare filijs vestris*, ait beneficus magister, *quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit spiritum bonum, petentibus se.*

Sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Psal. 111. Inter cæteras viri iusti, beati, ac Deum timentis conditiones, hanc etiam Psalmista expressit, nempe quod ea, quæ de manu Domini accepit, misericordiæ operibus impendat, non sibi scilicet, in terris duntaxat thesaurizet, sed in cælo potius, dum sua in pauperum & inopum subuentionem distrahit, & miseris sua liberaliter elargitur. Atque huius, ait, iustitiæ, virtutisque meritum, permanebit æternum ante Dominũ. Tametsi enim contingat dispergendo, & largiendo cessare nonnunquam æternum miserendi opus, vt pote, cum vlterius non suppetunt facultates; meritum tamen virtutis, & præcedentium operationum iusti hominis, semper manet, dum pro bonis temporalibus Christi causa, in indigos erogatis, æternam accipit à Deo bonorum æternorum remunerationem. Quemadmodum è contrario, impiorum iniustitia, semper apud Deum dicitur manere, ratione punitionis sempiternæ, etiamsi actiones ipsæ, in sese transierint. Vbi notandum est, *iustitiæ* nomen, pro Eleemosyna & misericordia, ab Hebræis sæpenumero vsurpari, qua in significatione, videtur *iustitiam* Math. cap. 6. accepisse Dominus, cum dixit: Attendite, ne iustitiam vestram facia-

faciatis coram hominibus. Et Regius vates: *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timẽtes eum, & iustitia eius in filios filiorũ, ijs qui seruant testamẽtum eius:* Ex repetitione enim eiusdem sententiæ, perspicuum est, quod priori loco, *misericordia* dicitur, posteriori vero, *iustitiam* appellari. Ex voce autem (dispersit) collegere Theologi, præstare, multis aliquid, quam paucis multum dare ac distribuere, sicut alibi scriptura videtur insinuare, vt Isai. 58. *Frange esurienti panem tuum.* 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperũ, omnes facultates meas.* Ad quem modum, & Tobias quotidie pergebat per omnem cognationẽ suam, diuidebatq; singulis, prout poterat ex facultatibus suis. In quã sententiam, in vita Paulæ D. Hier. Solent, inquit, pleræque matronæ, in paucos largitate profusa, manum à cæteris retrahere, quo Paula omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nam hoc pacto, pluribus miseriam & egestatem patientibus occurritur, pluresque orant pro eo, qui eleemosynam facit, & ipse facilius inanem gloriam declinat, qui sua profundit. Sed alia lex, hac in re Eleemosynaria præscribi melior, aut certior non potest, quam est ipsa pia charitas, si veræ prudentiæ fuerit iuncta.

Psal. 102.

Quomodo faciẽda Eleemosyna

Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.

Eleemosynæ, *fruges iustitiæ* vocantur, quod sicut

fruges, in aruis sparsæ; sic illæ, in pauperibus erogatæ multiplicentur; quemadmodum verba citati psalmi, insinuant; *dispersit, dedit pauperibus*, id est, Vir iustus *seminauit*, liberaliter pauperibus erogatas facultates: quia diminutis, per Eleemosynam, alicuius facultatibus, iustitia & misericordia augẽtur. Ideo verbo *dispersit*, verbum contrarium, *manet*, opposuit, quod sicut diuitiæ corporales, per Eleemosynam, distrahuntur, ita iustitia spiritualis, per eandem Eleemosynam radicata, stabiliatur & crescat, vt manere possit, in sæculum sæculi.

Viderint proinde Lutherani, quid Paulo & Regio vati sint responsuri, iustos, cum operibus iustificari, siue in iustitia crescere homines, non minus audacter, quam impudenter negant, & à bonorum tam spiritualium, quam temporalium mercede, in cælis recipienda, tantopere abhorrent, cum tamen alibi scriptum sciant: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*; sicut supra cap. 7. dictum est, *emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini*. Et Apocalyp. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*.

Nam si diuinis mandatis, obedire hominem posse, hic ait Apostolus, quidni per operum bonorum incrementum, iustitiæ poterit obtinere auctionem: & si hominem, secundum opera, vere opera operari, quæ nullo vitio polluta sunt, posse asseruit Apostolus, cur vtique per opera iusta, iustitiam suam non poterit multiplicando augere? Quod sane, stupidi hæretici negare non possunt, nisi quod hic *incrementa frugum iustitiæ*, quæ omnem complectitur virtutem, appellat Paulus, illi iniquitatem vocent, & prouentum bono-

bonorum spiritualium, per quæ, in sanctitate & iustitia iugiter crescitur, peccata esse nequiter & stulte existiment: Nam, sicut DEVS, arua serentibus agricolis, semen & annonam, nutriendo corpori largiter suppeditat; sic & his, quorum in cælo conuersatio est, & animo cælestibus edulijs enutriendo, incumbunt, spirituale semen negaturus non est, qui longis interuallis, hominum beneficentiam superant, *vt de virtute, in virtutem* gradientes, beneficij homines, meliores efficiantur, donec Deum Deorum, in cælesti Sion, oculo ad oculum, contueantur.

Et in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

Simplicitas, rectam intentionem, qua misericordiæ opera facienda sunt, significat, sicut alibi scriptum est, *Si oculus tuus*, hoc est, intentio tua, *fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit.* Ita hoc loco, insignem candorem, & liberalem largiendi voluntatem, per *simplicitatem*, intelligit Apostolus, ex qua Eleemosynarum porrectio, debet proficisci, quia hæc, sola Deo grata esse solet. Quare August. tract. 6. in Epist. Ioan. citans illa verba Math. 6. *Cum facis Eleemosynam, noli tuba canere, & nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Domini sententiam, ad intentionem facientis Eleemosynam reuocans, prohiberi vult, ne humani fauoris intentio, vitæ æternæ intentioni, se admisceat, quia talis simplicitas, siue candor, & liberalis animi promptitudo, non)

ſolum, ait Apoſtolus, aut inopum neceſſitatem leuat, aut ſanctorum occurrit egeſtati, ſed & ſtimulum addit vehementem Chriſtianis, vt Deo gratias agant ingentes, Deumque laudibus proſequantur. Singularem enim beneuolentiam conciliat Eleemosyna multorũ qui non ſolum pro benefactoribus Deum precantur, eiſque, vel gratiam conuerſionis, vel donum perſeuerantiæ, vel incrementum gratiæ & gloriæ impetrant; ſed & Deo gratias agũt ſerui Dei & religioſi, profuſis piorum largitionibus, per hoc, quod procurandi corporalis victus neceſſaria diſtrahente ſolicitudine, cura, & moleſtia, hac ratione, liberentur.

Quoniam miniſterium huius officii, non ſolum ſupplet ea, quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem miniſterii huius.

Initio huius capitis, *miniſterij* vocem, neceſſaria fidelibus largiendi, diximus vocari *officium*. *Officij* porro vocabulum, Græci *latriam* appellant, hoc eſt, ſacrificium. Omne enim, quod DEI vnius intuitu, & amore fieri conſueuit, cultus & ſacrificij rationem habet.

Ideo in ea, quam Hebræis ſcripſit Apoſtolus, beneficentiam, & communionem, *hoſtiam* appellat, quibus placatur & promeretur Deus, eiuſque gratia, *fauor*, donaque tam naturalia, quam ſupernaturalia comparantur, quemadmodum Tobias 4. cap. videtur inſinuaſſe, dicens: *Eleemosynam ab omni peccato, & à mor-*

& à morte liberare & non pati animam ire in tenebras. Et Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Cui simile est illud Ecclesiastici cap. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, Ita Eleemosyna extinguit peccatum*, tanquam oblatio scilicet, pro eo facta: Nam qui iustos, suis Eleemosynis fouent, non solum participes eorundem fiunt meritorum quemadmodum Lucæ 16. scriptum est: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*, sed & æternæ gloriæ comparandæ, occasionem nanciscuntur.

Quod enim seruis, & sanctis DEI, hoc nomine offertur, ait Catharinus, pro quo, & ipsi gratias agunt, ipsi DEO offerri intelligitur, & acceptatur à Deo, sicut ait Dominus iudicans bonos & malos, apud Math. 25. *Quod vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis.*

Nam per gratiarum illarum actiones, maxime probatur à Deo hominum *ministerium*, quia, DEVS per eos glorificatur. Nec porrectæ eleemosynæ duntaxat iustis, vel fructum afferunt, vel gratias agendi DEO materiam suppeditant; sed & impios, ad iustitiæ adipiscendæ gratiam, singulariter disponunt si ab ijs fiant, qui peccatorum pœnitudine, duci iam incœperint, & maxime, si ex motione diuina, auxilioque speciali proficiscantur: quemadmodum Prouerb. 15. videtur sapiens docuisse, cum dicit: *Eleemosynis & fide delicta purgari.* Et Dominus ipse Luc. 11. *Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

Sic cum Luc. 19. dixisset Zachæus; *Ecce dimidi-*

fuerit : Quæ res, eorum meritum vehementer augebat, quod ex obedientia singulari, proficiscere-tur.

Magis enim Deo probantur eæ actiones, quæ vel ex voto vel ex obedientia, erga suos superiores, proueniunt, quam quæ nudum voluntatis imperium mandant effectui. Videntes enim Macedones, Pauli per omnia, dictis, Corinthios morem gerere, & insigni alacritate, suas facultates, in pauperum profundere necessitates; ita proficiebant in Christianismo, & ædificabantur, vt eorum exemplum imitati, in eorundem amorem inardescerent, & propter eminentia gratiæ diuinæ in illis argumenta, afficerentur; adeo vt in hac vita, per gratiam & sacramentorum communionem, fideique vnitatem; in futura vero, per gloriæ participationem in eorum se societatem adiunctos desiderarent; Quod, vt facilius & certius consequi possent, DEVM, votis & precibus assiduis solicitabant.

Nam hæc est, operum misericordiæ conditio, & natura, vt mutuam amicitiam, & beneuolentiam in hac vita, & post fata, arctissime concilient bonorum ac justorum animos, atque affectus inter se; quemadmodum D. Petri factum testatur, qui Tabitham corporaliter mortuam, ad preces viduarum (quæ ab ea, Eleemosynas acceperant) excitabat, quæ precibus hic destituta, non excitata fuisset, sicut, & ad pauperum interpellationem, quos vestierat, ab eodem Petro suscitata est Dorcas, Act. 9. quæ fortasse mortua mansisset, si hæc interpellatio non interuenisset.

Quo certe innuitur, in peccatis mortuos, Elee-

mosy-

mosynis posse (vti antea diximus) resurgere, pauperum adiuti precibus, votis, & orationibus: *quod desiderium pauperum*, iuxta Psalmistam, pium, *non modo exaudiat Dominus*, sed tanta in eos feratur exaudiendos facilitate, vt priusquam plene illud suum desiderium & voluntatem expresserint, iam diuinæ exauditionis ad iuuandum, & opitulandum promptitudo, in promptu sit, & parata benignitas ad largiendum quod postulatur.

Psal. 9.

Gratias ago Deo, super inenarrabili dono eius.

Catharinus, *doni* nomine, non abs re obedientiam intelligit, ex qua, fidem publice constanterque prædicantes Corinthij, sanctorum necessitatibus, candido, magnoque animo didicerant occurrere, & ad Dei gloriam prædicandam, multisque hac ratione prouocatis, credentium procliues voluntates, sibi arctissime deuinxerant; Et quia ordinis diuini dona hæc erant, non humanæ facultatis, quæ gratiæ diuinæ beneficio duntaxat nitebantur, prædicatione tamen sua interposita, & suffragante, Dei singularem beneficentiam arguebant; quod, nempe homines tantis charismatis & muneribus cumulare sæpe soleat Deus, quæ nec verbis explicari, nec cogitatione comprehendi, nec vlla grati animi vicissitudine compensari, facile à quoquam possint.

Sunt enim minora hominum consilia & cogitationes, quam vt hoc tantorum donorum pondus, queat æstimare. *Cum* enim *non scimus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo sit*, tum demum eius nomini, laudis assiduæ con-

confeſſio purè debetur, cum eiuſmodi donis cœleſtibus, exiguos, & parui ponderis mortalium conatus iuuatq́;, promouetq́;, quibus extenſa illius incomparabilis gloria, Chriſtiq́; ſimul nomine propagato, noſtram facilius operari ſalutem poſſimus. Sic diuinæ virtutis operibus conſideratis, beneficijſq́; vterq; Tobias cumulatus, Raphaëlis Angeli hortatu, *benedicebant Deum cœli, coram omnibus viuentibus, quia ſecum feciſſet miſericordiam ſuam.*

CAPVT X.

Ipſe autem ego Paulus, obſecro vos, per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem, humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis.

Conſtantis viri, & authoritatem præ ſe ferentis Doctoris, ſibiq́; bene conſcij hominis, hic eſt ſermo, quo, ſe falſis obtrectatorum calumnijs, minimè fractum, aut commotum oſtendens, animosè pergit, cõtemptis inuidorum machinationibus, cœptum Euangelij curſum proſequi: Magnam ſiquidem euocatio hæc, quæ geminato pronomine, & Pauli proprio nomine adiuncto, enuntiatur, ad luculentam cordati animi teſtificationem, energiam habet. Licet enim, ipſos Apoſtolos, & veros Chriſti cultores, non minus in vita & moribus, quam in conuerſatione, ſermoneque mentis ſumma animi demiſſio ſemper deceat, non tamen eos vilis & abiecta decet humilitas, vbi maximè exiſtimationis & famæ ratio, in controuerſiam reuocatur.

Ideo in omnibus suis actionibus, ea moderatione ordine, decentia, maturitate, grauitate vtebatur, vt nihil iure posset in eo reprehendi, si ea spectentur, quæ tam personis congruunt, quam rebus conueniunt: Hinc est, quod ad Galatas, cap. 5. inter fructus spiritus, post charitatem, *mansuetudinem* commendat, & ad Collos. cap. 3. *Induite vos,* ait, *sicut electos Dei, sanctos & dilectos, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Facies,* in scriptura, externam & apparentem speciem significat, Hinc nolite secundũ *faciem,* hoc est, aspectum & visionem iudicare, ait Dominus. *Facies;* enim est, quæ videtur, propterea iudicare secundum faciem, & aspectum, & in acceptione personæ, idem sunt, quando scilicet, id in causa à iudice consideratur, quod ad causæ iustitiam, & æquitatem non pertinet: Ideo prohibet Ecclesiasticus, c. 11. Non laudes virum in specie sua, neq; spernas hominẽ, in visu suo: Neq; enim, qui viles mundo apparent; Dei conspectui, viles semper sunt, & abiecti: sicut Paulus, qui licet esset abiectus mundo, non tamen repulsus erat à tertio cœlo, & tametsi crucifixus erat mundo, minimè tamen Deo ter maximo.

Modus quem in agendo & conuersando seruabat Apostolus.

Rogo autẽ vos, ne præsens audeã per eã cõfidẽtiã, qua existimor audere, in quosdã q̃ arbitrantur nos tanquam secundum carnẽ ambulemus.

Occasione, ex pernicioso aduersariorũ iudicio, accepta, ad vitæ bonitatem & continentiã, Corinthios prouocat, hoc sensu: Non solum peto, æqui vt sitis æstimatores; sed ita vos cõponatis, & geratis, obtestor; ne p̃sens ea cogar vti potestate, & in vos austeritate,

ne existeret, vigore tamen spiritus, facta carnis, virtutis studio, mortificabat. Nam, *qui in carne sunt*, ait in ea, quam Romanis scripsit, *Deo placere non possunt*, *Si autem secundum carnem vixeritis*, ait, *moriemini*. *Prudentia siquidem carnis*, nihil aliud est, quàm singularis cura & solicitudo ea prouidendi, quæ carni sunt commoda, suauia, & vtilia, neglecta interim cura & solicitudine eorum, quæ ad spiritum pertinent.

Mortem autem, carnis prudentia generat, quia Deo, qui solus vita est, & vitam donat, est inimica; quod eius legi non congruat, nec eidem possit, dum talis est, congruere. Neq; enim fieri potest, vt iniquitas, cum æquitate concordet, quamuis fieri possit, vt homo, Dei gratia adiuuante, deposita hac carnis prudentia, quæ spiritus, gustare & prouocare incipiat, & sic carnis trabea obtectus, carnis motibus compressis, spiritualibus armis vti incipiat.

Dicit verò Apostolus, nec vindictæ impulsu, nec arrogantiæ fastu, nec auaritiæ cupiditate, eorum more, qui carnis affectibus feruntur, se aduersus Corinthios, quicquam insolentius tentasse, *quia nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus*; ergò multò minus carnalibus. Verbo *militamus*, congruè vsus est, quo magis assiduam spiritus, contra carnem, pugnam exprimeret, quemadmodum expressit Iob cap. septimo 2 Tim. 2.

Militia est vita hominis super terram. Et: *cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.*

Nam arma militiæ nostræ non carnialia sunt sed potentia, Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.

Quali animaduersione vsus fuerit Paulus, in delinquentes, declarat, dicens; se non armis secularibus vsum, sicut vtuntur filij hominum, quorum *dentes sunt arma & sagittæ, linguaq́ eorum, gladius acutus*; sed spiritualibus, quæ *potentia Deo* sunt, hoc est, quibus DEI virtus, maximè hominibus innotescit.

Nam per virtutem diuinam sibi assistentem, dantem scientiam & constantiam, spiritumq́; ad loquendum, & gratiam miraculorum, ad confirmandos sermones, totum mundum subiecerunt Apostoli: His n. nudis præsidijs, & consilijs, Apostolorum potentia & virtutes nitebantur, ad Dei gloriam magis, magisque extendendam. Quemadmodum videtur Zacharias prædixisse, cap. 9. *Saluabit eos Dominus*, inq̄t, *in die illa, vt gregē populi sui*; vel vt 70. verterūt: *Saluabit eos, q̄ sūt popul⁹ eius, sicut oues pastor:* quib⁹ tacite docet, Apostolos, xp̄iq́; discipulos, nō armis carnalibus, sed verbo Dei, & insigni mansuetudine, ac patientia fore pugnaturos, cum eos ouibus assimulat, q̄b⁹ multa pericula, à bestijs imīnent: Quo nomine, & ipse Seruator Matth. 10. eosdē Apostolos compellans; *Ecce ego mitto vos*, aitq́, *sicut oues in medio luporum.*

Apostoli instar ouium, inter lupos in mundo versabantur, summa vtentes mansuetudine atque fidei hostes.

Oues enim vocantur Apostoli, non solùm, quia innocentes, & serui Dei erant, sed multò maximè, quia inermes, quia ab omnibus humanis præsidijs imparati, ad prædicandum Euangelium, missi, prohibebātur virgam secum sumere, vel peram, vel viaticum. Virgam quidem in diuturna peregrinatione sua, sed tanquam

quam pauperes, & non, ad sui, contra lupos, qui Euangelio repugnaturi erant, defensionem, sed sicut Iacob Genes. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum*, id est, pauper nihil habens, nisi baculum in manu mea, more mendici, ad corporis sustentationem. Vndè, quod psal. 43. scriptum est, de Apostolis esse dictum, affirmat Apostolus; *AEstimati sumus, sicut oues occisionis*, hoc est, adeo infirmi & iniurijs expositi sumus, vt quicunque velit, possit nos occidere, non aliter, ac oues, à lupis, edita strage, possunt sine vllo impedimento, strãgulari.

Et omnem altitudinem extollentem se, aduersus scientiam Dei.

Ostendit, in quem vsum, spiritualibus armis muniti fuerint Apostoli, & qua ratione, vires suas ac robur iam exerceant. Militamus, ait, non vt opes, per auaritiam; non vt honores per ambitionem, nõ vt carnis delicias, per voluptatem comparemus, neq; telum, siue vllum armorum, ac machinarum genus, ad ciuitatum expugnationes adhibemus, sed diuina virtute, spiritus sancti suggestione & auxilio erecti, huius mũdi machinamenta conamur destruere: quibus tum Philosophi, tum falsi Prophetæ, tum Sectarij, qui diaboli, & propriæ suæ malitiæ suggestione adducti, se hominum magistros & doctores vltrò venditant Christi salutarem doctrinam euertere conantur.

Quibus armis sunt vsi Apostoli in conuertendis hõibus.

Consilia nefariorum hominum impia, veritatis hostes, sanę doctrinę aduersarios, verę religionis euersores; hos tan q̃ fures & latrones insectamur, oppugnamus & opprimere nitimur, vt q, ꝑ ostiũ, id est per verã in

in Christum fidem, non modo nolunt ingredi in ouile ouium, hoc est, in Dei Ecclesiam, & postea in cœlũ, sed fraude, omni astu, & dolo, ingredi volentes homines, prohibent & impediunt. Cum enim *nullum aliud sit nomen datum hominibus, in quo salutem consequi debeant*, tum qui de Christo, non rectè sentiunt, ingressu ab Ecclesia, & regno cœlorum, spiritualibus armis arcendi sunt: Tales sunt huius temporis Sectarij, & ceruicosi homines, *qui in reprobum sensum traditi*, suis captiunculis, syllogismis, & humanis rationibus, ait Theophylactus, agnitam veritatem oppugnare non cessãt. Quorum impios conatus, *altitudinẽ*, hoc loco appellat, *extollentẽ se aduersus scientiã Dei*, (reuelatã scilicet) & quæ à Deo, per Ecclesiã, oĩbus credenda est proposita.

Doctrinæ fidei ratio. Sicut n. Dei iustitia alibi vocatur, quam Deus infundit, ita Dei scientia appellatur, quã ipse reuelauit: Nititur enim fidei doctrina, reuelatione diuina; ad cuius normam, aliarum scientiarum conclusiones, exigi oportere, hic innuit noster Apostolus, qui ad ministri Euangelici munus & officium spectare, de alijs scientijs iudicare, sæpius inculcat. Licet enim naturale lumen de omnibus scientijs, iudicium ferat, excellentiori tamen modo, id fidei doctrina, siue vera Theologia sibi vsurpat: Quam plurimos errores, & à veritate alienam de rebus diuinis & humanis Philosophiam prodere videmus, quæ verisimiliter alioqui simplicioribus, veræ scientiæ poterat nomen sortiri: Id quod præcipuè planum fit, in mysterij SS. Trinitatis, Incarnationis explanatione. Et quis, veterum Philosophorum, Philosophiam & sapientiam, grauissimis erroribus plenam fuisse, ante Christi, & fidei doctrinam mortalibus traditam, ignorat?

Theologia præstantia.

rat? cuius beneficio longè perfectiora sunt omnia humanarum scientiarum placita effecta, quod non solũ SS. Patres & Doctores declarant, sed & ipse Christus docuit, cum Apostolos, vocauit suos amicos, propterea, quod ijsdem ea arcana, oracula, & abdita diuinæ scientiæ consilia reuelasset, quæ in sinu sui patris ipse viderat. Neq; enim quisquam est, qui ipsam fidem etiam veterum patrum, redditam fuisse illustriorem nesciat, quod huius Commentarij non est ostendere.

Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.

Alium vsum explicat Apostolus, armorum spiritualium, nempe mancipationem intelligentiæ hominum credentium: eos scilicet in Christi obsequium adducendo, *vt loquentibus sapientiam in mysterio*, pertinaciter non repugnent, ne excęcationis malum mereantur incurrere. Hinc cap. 1. eius epistolæ, quâm Romanis scripsit, dicit Apostolus, *se gratiam & Apostolatum accepisse ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Est autem obedire, credere, eo quod non curiosis ratiocinationibus, sed simplici obedientia, & tacita auscultatione fides debeat recipi. In qua significatione, hoc loco, *intellectum captiuare*, est *in obsequium fidei*, pio quodam affectu, quasi eum cogere, vt ijs assensum pbeat; quæ, cum ratione, quodammodo pugnare videntur. 1. Corin. 1.

Cum n. nulla sit persuasio, quæ cogere hõiem possit, ad credendos articulos supernaturales, ac ne ipsa quidem signa & prodigia, mentem omninò queant conuincere; ideô voluntatis procliuitas quędam, & inclinatio necessaria est, quæ moueat intellectum, ad

assentiendum ijs, quæ intelligentiam superant. Quibusuis autem editis miraculis, ad fidem cogi aliquem non posse, si is nolit credere, satis apertè indicat illud Ioan. cap. 12. *Cum tanta signa fecisset, non credebant in eũ. Intrare enim*, vt ait S. Augustinus, tract. 36. in eundem, Ioannem, *quisquam in Ecclesiam potest nolens, credere non potest, nisi volens. Cum enim fides*, vt author est Basili⁹, Homil. in psal. 115. *non per rationales methodos, nec per Geometricas necessitates, eum ad assensum trahat, sed per actionem voluntatis* (neq; enim ex demonstrationibus, aut probationibus necessarijs, fides procedit) *nisi volũtas accedens adiuuet, assentiri intellectus non potest.* Quod etiam ipsa voluntas præstare nequit, nisi à Deo adiuta. Qua ratione fit, vt fides sit meritoria, quia libertate non priuatur, cui dum credit, hominis voluntas innititur. Captiuat enim intellectum voluntas, quia inducit, vt credat ea, quorum non habet necessariam ꝓbationem.

Fides primum voluntatis motum & affectũ prærequirit.

Quod, cum ita sit, facilè quiuis intelliget, vitia voluntatis, & animi affectus, plurimum contra fidem posse, quia liberum voluntatis motum, facilè auertũt à pia affectione, ne captiuam ducat intelligentiam. Idcirco qñ vitia & passiones contrariæ sunt ijs, quæ fidei sunt, impediunt ad recipiendam fidem, & ad deserendam receptam inducunt; quemadmodum varijs exéplis probant SS. Patres, vt August. qui lib 21. de Ciuit. Dei c. 18. nonnullos dicit æternitatem pœnarum inferni negasse, vt suis perditis moribus, hanc sibi pollicerentur impunitatem. Ambrosius l. 1. de pœnitentia. c. 15. Nouatianũ amissi Episcopatus dolore, ab Ecclesia dicit defecisse. Sic Chrys. hom. 7. in Ioann. Paulũ Samosatenum amore fœminæ cuiusdam, apostatasse à fide

Vitia ad amissionem & desertionem veræ fidei plurimum valent.

à fide comemorat, q nostri temporis hereticis euenisse nemo nescit; salaces autem Lutherani id pbè norũt, & ad defectioné à vera religione multos solicitare non desinunt.

Et in prõptu habẽtes vlcisci oẽm inobedientiã cum impleta fuerit vestra obedientia.

Exponit tertiá armorũ spiritualium vtilitaté, nempe quod in próptu, *siue* ad manum, semp habeat potestatem sum̃am, in ciues Christianos, in refractarios, & inobedientes, seuerius animaduertendi, impiorũ q nomen xp̃o dederunt, & sc̃m xp̃i Ecclesiæ, maiorumq; leges minimè viuunt, scelera vindicandi. Magnum siqdem habebant Apostoli cum xp̃o, in officio sibi tradito similitudinem, q a sicut pater cœlestis, non merum & nudum annunciatiorem, siue prædicatorem, suum in mundum miserat filium, sed cũ potestate spiritnali & authoritate sum̃a, summum pastoré: ita Apostolos, non verbi duntaxat Euangelici præcones & nuntios, sed & rectores, & gubernatores in spiritalibus, & iis oĩbus, q̃ ad saluté eternã spectant, mittebat, tan q̃ veros pastores, q tũ legibus, populos regerét, tũ supplicia de p̃uaricatoribus sumerent, quẽadmodum re ipsa Apostolorũ princeps docuit. q Ananiã, & Sapphyrã morte multauit.

Item Paulus, incœstuosũ Corinthium tradendo Sathanæ, & Elymã magum pcutiendo cœcitate. Huius potestatis, meminit Apostolus, Act. 20. *In quo spiritus S.* ait, *posuit vos regere Ecclesiam Dei.* Quod enim à patre filius naturalis, & æternus DEVS, homo factus suscepit, hoc idem suis communicauit, certo quodam modo, discipulis, vt salutis æternæ veri dicerent,

Actor. 5.

Magna potestas à Christo Apostolis & eorũ successorib. tradita

 essent

essent & ministri, qui Ecclesiã sanis dogmatibus, & vera doctrina tuerentur, eosq; suppliciorum metu arcerent, qui sectas inuehere, & pernitiosos errores serere, & turpioris vitæ exemplo, alijs offendicula afferre cogitassent: Quod Pauli tempore, Pseudo Apostoli dissimulabant, ꝑ assentationem & adulationem delinquentium sibi gratiam parantes. Ideo adiungit, cum impleta fuerit vestra obedientia; quasi si diceret; modò vos planè obediatis. Nam aduersus impostores & sectarios, fideiq; apostatas, hunc armorum spiritualiũ vsum expressit; Quib⁹ tñ ad tempus, ait se parcere, ne aduersus simpliciores Corinthios, illorum seductione facti inobedientes, vna animaduertere cogatur; maioris n. boni gratia, quædam Ecclesia sæpe dissimulat, ne disciplinę, & ęquitatis seueritate, seruata etiam iustitia, impiorum nefaria consilia, & flagitiosi conatus recrudescant, publicam pacem turbent, & Ecclesiæ trãquillitati insidias, qua sunt crudeli vafricie tendant, quod Caluini virosa progenies passim testatum facit.

Moderatio in Ecclesia seruari consueta.

Quæ secundum faciem sunt, videte.

Vox Græca βλέπετε indifferens est, ad *videtis* & *videte*. Qui *videtis* legendum putant, per interrogationẽ exponunt: quasi quæratur ex Corinthijs, an externã duntaxat hominis personam, hoc est, quæ in oculis & conspectu sunt, considerent, in eoq; imitentur, qui cõtempto hõi similẽ, iuxta faciẽ, cultum & corporis habitum, habebant Paulum, cùm ipsi interim plenis buccis, se, per superbiam, Christi iactarent Apostolos, qui tamen nihil minus, quàm tales erant, cùm nec vita, nec moribus, nec admirandæ virtutis operibus, se tales esse probarent. Sicut Paulus, qui non tàm arrogania,

gantia, quã signorum efficacia, vitæq; probitate, muneris sui dignitatem commonstrabat.

Qui legunt *videte*, sicut Theophylactus, ironicam reprehẽsionẽ, hoc verbum implicare arbitrantur, quasi diceret Apostolus: Perpendite, nunc tantùm, me secundum externam personam, abiectum, nempe ex opibus, cultu, fastuuè, quę natura, fortunaq; suppeditãt, non internam virtutem & potestatem, aut potius interna animi bona, quæ sunt ex Deo. In quo, non rectè (subaudit) iudicatis, quemadmodum probat.

Si quis confidit sibi, Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

Iactabant Pseudo Apostoli, se ad Christum ptinerę, qui ipsis fuisset visus in carne, q Apostolo non cõtigerat: Item se Paulo, tẽpore priores, fidem suscepisse: Apostolo deniq; duplicitatem animi imponebãt; quasi minus candidè constanterq;, & amicè cum Corinthijs egisset, aliud stans, aliud sedens iudicando, aliter scribendo, aliter dicendo, demùm aliter se erga eosdem gerendo: Quibus, sine stomacho, & absq; obiurgatione vlla, respondet: quod, etsi ob adductas rationes, se Christi ministros esse comprobent, nihilo tamen minus, se, illis esse superiorem, & illis venire in mentem debere, q sicut illi se seruos Christi esse existimant, ita & se, pro Christo legatione fungi, id est, sibi de se licere affirmare, quod illi falsò & arroganter sibi tribuebãt, nullis interim argumentis verisimilioribus adductis, quibus commissam sibi à Christo potestatem affirmarent.

Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.

Mira Pauli cōstantia contra Sectarios.

Res suas prçclarè gestas, cuiuis (modestè tamen, rectâ intentione, & inani arrogantia remota) cōmemorare licet; vbi necessitas id exegerit. Quare, cùm muneris Apostolici, quo Paulus fungebatur, dignitatem, in dubium reuocatam, calumniarentur pseudoapostoli, eandem vindicare coactus Apostolus, ritè sibi eam obtigisse, bene administrasse, ornasseq; pro æquitate, atq; adeo multis inditijs comprobasse, ait, nec non ea, sibi à Christo legitimæ potestatis concessæ, producere se argumenta, facta & monumenta commemorare posse insinuat; ita vt confusionem, ex eorum audaciori narratione, nullam metuat, cum veritati, adductis passim testimonijs, ea esse consentanea, possit constare. Quasi, nec mendacij, nec fraudis, nec doli mali possit à quoquam reprehendi, cum factorum euidentia sit ob oculos posita, vt qui talis erat facto, qualis verbo, siue vocationis à Christo, cuius mentio fit Act. 9. & segregationis ad prædicandum, Act. 13. Paulo concessorum donorum linguarum, & gratiæ miraculorum mentionem hic fieri SS. Patres arbitrantur.

Huius verò potestatis scopum, esse dicit Apostolus, hoc loco, publicam Corinthiorum salutem, non perditionem aut interitum, pacem & tranquillitatem animorum, non discordiam. Cum enim *potestas non sit, nisi a Deo, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, principesq; imperant, & potentes, decernunt iusti-*

tiam

tiam, tum sibi desuper tradita potestate, legitimè vti, eamq; ad legis diuinæ normam, se gloriatur exercere Apostolus, vt homines pietatem, religionem, fidem, charitatem, & summam erga Deum obedientiam doceat, quibus æterna felicitas, ad bene beateq; viuédum, comparatur. Hanc autem Ecclesiæ prępositi & antistites, de rebus spiritualibus & negotijs Ecclesiasticis, constituendi potestatem, à Deo acceperunt; cui etiam seculares, non modo priuati, sed etiam principes & magistratus ciuiles, morem gerere coguntur, non solum ob vindictæ & supplicij metum, sed etiam, ne eorum conscientia, inobedientiæ peccato polluatur, reaq; fiat apud Deum, & ne conscij sibi admissi criminis, subinde angantur animo & crucientur, quemadmodum cap. 13 eius quæ est ad Roman. scribit Apostolus dicens: *Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit, qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, ideo necessitate*, ait, *subditi estote, non modò propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Nam, sicut ad bonum temporale fidelium procurandum, necesse fuit, alios alijs esse subiectos, vt sic, ordinatius omnia gererentur, ita etiam, ad bonum spirituale animarum: quandoquidem in hoc genere, non est minus periculi & difficultatis. Tanta enim est ordinis rerum spiritualium & temporalium diuersitas, vt quæ, ad eos ordines pertinent, per vnius ordinis potestatem, administrari non possint: quemadmodum dicit Apostolus, *neminem DEO militantem implicare se negotijs secularibus.* Ideo, quicquid contra mentiatur Caluinus, adeò diligenter monet Hebræos Paulus, *vt præpositis suis obediãt, eisq; subiaceãt. Ipsi n.* inq̃t, *perurgi-*

Necessitas & spirit. & secularis magistratus licet maximum inter vtrumq; sit discrimen.

peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cũ gaudio hoc faciant, *non gementes,* hoc n. non expedit vobis. *Qui,* autem, vt est apud Oseam, cap. 8. *regnauerunt, sed non ex me,* (Deo) *principes extiterunt, & non cognoui,* (ego Deus) hi sunt, qui in destructionem accepêre potestatem, quales sunt, qui nec recta ratione, nec via legitima, sed per ambitionem & largitiones, vel etiam per violentiam, potestatem consecuti, subditis per improbitatem sunt offendiculo, & non secundum leges, aut iura, tàm diuina, quàm humana, potestate vtuntur, sed ad suam libidinem, compendium, vtilitatemq; omnia vsurpant.

De quibus Amos cap. 6. scriptum est: *Nunquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornu?* Sicut enim, alia peccata, ita, & tyraños punit & malos principes ac prælatos permittit Deus in vindictam scelerum populi, secundum illud Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Et Ose. 13. *Dedi eis regẽ in ira mea.*

Vt autem non existimer, tanquam terrere vos per epistolas (quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt, & fortes: præsentia autẽ corporis infirma, & sermo eius contemptibilis) hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo, per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.

Longè falli dicit suos opinione aduersarios: qui de sua in agendo & loquendo leuitate, seueritateq; perperam iudicant, quasi coràm, abiectum & con-

temptum se exhibeat, absens verò sibi, quam nescio austeram authoritatem vendicet, & potentiam ostentet, minas horribiles per epistolas, interponendo. Secus autem se facturum, si ita opus fuerit, minatur, vt omnes intelligant, aliũ se, tam præsentem factis, quam absentem verbis, non fuisse. His, quæ de sui contemptione percenset, hoc loco Apostolus, freti vetustissimi patres, in eam venère sententiam, vt dicerent, haud grandiori eum fuisse staturá. Vnde Chrysostomus, *qui tricubitalis est, cælum attingit.* In quem sensum, D. Baronius, Thiephonem, Critiam Cathecumenum instituentem, apud Lucianum, sic loquentem, in medium adducit. *Quando enim me Galilæus ille conuenit, recaluaster, naso aquilino, qui tertium vsque ad cælum per aërem, ingressus est, quæque optima & pulcherrima sunt, inde didicit, per aquas nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus, nos redemit..*

Quẽ equidẽ his coloribus (ait Baronius) atque notis, non alium, quãPaulũ descripsisse, oẽs credimus, nã aliquem aliorum Apostolorum, vel aliorum Christianorum, tertium cœlum consendisse nouimus neminem. His omnibus cõsentiunt ea, quæ demum à Nicephoro, his verbis narrantur: Paulus autem corpore erat paruo, & contracto, atque incuruo, & paululũ inflexo, facie candida, annosque plures præseferente, & capite modico. Oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant, nasus pulchrè inflexus, idemque longior, barba densior, & satis promissa, eaque non minus, quam capitis coma, canis consperssa erat. Dicit itaque præsentis sermonem, eiusmodi futurum, quales fuerunt Epistolę, ne nimia animi demissio, Doctoris & pręlati authoritatẽ frangant, extenuent, aut deforment

 non

Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commẽdant: sed ipsi in nobis nosmet ipsos metientes & comparantes nosmetipsos nobis.

Voce *inserere*, pro *sustinere, adiungere, ingerere* vsurpatâ, secundum Græcos, tacitè culpat Pseudoapostolos, qui legationis suę limites, per auaritiã, & ambitionem transgressi, aliorum inuadere nitebantur potestatem; suam, in alienas messes falcem mittentes, Quasi proximè dictæ, hanc præsentem sententiam coniungẽs, dicat Apostolus; quod ipse talis sit futurus in facto, qualis fuerat in verbo; eiusmodi non sunt, inquit, ij, qui se vltro ingerunt, aliquam potestatem vsurpantes, & sibi sumentes honorem, ad quem tamen vocati non sunt à Deo, tanquam Aaron; Nõ enim audemus nos, in illorum familiam cooptare, aut cum illis, qui maxima quæq; sibi pollicent̃, & seipsos magnificè passim apud alios iactant conferre: Vel, vt alij dicunt; non audemus illis, nos similes facere, qui sibi blandientes, aliisq; placere cupientes, se commendant, atq; aliis omnibus pręferunt, non intelligentes, quod præcipitata audacia plus audeat, quàm possit: Sed ipsi, in nobis nosmetipsos metientes, metimur nos nostro pede, & comparamus nosmetipsos nobis, non aliis.

Non quod Apostolus ea esset timiditate, vt se, cum talibus non auderet comparare; quasi ab ijs doctrina & virtute excederetur; sed absque pudore & verecundia, in eorum societatem adiungi se non posse dicebat, qui semetipsos, sine vllo Dei testimonio

nio

nio, summa verò temeritate iactabant apud alios, existimantes nullum hominem se superiorem esse, vel æqualem: non intelligentes eâ ipsâ suâ arrogantiâ, ab hominibus se videri potius, quàm prædicari. Ideò fideles hortatur Apostolus, *vt opus, suum vnusquisque probet; quod sic in semetipso gloriam sit habiturus, & non in altero.* Gal. 6.

Nos autem non in immensum gloriabimur: sed secundum mensuram regulæ, qua mẽsus est nobis Deus mensura pertingendi vsq; ad nos.

Dixit hactenus, quod Pseudoapostoli, per ea seipsos, sibi ipsis comparentes, se tales esse reputabant, quales se esse affectassent, & quod, ad illud se extendebant, ad quod secundum veram regulam religionis, pertingere non poterant, volentes videri, quod reuera non erant: Contra, ait Apostolus, nosmetipsos non ex opinione & laude aliorum, sed nostris virtutibus, meritis, ac potestate à Christo traditis, nos metimur, non aliis æquari quærentes, aut præferri, sed nosmet, inter nos conferentes.

Neq; verò vltra modum gloriabimur, nos omnes regiones orbis Euangelium prædicando, esse peruagatos, quasi supra mensuram datam nobis à, Deo nostræ potestatis limites excesserimus, in Ecclesiæ plantatione, & Euangelij disseminādo semine; sed, ex hoc gloriam captabimus, quod ad vos vsq; puenerimus; gloriā inquā nostrā, super id, q, par est, nō extendendo, tanq̄ ad vos ipsi non peruenerimus (peruenimus siquidem ad vos, Euangelium Christi prædicantes, & nequaquam ex alienis laboribus im̄ensam captantes gloriā) sed & de conuersione vestri ad prædicantionē nostrā,

qua vos in Domino filios genuimus, & de spe profectus vestri in fide Christi, non parum nostri magnificatos speramus, & in cælo, & in terra.

Spem autem habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificari, secundum regulam nostram in abundantiam: etiam in illa, quæ vltra vos sunt Euangelizare.

Ex fœlicibus initijs Corinthiorum, sperabat Apostolus incredibilem, etiam in ijs regionibus, ad quas celebris fidei fama nondum peruenerat, Christianæ doctrinæ certam extensionem, Ex qua, maior, celebrior, & notior fieret illi⁹ prædicationis labos, & officium. Hocque, secundum mensuram, sibi à Deo datam: non solum in ijs, quæ iam fecerat inter illos; sed etiam in illis, quæ adhuc sperabat, se in alijs populis Euangelizando, confecturum, propter odorem fructuum, quos in Corinthijs habuerat, quorum pietas, iustitia, fides, maxima, non modò sumebant incrementa, sed & ad alios mirũ in modum se dilatata porrigebãt. Idq;, iuxta suam regulam, non alienam, ait, ne gloriam videatur quærere, de his, quæ iam sunt ab alijs erecta, elaborata, & coli cæpta prædicatoribus; quemadmodum faciebant Pseudoapostoli; Gloriæ namq; suæ spem, & cumulũ nõ, in earum gentium conuersione reponebat Paulus, quæ ab aliis Apostolis, antea fuissent, vel ad credendum dispositæ, vel quę suscepto verbi iam semine, ad ferendam Euangelicam frugem, & messem producendam, iam fuissent per prædicationem aliorum pręparatæ: Ita enim Romanis scribebat: *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum funda-*

fundamentum ædificaremus, sed sicut scriptum est: quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. *Esaia. 52.* Ea verò accuratius, ideò Corinthiis inculcãtur ab Apostolo, vt suam in eos authoritatem vindicãs, Corinthij, se Pseudoapostolis nihil debere intelligerent, vt à quibus, nihil minus, quàm per Euangelium, fuissent geniti: sed potius seducti, ni Paulus cooperãte Deo, maturè succurrisset: Suos enim, vt patres, reputabant filios Apostoli, quos primi, verbo & exemplo, ad fidem Christi conuertissent. Vnde factum est, vt earum regionum Apostoli, postea patroni, & quasi tutelares dij vocarentur ab ijs populis, quorũ maiores, siue parẽtes, Christo lucrifecissent; Sicut postea, martyres, & Pontifices, idem sibi nomen, ab eodem officio, labore, & industria compararunt, cum certas Diocæses, certis limitibus, & terminis finierunt, quas Episcopatuum nomine appellauerunt, extra quos, ius spirituale dicere, sacramẽta administrare, Ecclesiastico gladio vti, non ausi fuissent, sicut hic nr̃ę diocæseos patronus est S. Willibald⁹: huius ciuitatis Ingolstadiensis S. Maria, & S. Mauricius.

Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

Sensus est; qui nominis claritatem, in hoc mundo quęrit, magnopẽ ante oĩa diligẽter exquirat, an Dei scientiam veram habeat, scientiam autem Dei, is, scripturæ phrasi, habere dicitur, qui bona opera, cum Dei cognitione coniungit, qui scilicet Deum nouit simul & amat.

Ideo ait Hieronym. cap. 9. *Non glorietur sapiens in* *Hose. 4.*

 sapien-

In scientia Dei, quærēda gloria vera. *sapientia sua, &c. sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosce me.* Quod ipsum, cap. 31. repetit, quemadmodum notauit Apostolus, ad Hæbr. cap. 8. *Et non docebit vir vltra proximum suum, dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum, ait Dominus.* Vnde Ioan. 1. Epist. cap. 2. *Qui dicit se nosce Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Alio modo, dicuntur alij in Domino gloriari, qui, quicquid habent, Domino acceptum reuerenter referunt, *à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum;* Qua ratione, hoc loco, iubet in Domino Corinthios gloriari Apostolus. In qua significatione; qui, ex impietatis, in iustitiæ statum transferuntur, in Domino dicuntur gloriari; quia, Deus ob id potissimum ab hominibus glorificatur, quod peccatorum vsuris oppressos, & æternæ vindictæ obnoxios, sola bonitate & misericordia sua, gratis condonans eis peccata, sibi reconciliet, faciatque amicos & filios suos, & insuper æternæ vitæ hæredes. Vbi sciendum, *gloriæ* nomen, in sacris litris, id significare, quod in vnaquaque re, maximè commendatur, & eam rem clarificās, facit summè spectabilem. Vnde, ignis ille tonitrua, & fulgura, miraque alia, quæ apparuerunt in monte Synai, cum Deus daret legem Moysi, appellātur, *gloria Dei,* quod res illa, Dei præsentiam, & maiestatem maximè gloriosam, id est, admirabilem, venerabilem, atque formidabilem facerent: Similiter igitur, quoniam peccatorum remissio, hominis iustificatio, bonorum operum fructus, mandatorum obseruantia, maximè commendant, & clarificant bonitatem & misericordiam

Iacob. 1. S. Thom. in hūc locum.

Dei

Dei, quæ id præstat, appellãtur gloria Dei; quemadmodum cap. 3. eius, quæ Romanis scripta est, loquitur Apostolus; *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Ex eo ergò, quod quispiam Deum, per gratiam possidet, gloriari hominem iubet Apostolus, à quo totum id proficiscitur bonum, quod sibi vendicat. Inde 1. Corinth. cap. 4. dicitur. *Quis te discernit? Quid enim habes, quod non accepisti?* Quasi dicat: Quis te clarum & præstantem facit, neque te tu; nec homo quispiam; sed quod habes, Dei dono collatum possides, ideò tibi in Deo gloriandum est.

Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est.

Cum, ex se, tanquam ex se, nihil dignum commendatione, apud Deum, homo præstare possit, (*neque enim est volentis aut currentis, sed miserentis Dei*) ideò, quantumcumque de rebus se suis quisque iactet, ex sua venditatione, suique commendatione, nihil adipisci laudis, apud Deum, potest: Nam bonorum omnium fons & origo Deus est, eiusque gratia, totam humanarum actionum bonitatem sibi vendicat, cùm ex seipsis, nihil vel laude, vel mercede dignum effectui mandare vires humanæ possint, nisi diuinis auxiliis inprimis nitantur. Christi siquidem vox est: *Sine me nihil potestis facere*: Et D. Pauli: *Plus aliis laboraui, non ego, sed gratia Dei mecũ.* Ideo dicitur alibi de iusto Abrahamo: *Si ex operibus iustitia, adeptus est laudem sed non apud Deum, qui dum coronat merita nostra, coronat & laudat*, iuxta Augustinum, *Dona gratiæ*, quasi viribus & meritis nostris

nostris eodem dona, tam laudem ipsam, quam valorem præbeant.

Sed quem Deus commendat.

Ille dicitur seipsum commendare, qui gloriam suam quærens, ab hominibus, per ambitionem, ex rebus à se gestis, petit commendari. Cuiusmodi sunt, qui sua dicta, aut facta non aliquo argumento, aut probatione confirmant, multo minus certis inditiis ratiocinando, quæ dicunt, astruunt: Ideo dictum est, Prouerb. 27. cap. *Laudet te alienus; quia, laus in proprio ore sordescit*. Quo pacto, Dominus apud Ioannem, cap. 5. more hominũ de se, vt homo loquens, dicebat. *Si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum, non est verum*; Quasi diceret: Si testimoniũ perhibeo de memetipso, nec alio argumento, aut testimonio, quę affirmaui, probo, quàm his exterioribus verbis, quæ ꝓtuli, aut solis rationibus humanis, solaq; authoritate mea exteriori, quæ apparet: testimonium meum non est legitimum, nec dignum fide, nec verum reputandum, (quamuis reuera verum sit) at non sic est, quia diuinis argumentis vtor, nẽpe signis & opibus Dei. Propterea quẽ Deus comẽdat, omni comendatione, & laude maior censeri debet; Quia, Deꝰ cũ spiritus sit; spiritus autẽ, Dei profunda scrutetur, etiã quæ sunt hominis, videbit, rimabitur, penetrabit; ac, quæ recta, vel iniqua sunt, acutissimè dispiciet, cum nihil sit, quod eum, vel latere, vel fugere possit. Iure ergò, ab omnibus, probari eum debere affirmat Apostolus, quem Deus commendarit, vel comendatione dignum esse, nõ iudicarit modo, sed, cui sua dona, ad bene operandum impertierit. Neq; enim Apostolum intelligũt infœlices Lutherani, hominis vires, ad bene operandum

dum extenuantes, quaſi nihil poſſit Dei etiam gratia adiutus, deſignare, quod eum, Deo & hominibus verè commendet: Nam impuri ſunt Lutherani, qui præter menſtruatę pannum, in ore nihil habent, & cuius fœdę abominationi, iuſtorum quaſlibet actiones, ob fœditatem comparant, quiue quicquam, ab vllius mortalium voluntate præſtari poſſe inficiantur, quod Deus probet, vel ſibi acceptum, aut gratum eſſe declaret. Quid enim hoc eſt, quod apud Iſaiam, dicit: *Seruus meus es tu Iſraël, in te gloriabor*; Niſi forte, hominum peccata, Deũ glorificent. Quid hoc eſt, quod *recti corde, & iuſti* iubétur *in Domino lætari, & gloriari* niſi fortè in ſceleribus, & flagitijs? Cum enim Dei *oculis omnia ſint aperta, vt qui renes & corda ſcrutetur, & nihil ſit, quod eius oculis non pateat*: ideò toties in ſcriptura, *iuſtus iudex* vocatur, quod de quoquam ferre in vllam partem, non ſoleat ſententiam; cuius cauſam optimè non perſpectam antea habuerit. Homines quidem ab hominibus commendati, ſæpe gloriantur; ſed, quia falli poſſunt & fallere, (vt qui ea duntaxat conſiderent, quæ in facie apparent, nec cor, vti Deus, contueantur,) ſolidam in hominum cõmendatione, (quę ſępe ex affectu proficiſcitur) gloriam ponere mortales non debent, quemadmodum rectè monet Apoſtolus;

Iſai. 9.

Pſal. 31.

Nuda [illegible]

Nemo itaq; glorietur in hominibus.

1. Corinth.

peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cũ gaudio hoc faciant, *non gementes*, hoc n. non expedit vobis. *Qui*, autem, vt est apud Oseam, cap. 8. *regnauerunt, sed non ex me*, (Deo) *principes extiterunt, & non cognoui*, (ego Deus) hi sunt, qui in destructionem accepêre potestatem, quales sunt, qui nec recta ratione, nec via legitima, sed per ambitionem & largitiones, vel etiam per violentiam, potestatem consecuti, subditis per improbitatem sunt offendiculo, & non secundum leges, aut iura, tàm diuina, quàm humana, potestate vtuntur, sed ad suam libidinem, compendium, vtilitatemq; omnia vsurpant.

De quibus Amos cap. 6. scriptum est: *Nunquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornu?* Sicut enim, alia peccata, ita, & tyraños punit & malos principes ac prælatos permittit Deus in vindictam scelerum populi, secundum illud Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi*. Et Ose. 13. *Dedi eis regẽ in ira mea.*

Vt autem non existimer, tanquam terrere vos per epistolas (quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt, & fortes: præsentia autẽ corporis infirma, & sermo eius contemptibilis) hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo, per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.

Longè falli dicit suos opinione aduersarios: qui de sua in agendo & loquendo leuitate, seueritateq; perperam iudicant, quasi coràm, abiectum & contemptum

temptum se exhibeat, absens verò sibi, quam nescio austeram authoritatem vendicet, & potentiam ostentet, minas horribiles per epistolas, interponendo. Secus autem se facturum, si ita opus fuerit, minatur, vt omnes intelligant, aliũ se, tam præsentem factis, quam absentem verbis, non fuisse. His, quæ de sui contemptione percenset, hoc loco Apostolus, freti vetustissimi patres, in eam venère sententiam, vt dicerent, haud grandiori eum fuisse staturá. Vnde Chrysostomus, *qui tricubitalis est, cælum attingit.* In quem sensum, D. Baronius, Thiephonem, Critiam Cathecumenum instituentem, apud Lucianum, sic loquentem, in medium adducit. *Quando enim me Galilæus ille conuenit, recaluaster, naso aquilino, qui tertium vsque ad cælum per aërem, ingressus est, quæque optima & pulcherrima sunt, inde didicit, per aquas nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus, nos redemit.*

Quē equidē his coloribus (ait Baronius) atque notis, non alium, quā Paulū descripsisse, oēs credimus, nā aliquem aliorum Apostolorum, vel aliorum Christianorum, tertium cœlum consendisse nouimus neminem. His omnibus cōsentiunt ea, quæ demum à Nicephoro, his verbis narrantur: Paulus autem corpore erat paruo, & contracto, atque incuruo, & paululū inflexo, facie candida, annosque plures præseferente, & capite modico. Oculis multa inerat gratia, supercilia deorsumversus vergebant, nasus pulchrè inflexus, idemque longior, barba densior, & satis promissa, eaque non minus, quam capitis coma, canis consperssa erat. Dicit itaque præsentis sermonem, eiusmodi futurum, quales fuerunt Epistolę, ne nimia animi demissio, Doctoris & pręlati authoritatē frangant, extenuent, aut deforment

Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commēdant: sed ipsi in nobis nosmet ipsos metientes & comparantes nosmetipsos nobis.

Voce *inserere*, pro *sustinere, adiungere, ingerere* vsurpatâ, secundum Græcos, tacitè culpat Pseudoapostolos, qui legationis suę limites, per auaritiā, & ambitionem transgressi, aliorum inuadere nitebantur potestatem; suam, in alienas messes falcem mittentes, Quasi proximè dictæ, hanc præsentem sententiam coniungés, dicat Apostolus; quod ipse talis sit futurus in facto, qualis fuerat in verbo; eiusmodi non sunt, inquit, ij, qui se vltro ingerunt, aliquam potestatem vsurpantes, & sibi sumentes honorem, ad quem tamen vocati non sunt à Deo, tanquam Aaron; Nō enim audemus nos, in illorum familiam cooptare, aut cum illis, qui maxima quæq; sibi pollicent, & seipsos magnificè passim apud alios iactant conferre: Vel, vt alij dicunt; non audemus illis, nos similes facere, qui sibi blandientes, aliisq; placere cupientes, se commendant, atq; aliis omnibus pręferunt, non intelligentes, quod præcipitata audacia plus audeat, quàm possit: Sed ipsi, in nobis nosmetipsos metientes, metimur nos nostro pede, & comparamus nosmetipsos nobis, non aliis.

Non quod Apostolus ea esset timiditate, vt se, cum talibus non auderet comparare; quasi ab ijs doctrina & virtute excederetur; sed absque pudore & verecundia, in eorum societatem adiungi se non posse dicebat, qui semetipsos, sine vllo Dei testimonio

nio, summa verò temeritate iactabant apud alios, existimantes nullum hominem se superiorem esse, vel æqualem: non intelligentes eâ ipsâ suâ arrogantiâ, ab hominibus se videri potius, quàm prædicari. Ideò fideles hortatur Apostolus, *vt opus, suum vnusquisque probet; quod sic in semetipso gloriam sit habiturus, & non in altero.* Gal. 6.

Nos autem non in immensum gloriabimur: sed secundum mensuram regulæ, qua mẽsus est nobis Deus mensura pertingendi vsq; ad nos.

Dixit hactenus, quod Pseudoapostoli, per ea seipsos, sibi ipsis comparentes, se tales esse reputabant, quales se esse affectassent, & quod, ad illud se extendebant, ad quod secundum veram regulam religionis, pertingere non poterant, volentes videri, quod reuera non erant: Contra, ait Apostolus, nosmetipsos non ex opinione & laude aliorum, sed nostris virtutibus, meritis, ac potestate à Christo traditis, nos metimur, non aliis æquari quærentes, aut præferri, sed nosmet, inter nos conferentes.

Neq; verò vltra modum gloriabimur, nos omnes regiones orbis Euangelium prædicando, esse peruagatos, quasi supra mensuram datam nobis à Deo nostræ potestatis limites excesserimus, in Ecclesiæ plantatione, & Euangelij disseminãdo semine; sed, ex hoc gloriam captabimus, quod ad vos vsq; puenerimus; gloriã inquã nostrã, super id, q; par est, nõ extendendo, tanq̃ ad vos ipsi non peruenerimus (peruenimus siquidem ad vos, Euangelium Christi prædicantes, & nequaquam ex alienis laboribus im̃ensam captantes gloriã) sed & de conuersione vestri ad prædicantioné nostrã,

qua vos in Domino filios genuimus, & de ſpe profectus veſtri in fide Chriſti, non parum nosiri magnificatos ſperamus, & in cælo, & in terra.

Spem autem habentes creſcentis fidei veſtræ in vobis magnificari, ſecundum regulam noſtram in abundantiam: etiam in illa, quæ vltra vos ſunt Euangelizare.

Ex fœlicibus initijs Corinthiorum, ſperabat Apoſtolus incredibilem, etiam in ijs regionibus, ad quas celebris fidei fama nondum peruenerat, Chriſtianæ doctrinæ certam extenſionem, Ex qua, maior, celebrior, & notior fieret illi' prædicationis labos, & officium. Hocque, ſecundum menſuram, ſibi à Deo datam: non ſolum in ijs, quæ iam fecerat inter illos; ſed etiam in illis, quæ adhuc ſperabat, ſe in alijs populis Euangelizando, confecturum, propter odorem fructuum, quos in Corinthijs habuerat, quorum pietas, iuſtitia, fides, maxima, non modò ſumebant incrementa, ſed & ad alios mirũ in modum ſe dilatata porrigebãt. Idq;, iuxta ſuam regulam, non alienam, ait, ne gloriam videatur quærere, de his, quæ iam ſunt ab alijs erecta, elaborata, & coli cæpta prædicatoribus; quemadmodum faciebant Pſeudoapoſtoli; Gloriæ namq; ſuæ ſpem, & cumulũ nõ, in earum gentium conuerſione reponebat Paulus, quæ ab aliis Apoſtolis, antea fuiſſent, vel ad credendum diſpoſitæ, vel quę ſuſcepto verbi iam ſemine, ad ferendam Euangelicam frugem, & meſſem producendam, iam fuiſſent per prædicationem aliorum pręparatæ: Ita enim Romanis ſcribebat: *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum*

funda-

fundamentum ædificaremus, sed sicut scriptum est: quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intel- *Isaia. 52.* *ligent.* Ea verò accuratius, ideò Corinthiis inculcãtur ab Apostolo, vt suam in eos authoritatem vindicãs, Corinthij, se Pseudoapostolis nihil debere intelligerent, vt à quibus, nihil minus, quàm per Euangelium, fuissent geniti: sed potius seducti, ni Paulus cooperãte Deo, maturè succurrisset: Suos enim, vt patres, reputabant filios Apostoli, quos primi, verbo & exemplo, ad fidem Christi conuertissent. Vnde factum est, vt earum regionum Apostoli, postea patroni, & quasi tutelares dij vocarentur ab ijs populis, quorũ maiores, siue parẽtes, Christo lucrifecissent; Sicut postea, martyres, & Pontifices, idem sibi nomen, ab eodem officio, labore, & industria compararunt, cum certas Diocæses, certis limitibus, & terminis finierunt, quas Episcopatuum nomine appellauerunt, extra quos, ius spirituale dicere, sacramẽta administrare, Ecclesiastico gladio vti, non ausi fuissent, sicut hic nrę diocæseos patronus est S. Willibald⁹: huius ciuitatis Ingolstadiensis S. Maria, & S. Mauricius.

Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

Sensus est; qui nominis claritatem, in hoc mundo quęrit, magnopẽ ante oĩa diligẽter exquirat, an Dei scientiam veram habeat, scientiam autem Dei, is, scripturæ phrasi, habere dicitur, qui bona opera, cum Dei cognitione coniungit, qui scilicet Deum nouit simul & amat.

Ideo ait Hieronym. cap. 9. *Non glorietur sapiens in* *Hose. 4.*

 sapien-

In scientia Dei, quærēda gloria vera.

sapientia sua, &c. sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosce me. Quod ipsum, cap. 31. repetit, quemadmodum notauit Apostolus, ad Hæbr. cap. 8. *Et non docebit vir vltra proximum suum, dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum, ait Dominus.* Vnde Ioan. 1. Epist. cap. 2. *Qui dicit se nosce Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Alio modo, dicuntur alij in Domino gloriari, qui, quicquid habent, Domino acceptum reuerenter referunt, *à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum*; Qua ratione, hoc loco, iubet in Domino Corinthios gloriari Apostolus. In qua significatione; qui, ex impietatis, in iustitiæ statum transferuntur, in Domino dicuntur gloriari; quia, Deus ob id potissimum ab hominibus glorificatur, quod peccatorum vsuris oppressos, & æternæ vindictæ obnoxios, sola bonitate & misericordia sua, gratis condonans eis peccata, sibi reconciliet, faciatq́ue amicos & filios suos, & insuper æternæ vitæ hæredes. Vbi sciendum, *gloriæ* nomen, in sacris litris, id significare, quod in vnaquaque re, maximè commendatur, & eam rem clarificās, facit summè spectabilem. Vnde, ignis ille tonitrua, & fulgura, miraq́ue alia, quæ apparuerunt in monte Synai, cum Deus daret legem Moysi, appellātur, *gloria Dei,* quod res illa, Dei præsentiam, & maiestatem maximè gloriosam, id est, admirabilem, venerabilem, atque formidabilem facerent: Similiter igitur, quoniam peccatorum remissio, hominis iustificatio, bonorum operum fructus, mandatorum obseruantia, maximè commendant, & clarificant bonitatem & misericordiam

Iacob. 1. S. Thom. in hūc locum.

Dei, quæ id præstat, appellãtur gloria Dei; quemadmodum cap. 3. eius, quæ Romanis scripta est, loquitur Apostolus; *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Ex eo ergò, quod quispiam Deum, per gratiam possidet, gloriari hominem iubet Apostolus, à quo totum id proficiscitur bonum, quod sibi vendicat. Inde 1. Corinth. cap. 4. dicitur. *Quis te discernit? Quid enim habes, quod non accepisti?* Quasi dicat: Quis te clarum & præstantem facit, neque te tu; nec homo quispiam; sed quod habes, Dei dono collatum possides, ideò tibi in Deo gloriandum est.

Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est.

Cum, ex se, tanquam ex se, nihil dignum commendatione, apud Deum, homo præstare possit, (*neque enim est volentis aut currentis, sed miserentis Dei*) ideò, quantumcumque de rebus se suis quisque iactet, ex sua venditatione, suique commendatione, nihil adipisci laudis, apud Deum, potest: Nam bonorum omnium fons & origo Deus est, eiusque gratia, totam humanarum actionum bonitatem sibi vendicat, cùm ex seipsis, nihil vel laude, vel mercede dignum effectui mandare vires humanæ possint, nisi diuinis auxiliis inprimis nitantur. Christi siquidem vox est: *Sine me nihil potestis facere*: Et D. Pauli: *Plus aliis laboraui, non ego, sed gratia Dei mecũ.* Ideo dicitur alibi de iusto Abrahamo: *Si ex operibus iustitiæ, adeptus est laudem sed non apud Deum, qui dum coronat merita nostra, coronat & laudat*, iuxta Augustinum, *Dona gratiæ*, quasi viribus & meritis nostris

dum extenuantes, quaſi nihil poſſit Dei etiam gratia adiutus, deſignare, quod eum, Deo & hominibus verè commendet: Nam impuri ſunt Lutherani, qui præter menſtruatę pannum, in ore nihil habent, & cuius fœdę abominationi, iuſtorum quaſlibet actiones, ob fœditatem comparant, quiue quicquam, ab vllius mortalium voluntate præſtari poſſe inficiantur, quod Deus probet, vel ſibi acceptum, aut gratum eſſe declaret. Quid enim hoc eſt, quod apud Iſaiam, dicit: *Seruus meus es tu Iſraël, in te gloriabor*; Niſi forte, hominum peccata, Deũ glorificent. Quid hoc eſt, quod *recti corde, & iuſti* iubétur *in Domino lætari, & gloriari* niſi fortè in ſceleribus, & flagitijs? Cum enim Dei *oculis omnia ſint aperta, vt qui renes & corda ſcrutetur, & nihil ſit, quod eius oculis non pateat*: ideò toties in ſcriptura, *iuſtus iudex* vocatur, quod de quoquam ferre in vllam partem, non ſoleat ſententiam; cuius cauſam optimè non perſpectam antea habuerit. Homines quidem ab hominibus commendati, ſæpe gloriantur; ſed, quia falli poſſunt & fallere, (vt qui ea duntaxat conſiderent, quæ in facie apparent, nec cor, vti Deus, contueantur,) ſolidam in hominum cõmendatione, (quę ſępe ex affectu proficiſcitur) gloriam ponere mortales non debent, quemadmodum rectè monet Apoſtolus;

Iſai. 9.

Pſal. 31.

Nuda [illegible] *est,* [illegible]

Nemo itaq; glorietur in hominibus.

1. Corinth.

CAPVT XI.

Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me.

Rerum à se gestarum commendationem, licet modestam, vocat *insipientiam*, non quod is desiperet, qui *sapientiam non huius mundi, sed quæ de cœlo est, loquebatur inter perfectos, spiritualibus spiritualia comparans*; sed ex vulgi loquitur opinione, quod trito prouerbio imbutum,

(*Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse;*
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.)

quamlibet priuatæ laudis commemorationem, appellare stultitiam consueuit. Neq; enim, qui de fæce plebis sunt, satis assequuntur, de vita & hominum morib⁹, adeò strictas & immobiles præceptiones, siue regulas singulares dari posse, quæ exigente necessitate, aut prætermitti, aut sine periculo, dissimulari aliquando non possint; cum circa particulares hominum actiones, leges, & instituta versentur. Singula enim dicta & facta mortaliũ, iis legib⁹, quas, & Ethici, & Oeconomici pręscribunt, conformari, in omni euentu, prorsus videtur impossibile, nedum difficile; quemadmodum pręsens Apostoli factum testatur; Nam propter eos, qui cum de eo bene deberent sentire, indignè tamen, & iniquè ipsum Apostolum iudicabant, aliquid suarum laudum enumerare coactus est, vt muneris sui grauitatem, authoritatemq;, contra falsos Apostolos, & impostores, (à quibus in contemptionem adducebatur) assertam stabiliret. Quod vsu, iustâ datâ occasione, hoc tempore venire, Orthodoxorum scriptorum monumenta, contra Sectarios, inanis gloriæ cupidissimos, licet

licet res à se pro Dei gloria præclare gestas aliquando commemorare. & prædicare.

cet

cet maximè stupidos & ignorantes, in lucem edita testantur. Quidni enim pro veritatis assertione, Catholici Doctores, sua modestè dilaudent & efferant merita, inquam, sua commemorent, & res suas præclarè ac laudabiliter, pro Dei gloria & Ecclesiæ vtilitate gestas, (dum necessitas exigit) gloriabundi deprædicent, vt hæresi labefactata, religionis hostium fraudes, dolos, artesq; malas bonis proditas, adducant in contemptionem. Quia ergo, sciuerat Apostolus esse scriptũ: *Laudet te alienus, & non os tuum*; ideò prudenter falsam de priuata laudum suarum commemoratione, opinionem per quandam anticipationem, remouet; iustis postea de causis, se id coactum fecisse ostendens, quia tam veritatis assertioni, quam proximi saluti præiudicabat, eas laudes silentio præteriri; cum è contra, impostores de se magnifica & incredibilia temerè iactãtes, gentium doctori, humilia & abiectissima quæq; ascriberent, vt illum apud suos abiectum & nihili hominem, redderent. Vt verò ad hoc se necessitate adductum fuisse insinuet Apostolus, ipsos rogat Corinthios, vt quicquid hoc est suarum laudum dissimulent, æquo animo ferant, & minimè offendantur: Si etenim proximi infirmitas, & imperfectio sæpe toleranda est, (vnde fideles alibi admonet, *vt alter alterius onera portare velint*) cur id, quod ex se bonum est, & vtile, tum patienter ferre, tum boni consulere non debeant ij, qui tot tantisq; Christianæ charitatis officiis, ab ipso Paulo fuissent cumulati?



Æmulor enim vos Dei æmulatione.

Sensus est: Cum de me ipso gloriandi necessitas, ex amore erga vos meo ardentissimo, sit profecta; tale spero vos de hoc meo facto, iudicium facturos, vt laudis & gloriæ meæ commemorationem, non modò male non sitis interpretaturi, sed potius idem probaturi: Neque enim priuati quæstus & compendij gratia, meas laudes annuntio, sed eo amoris potius zelo, in vos feror, & inflammor, vt nullum in amore erga vos, socium, aut corriualem ferre velim, multo minus pati possim. Vt autem huius tanti amoris causam & vehementiam magis exprimeret vas electionis *æmulandi*, siue *Zelandi* verbo vsus est, quod ex se vehementem animi motum in proximi statum tendentem, amorisque feruorem, ferentem importat.

Hinc *Zelum*, amorem feruentem, in reque amata, nullatenus consortium ferentem, scriptura sacra sæpe
Ioan. 2. appellat. Sicut Dominum, *ementes & vendentes ex templo eijcientem, zelus domus Dei,* hoc est vehemens quoddam studium, ea, quæ diuini sunt honoris defendendi, procurandiq; & quæ ei aduersantur, propulsandi, dicebatur *comedisse*; quia *Zelus*, siue *æmulatio*, sunt quasi ignis vrens & consumens, iuxta illud psalmi 118. Tabescere me facit zelus meus; Quando enim aliquis in aliquo bono amato, vt puta, aliquid vitij, vel alicuius imperfectionis pati non potest, sed bonum illud singulariter solus vult possidere, tūc zelus est bonus, & æmulatio bona; Quo sensu, à D. Iacobo cap. 4. dictum est, *Ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis*; Quasi hominis mentem ea dilectione & auiditate deside-

ret

ret inhabitare spiritus sanctus, vt in ea nullum corriualem secum ferat. Circa quod notat D. Thomas, aliquem bono zelo seu æmulatione, aliquando alium æmulari pro se, siue sui causa; sicut vir zelatur pro sua vxore, quam vni sibi seruatam cupit: Aliquando verò pro alio, siue alius causa, aliquis zelatur, sicut eunuchus Domini, sui vxorem zelatur, vt eam illi custodiat: Qua ratione, hoc loco Apostolus, ne Corinthia Ecclesia, Christo desponsata, à diabolo, per suos ministros, decepta prostitueretur, tanquam fidus quispiam pronubus, Christi nomine æmulabatur: ne Diaboli, cum Christo, in Ecclesia, siue sua sponsa, habere aliquid moliretur consortij, cum *nulla Christi, ad Belial*, vt supra dictum est, *posit esse conuentio*, (:Suarum porro rerum (etiam propria) commemoratio, plurimum afferebat ponderis, Diaboli ministris propulsandis, & in inuidiam apud bonos omnes, adducendis. Ideò adiunxit *Dei æmulationem*, vt ostenderet, non sui, sed Christi duntaxat causa, zelo aduersus impostores, se ardere maximo, qui cum Christi consorte, hoc est, fidelium cœtu, aliquid habere commune, per fraudem machinabantur. Quod autem huiusmodi Zelotypia sibi incumberet, sequentibus verbis significat Apostostolus.

Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.

Ecclesiam Corinthiorum, sponsæ; Christum vero sponso comparans, se ministrum ac paranymphũ, huius desponsationis, sua prædicatione fuisse insinu-

at, eo sensu, quo se eosdem *Christo genuisse*, in priore Epistola commemorarat; quasi dicat; se tanquam pronubum, Corinthios vni viro desponsasse, vt illi, se tanquam virginem pudicam & castam exhiberent: *Virum* porrò Christum appellat, non tantum propter humanam naturam, & sexus significationem, magnamque Christi hominis perfectionem: sed etiam propter prophetias multas, in quibus *Christus, vir* prædictus est, quemadmodum post alios prophetas, Christi præcursor dixit, *post se venisse virum, qui ante me*, inquit, *factus est*, vt scilicet, sponsus esset Ecclesiæ. Duplicia autem celebrata à Dei filio sponsalia fuisse, post SS. Patres & Doctores, declarat Franciscus Toletus, in cap. 3. Ioan. Priora fuere, cũ humana natura, quã in vnitaté personæ assumpsit, vt persona Verbi, *sponsus*, natura humana, *sponsa* dicatur, quæ inseparabiliter ipsi verbo est vnita, hanc vnionem, nuptias vocauit D. Gregorius, homil. 38. Horum sponsalium paranymphus intercessit Angelus Gabriel, à Deo, ad hoc negotium missus. Posteriora sunt sponsalia, quæ Christus Deus & homo cum Ecclesia iniuit, eam in tantam euehendo dignitatem, vt sponsa sibi esset; quemadmodum Apostolus ad Ephesios, cap. 5. meminit: Particularium eiusmodi nuptiarum, post Christi ascensionem, paranymphi fuére Apostoli, & eorum successores, qui per Euangelij prædicationem, diuersas *gentes in vnitatem fidei* adductas, Christo vniebant: quemadmodum de se, hoc loco Apostolus, vsus verbo *despondi*, testatur: Cuius ferè generis pronubus fuerat Ioannes Baptista, sponsum

Cur Christus Vir peculiari voce nominetur.

indi-

indicans sponsæ loquentem, & eam quodammodo illi copulans.

Est autem nagna quædam analogia ad nuptias terrenas & sponsalia corporalia. Nam in his, vnio corporum & animorum fit: Ecclesia autem ita vnitur Christo, vt vnum corpus mysticum, cum eo faciat, *& simus vnusquisque membrum de membro*, sicut gentium Doctor 1. Corinth. 12. docuit. Est autem ligamen magnum animorum, spiritualeque fidei & charitatis vinculum. In his rursus, fidelitas sponsi & sponsæ magna est: Neque enim Christus Ecclesiam vnquam, neque Ecclesia Christum deseret: Est rursus proles numerosissima, quia innumeras gentes Christo peperit Ecclesia.

Christi & Ecclesiæ nuptiarũ descriptio.

Præterea & conuiuiũ, quod in nuptiis exhiberi solet, tantumque est in sponsalitiis, vt Christus ipse sit cibus, & sanguis eius potus. Vnde Chrysostomus, homilia 23. in hunc locum, docet animaduersione dignum, vnum tempus esse in hoc sæculo desponsationis: nondum enim est ex omni parte vnio perfecta, qualis erit in futuro sæculo, quemadmodum Dominus in parabola decem virginum Matthæi 25. significauit. *Exierunt omnes obuiam sponso, & sponsæ: sed quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*, nempe futuri sæculi, &c. Propterea non tam Vir, quàm sponsus Ecclesiæ dicitur CHRISTVS. Alterum est longè aliter euenire in hisce nuptiis, quàm in terrenis: Nam in terrenis, ante futurarum nuptiarũ stipulationẽ, viriginitas est,

post

post verò, non manet; at in sponsione cũ Christo, contrariũ fit: Nam antequã anima Christo despondeatur, corrupta est; at Christo copulata, virginitatẽ consequitur spiritus, adeò vt purâ & integrâ mẽte & corpore sit; sicut prędixerat Oseas, c. 2. *Spõsabo te mihi in fide & iustitia:* quâ ratione, vocat Virginẽ Paulus, illã Corinthiorum *multitudinem*, quam verus Dei cultus, & vera fidei Christianæ in baptismi sacramento, susceptæ professio cõiungebat, partim coniunctione interna, quoad aliquos quos nimirũ oportebat semper in tali multitudine esse verè, & ex animo fideles, partim externa coniunctione tantũ, secundũ sui professionẽ saltem externã, quos interdum forte cõtingit, per externã dũtaxat fidei Christianæ professionẽ, sine interna fide, versari in tali multitudine.

Huius porrò virginis castitas, in eo consistit, vt à spiritu sancto sibi assistente, oẽm fidei veritatẽ ita doceatur, vt aberrare ab ea, minimè possit; quæ causa est, quod alibi *columna & firmamentũ veritatis* Ecclesia sit appellata: hinc n. spei firmitate, ad perseuerandũ erigitur, & tota flagrat Dei & proximi charitate. Eam n. ob causam, Dominus, ad passionẽ iturus, promittebat, quod rogaturus erat Patrem, *& alium paracletum*, inquit, *dabit vobis, spiritum veritatis: Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ac rursus, in eodem D. Ioannis Euangelio cap. 17. *pater*, inquit, *sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est, & ego sanctifico meipsum pro eis, vt sint ipsi sanctificati in veritate &c.*

1. Tim. 3.

Ioan. 14.

Ad hoc enim, pastores & doctores à Deo Ecclesiæ datos affirmat alibi Apost. *vt non circumferatur omni vẽto doctrinæ, in circumuentionem erroris*, quâ circumueniendi

Ephes. 4.

veniendi fraude, Corinthios prostituere nitebantur pseudo Apostoli, (sicut Orthodoxos, hodie Lutherani & Caluinistæ) nisi Paulus occurrisset, eosque ad mentis & corporis castimoniam retinendam, prouocasset. Ideo subiungit.

Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu.

Seductionem Euæ, adhuc integræ & castæ, per serpentem, cum seductione Corinthiorum, per pseudoapostolos, comparat; Ex qua comparatione, fit liquidum, tortuosi serpentis, siue diaboli administros, esse hæreticos & sectarios, quotquot Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, dolo malo, immissisque erroribus, discindere nituntur; Seducitur enim quispiam, cum in alicuius rei falsæ, sub specie veri, persuasionem adducitur.

Qua ratione, serpens, mulierem, ad fructus vetiti manducationem, allicere cupiens, dixit vt eam à mentis simplicitate auerteret, scientiæ boni & mali lignum, à Deo nequaquam fuisse prohibitum, ipsamque cum viro suo, non bene Domini verba, siue præcepta intellexisse; quasi dicere voluisset astutus coluber; Cur præcepisset Deus, vt à fructu alicuius arboris, manum abstineretis, cum omnes sint bonæ & salutares, non est, quod credatis vos morituros, si lignum scientiæ gustaueritis, scit enim Deus vtilissimam esse, quippe, quod scientiam augeat, &c. Quo sensu, peruersum consilium esse intelligendum, videtur decla-

rasse S. Aug. lib. 11. de Gen. ad literam cap. 30. *Arbitror*, inquit, *quod putarit Eua, Deum alicuius significationis causa dixisse, si manducaueritis, morte moriemini, atque ideo, sumpsit de fructu eius, & manducauit, &c.* eodem modo, Epiphanius in Hæres. Caianorum, quæ est 38 Diabolum dicit vt mulierem seduceret, *simulasse, se amicum Dei: Diabolus*, ait, *per mendacium decepit Euam, & Adam, alia pro alijs dicens, & amicitiam cum creatore simulans.* Quantumuis non desint grauissimi authores, qui dæmoné, accusasse Deum mendacij & inuidiæ existiment: Ad prioris tamen sententiæ, tanquam probabilioris exemplum, Caluinistæ & Lutherani, in seducendis initio Catholicis, ob multos abusus, quos in Ecclesiam irrepsisse mentiebantur, facile quas voluerunt, sectas inuexerunt, iam, per sacerdotum auaritiam introducta pro mortuis sacrificia, iam contra libertatem Christianam, pugnare obedientiam, quæ SS. Pontifici exhibetur, & sicut (qua erat serpens astutia) mendacem, aut inuidum esse Deum, dicere non audebat, quod Eua forte non credidisset, sed male intellectum suggerebat; ita Caluiniani, non mentitum esse Christum dicunt, cum pane in manibus sumpto, ait *Hoc est corpus meũ* (si enim hoc dicerent, neminem seducerent: sed ab omnibus, vt impij & blasphemi repellerentur) Quin potius à Catholicis, Christi verba non recte intelligi, nugantur, vt quæ per tropum) accipienda sint, à Catholicis sine tropo vsurpentur. Quod ipsum, sectarijs omnibus commune semper fuit, qui Deum non mendacem quidem, sed orthodoxos ignorantes, & imperitos esse dixerunt: Qua ratione, pluribus hominibus incautis imposuerunt, sicut pseudoapostoli, qui multis, contra Pauli dignitatem & præ-

dica-

dicationem adductis, traditæ ab eo doctrinæ fidei integritatem, & simplicitatem corrumpere contendebant, vt *astutia sua*, inquit Apostolus, hoc est, medijs apparentibus, siue falsis rerum imaginibus, callide ludificando hominum sensus, non modo occultis erroribus irretirent, sed & in omne vitiorum genus, sensim præcipitarent. Huiusmodi, ait, cap. 16. ad Rom. *Christo Domino, non seruierunt, sed suo ventri, dum per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentiũ: qui tandem ad sua desideria coacervantes sibi magistros, prurientes auribus à veritate quidem auditum auerterunt & ad fabulas sunt conuersi.* Quod si tantopore suppositam & adulterinam fidei doctrinam, esse cauendam docet Apostolus, *quo modo, in sua quenque fide, consequi* salutem posse, aliqui nugantur, modo in Christum credat? Res notatu digna de sectarijs nostri temporis.

Nam si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Euangelium, quod non recepistis, recte pateremini.

D. Augustinus lib. 5. contra aduersarium legis & Prophetarum c. 4. post explicatum locum illum, Io. c. 10. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones*, notat verbo *venerunt*, *veros Prophetas excludi, qui non propria authoritate, sed missi, venerunt, Pseudo* autem Apostoli, & Pseudoprophetæ, à seipsis venerunt, iuxta illud Hie. 13. *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi Prophetabant.* Idem sup. c. 7. Oseæ, dicit D. Hier. & ante eũ eãdẽ explicationẽ attulit Clem. Alex. l. 1

ſtromat. vt *venire* dicantur, quia non miſſi, ſed à ſeipſis priuatim venerunt. Sicut è contra, vbi de veris Prophetis & Apoſtolis legitimus eſt ſermo, plerumq; dicuntur miſſi, vt Luc cap. 2. *miſſus eſt Gabriel Angelus.* Ioan. cap. 1. *à Deo dicitur miſſus homo, cui nomen erat Ioannes*, cui iniunctum erat à Deo munus, vt populum præpararet & diſponeret; quo diſpoſito, indicaret Chriſtum: quo ſenſu, dicebantur mitti prophetæ, quando ijs iniungebatur, vt quæ à Deo edocti erant, populis annunciarent: Quo pacto, miſſi ſunt à Chriſto Apoſtoli, *vt euntes in mundum vniuerſum, baptizarent eos, qui credituri erant in nomine Patris & filij & ſpiritus ſancti, docerentque eos ſeruare omnia, quæcunque*, inquit Dominus *mandaui vobis*. Sic in actis Apoſtol. *ſpiritus ſanct⁹ iubet ſegregari Paulum & Barnabam, ad opus* ait Lucas *ad quod aſſumpſi eos:* quod veris & legitimis Eccleſiæ miniſtris, ſolenne ſemper fuit: dignitati nempe ſe nunquã vltro ingerere, aut priuatâ authoritate, ſibi honorem arrogare, niſi vel à Deo immediate, vel à Deo, per ordinariam prælatorum electionem, ſiue ordinationem, aut aliquod aliud iudicium, ſi ita placitum viſumque ſpiritui ſancto fuiſſet, vocati.

Verorum & pſeudo prophetarum diſcrimen.

Dicit ergo hoc loco, Apoſtolus: ſi pſeudoapoſtoli, qui ſe vltro ingerunt & commendant, vos aliquid maius, melius, aut ſalutarius docuerunt, quam nos docuimus, tunc non abs re, imo iure veſtro, morem illis maiorem, quam nobis eſſe gèrendum, arbitramini. Theophylactus, hunc ſenſum reddit. Si eadem illi prædicant, quæ & nos ante prædicauimus, cur eos cum tanta attentione excipitis, & auditis, nòs autem reijcitis, Quidam, adiectiuum, *aliud,* ſignificare putant præſtantius, ſiue excellentius, vt ſenſus ſit, ſi præſtantiorem

tiorem alium Christum : si perfectius Euangelium, quam nos, prædicant: si alium spiritum, id est, potiora spiritus sancti charismata & dona ab ijs accepistis, quam à nobis, merito equidem, nobis in contemptionem adductis, eisdem obeditis, nobis, illos præfertis &c.

Existimo enim, nihil me minus fecisse à magnis Apostolis.

Clara hæc sunt, nisi quod per ironiam, pseudoapostolos hic *magnos* vocari, nonnulli existiment; quod à primoribus se missos fuisse iactantes, de suo munere magnifica venditarent: Alij de se, Paulum ita hic sentire arbitrantur, quasi Petro, Ioanne, & Iacobo (quos alibi *columnas vocat*) se nihilo esse inferiorem æstimet, vt qui triduo, suæ conuersionis, per diuinam reuelationem, disciplinam Christianæ fidei & doctrinam Euangelij didicerit, sicut ipsemet vere gloriatur initio Epistolæ ad Galatas, vocans *se Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem* : dicens *notum vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici.* Cuius rei manifestum ipse Paulus dedit indicium, quod statim post suam conuersionem, ceperit Euangelizare fidem, & acriter cum Iudæis disputare pro fide, quos euidenter conuincebat ex scripturis, *demonstrans Iesum, esse Christum*, pro cuius gloria, tot tantosque labores, prout infra declarat patiebatur.

Nam, etsi imperitus sermone, sed non scientia.

Hoc in medium adducit, propter impostores, qui cum nihil, præter sermonis nitorem, sesquique pedalia verba, & inanem eloquentiam (sicut hodie garruli Lutherani) haberent, eximios se, & maximos Apostolos esse iactabant, cum tamen nihil essent, *nisi æs sonans, aut cymbalum tinniens*, quod aera duntaxat verberans, cor suo sonitu feriens, minime delectat, aut corroborat: quemadmodum faciebat Apostolus, qui non tam *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quam spiritus & virtutis ostensione*, auditorum animos, ad salutem ex charitate, demulcebat. *In religione enim* (ait glossa) *vis sermonis necessaria est, non sonus vocis*. Vnde hæc Pauli verba, luculenter tractans Hieronymus, in Epist. 150. quam scripserat ad Hædibiam, in responsione ad quæstionem eius vndecimam, ita scribit: *Aliquoties diximus, Paulum, virum fuisse doctissimum, & eruditum ad pedes Gamalielis; cumque haberet scientiam sanctarum scripturarum, & sermonis, diuersarumque linguarum gratiam possideret, vnde glorians ipse in Domino, dicit, Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor: diuinorum tamen sensuum maiestatem, digno non poterat Græcieloquij explicare sermone, Habebat itaque Titum interpretem, sicut & Petrus Marcum. cuius Euangelium Petro narrante, & illo scribente, compositum est*. Idem Hieronymus in Epistola ad Algasiam, loco paulo supra posito, sic ait: *Quod Paulus dixit: etsi imperitus sermone, non tamen scientia, nequaquam ex humilitate, sed ex scientiæ veritate dixisse tenēdū vt crebro alias diximus, atque etiam nunc approbamus*. Sciuit quidem græce, prout in dicta Epistola prædictus Hieronymus

nymus asserit, nam Græcæ linguæ Tharsi, magnum fuisse vsum Pauli tempore, dicit supra cap. 3. ad Philippenses; sed tamen in ea lingua, post acceptum etiam linguarum, à Spiritu sancto, donum, ita disertus non fuit. Sciendum tamen est, & in ea non infimæ auctoritatis Doctores esse sententia, vt putent Paulum, cum prędicator esset insignis, loqui secundum eorum opinionem, qui tale, de eo iudicium faciebant: Eo quod Apostoli sermo, spiritualem simplicitatem, & non secularem eloquentiam redoleret, vt qui, puræ, putæque veritatis prædicatione, studeret in suam sententiam, nempe ad Christiani nominis confessionem, auditores suos pertrahere, non auram captare, verborum fucis & lenocinijs, popularem, sicut in priori epistola cap. 1. testatur *se à Christo missum Euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi*: nisi quis dicat, impeditioris, & quodam modo balbutientis linguæ, Apostolum fuisse, qua, effari sensa sua expedite non posset.

In omnibus autem, manifestus sum vobis.

Vt suum candorem & insignem innocentiam, pseudoapostolorum hypocrisi & calumniæ opponat, vocat in testes Corinthios, de suis factis & dictis, quorum oculares auditores & iustissimi hominis, fuerant spectatores. Mira hominis integritas, qua fretus, pro officij & causæ suæ defẽsione, suos quodam̃odo aduersarios, ad perhibendũ de vita & doctrina sua, testimoniũ, prouocat. Magna sane veritatis apostolicę efficacia, suæ doctrinę testimoniũ, ad inimicos & ꝑsecutores remittere. In quo veritatis & iñocentiæ, dicit Chrysostomus hom. 82. efficacissimum argumentum consistere, explicans

illa

illa Ioannis verba, cap. 18. *Quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt, quid locutus sim ipsis. Ecce hi sciunt, quid dixerim ego.* In quam fere sententiam, & loqui, & agere Paulus cum ipsis Corinthijs, videtur; quos actionum suarum omnium sciuerat esse conscios, vt qui aut subdole nihil aut simulate, aut fraudulenter, inter eos dixisset, fecissetque, adeo, vt impostoribus & hypocritis, sine causa ab ipsis postponeretur.

Aut nunquid peccatum feci, meipsum humilians, vt vos exaltemini? Quoniam gratis Euangelium Dei Euangelizaui vobis? Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium vestrum.

Ironico sermone, Corinthijs, acceptorum à se beneficiorum, obliuionem exprobrat, simulingrati quandam animi significationem innuens, quasi benefacta in malam partem interpretati, sensim à parente suo, & progenitore deficerent. Dixi, inquit, antea me nihil minus ijs Apostolis, quos in tanto pretio habetis, præstitisse, nisi forte mihi vitio vertatis singularem animi demissionem, qua authoritatis, iuris & dignitatis meæ oblitus, nec recipere mercedem volui quam lege diuina, tanquam operarius, exigere poteram, cui vitæ necessaria, & labori stipendium respondens, debuissent ministrari.

Si *enim boui trituranti, os alligari non debet, & si altari seruienti, vita necessaria debet altare*; mihi Euangelium prædicanti, victus necessarius & conueniẽs debebatur

ſed demiſi me, vt vos exaltaremini, hoc eſt, ſecundum Theophylactum, ad fidem ædificaremini, mea famē & inedia, vel (ſecundum Catharinum) vt alijs eſſetis ſuperiores, qui non ſine ſumptu, Euangelizantur, ſicut Dominus ordinauit. Quia vero calumniabantur eum, quod præſens abiectus eſſet, abſens vero grandiloquentia, & importuna grauitate tumeret, quaſi ſuper hac re, apologiam texens, ferit eos, ait Theophylactus, hoc ſenſu. Vilis quidem factus ſum & abiectus; non propter proprium aliquem meum quæſtum ob quem, aliqui ſe nequiter humiliant, ſed vt vos inde exaltaremini: Piorum n. humilitate & ſuauitate, proterui & arrogantes ſæpe intumeſcunt. Auget vero orationem exprobrationis plenam, cū adiungit, expoliatas, ſiue nudatas alias Eccleſias dum ſibi, Corinthijs Euangelizanti, victum, non eſſe ſuppeditatum dicit Quaſi; ijs ipſis gratuito ſeruiens, ab ijs quicquam accipere recuſaſſet, ne ſi quid erogare fuiſſent coacti, fidei prædicationem, per auaritiam negligerent, & impoſtoribus, quia quæſtum maxime ſpectabant, illum eſſe meliorem negarent: quod magis explicat, cum dicit.

Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: Nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui & ſeruabo.

Summæ perfectionis erat argumentum, ſalutem aliorum, magno ſuo corporis incommodo curare, tū ſine ſumptu, tum ſine neceſſarijs ad vitam, ſicut alijs

seruire, atque ab externis stipendia accipiendo, sine vllo grauamine, Corinthijs, quæ felicitatis sunt, ostendere. Nocte enim manibus operans Paulus, quod in lucro ponebat, de die prædicando, insumebat; quemadmodum Actor. cap. 20, & in ijs, quę sunt ad Thessalonicenses, vberius testatur: Cum autem quod offerebatur, non sufficeret, ab alijs Ecclesijs vltro Eleemosynis sibi liberaliter oblatis vtebatur, ne quenquam onerosus, grauaret; Quod prolixius commemorando, sibi fas à Corinthijs fuisse mercedem exigere, conuincit, ac quodammodo exprobrat: Si enim ab alijs, vt Philippensibus, quemadmodum cap. 4. eius, quæ est ad ipsos scripta commemorat, ab ijsdem etiam Corinthijs (quorum causa laborabat) mercedem repetere poterat.

Notat vero Theophylactus, quod pulchre addiderit *seruabo*. Ne existimarent, inquit, Corinthij, quod hæc dixerit, vt inposterum accipiat ab ipsis: quasi diceret: Seruaui enim me, & adhuc seruabo deinceps citra grauamen accipere; Hoc est, constanter, sicut hactenus feci, Euangelizabo, sed ea ratione, ne quispiam me etiam inposterum redarguat, quod alicui, vel grauis, acrius reprehendendo, vel seuerius corrigendo, vel onerosus, siue cupidus, vestra studiose accipiendo fuerim. Quod ipsum, Act. 20. repetens ait: *Argentum, & aurum, & vestem nullius concupiui*; Quo pacto, innocentiam suam & æquitatem Moyses, Num. 16. Domino comprobabat: *Tu scis, quod nec asellum quidem acceperim ab eis*. Ita etiam Samuel, 1. Regum 12. *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam*

munus

munus accepi &c. Nam licet ordinauerit Dominus his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere: *sed non vsi sumus*, ait in priore Epistola cap. 9. *hac ordinatione, sed omnia sustinuimus, ne quod offendiculum daremus Euangelio Christi.* Vbi notanter dicit *viuere de Euangelio*, &, non diuitijs affluere, luxu minime diffluere, sicut nec crapulari, aut amicos secundum carnem & consanguineos ditare. &c. Cuiusmodi, Hierem. 6. 23. Isai. 6. Ezech. 13. 34. Malach 2. multi leguntur eo nomine, reprehensi bonorum Ecclesiæ iniqui dissipatores; quæ bona, in vsum tum Ecclesiæ, tum pauperum erant distrahenda. Sed de his alias fortasse plura.

Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me, in regionibus Achaiæ.

Quia Christi fidem (quam promissa præstando seruat) imitari conabatur Apostolus, quasi iuramento quodam, per infallibilem veritatem Christi, sibi omnia suggerentem, & in se quodammodo loquentem, se nunquam passurum, confirmat, vt à sententia dimoueatur, hoc est, vt prædicationis Euangelicæ nomine, grauiores sumptus, aut aliud quippiam, quod mercedis speciem præ se ferat, accipiat; sed vti antea cœpit, gratis omnibus tradat, quod à Deo gratis accepit. Cum porro dicit Apostolus, in se, CHRISTI fuisse veritatem, non ita intelligendum est, quasi vel eam videret, aut ipsam sentiret in se subsistentem, (quæ est Christus) sed in quadam eius, quasi imagine; Omnis siquidem veritas, Christū repræ-

repræsentat, vt est Deus, qui veritas increata, incommutabilis, & subsistens: nam vt homo, veritatis exemplar est, vt qui neminem decipiens, diligenter præstet & exhibeat, quæ fuerat antea pollicitus; Neque enim ipsam æternam, & incommutabilem veritatem, videri à quoquam, ait S. Augustin. lib. 12. Confess. cap. 25 cum aliquod verum cognoscimus; *Si ambo*, inquit, *videmus, verum est quod dico, vbi quæso id videmus? Neque ego vtique in te, neque tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate. Cum ergo de ipsa Domini Dei nostri luce, non contendamus, cur de proximi cogitatione contendimus, quam sic videre non possumus sicut nec videtur incommutabilis veritas?* Gratuitam ergo Euangelij prædicationem, vocat gloriationem suam, quod ea, in Christi maiorem gloriam redundaret.

Consiliorum Euangelicorum præstantia.

Quæ enim perfectio Christiana, supra Dei mandata suggerit consilia, Dei honorem eximie amplificant, & spiritualem hominis vtilitatem mirifice promouēt; Nam, qui amando Deum, plus facit, quam Deus præcipit, Deum maiori honore obseruantiaque prosequi censendus est, quam, qui Dei imperata duntaxat facit; Quicquid tandem consiliorum Euangelicorum osores Lutherani euomant, qui Dei mandata, ad seruandum hominibus impossibilia mentiuntur, vt piaculum esse existiment, si quis, ijs aliquid maius supererogare præsumat.

Cum tamen in omni re naturali, duplicem esse perfectionem videamus: vnam, ad esse necessariam; alteram ad bene esse: Vnam, sine qua rei natura perfecta non est; alteram, sine qua, non est ornata; vt homo; si V. G. habeat animam & corpus, perfectus est, quod

quod ad naturam ipsius attinet, etiamsi aliquis deformis & imperitus sit, atque improbus: At cum est elegans, politus, formosus, probus, aliquam aliam habet supra naturalem perfectionem.

Eadem ratione, homo Christianus, duplicem habere perfectionem potest, vnam ad esse, necessariam, hoc est, per quam sit verè filius Dei, & hæres cælestis regni, quæ in præceptorum obseruatione consistit, alteram necessariam ad bene esse, quæ in consiliis est sita, & hac perfectione præditus Apostolus erat, qui licet accipere ex aperta Domini lege, necessaria ad victum posset, Euangelij agendo præconem: ea tamen sciens & prudens negligebat, vt pluribus ex charitate, ad Dei vberiorem gloriam, hac ratione prodesset. Sciebat enim præter vitam æternam, diuinæ legis obseruatoribus promissam, certa præmia, certasque coronas, & singulares honores ijs esse repositos, qui non solum Dei legem obseruant, sed etiam virtutes heroicas ostendunt. Vnde 1. Cor 9. dicit, sibi melius esse mori, quam vt gloriam suam quis euacuet: Quam in partibus Achaiæ, maxime extendi cupiebat, quod ibidem, ob negotiatores & mercimonia, nempe in locis maritimis, auaritiæ plurimos esse deditos existimaret, vt author est D. Thomas. Et vt Pseudoapostolis occasionem tolleret gloriandi, si sibi similes fuissent reperti: tum, ne si fuissent gloriati, se gratis etiam Euangelizare, in hoc, Paulo essent præstantiores, qui & ipse gratis docens, famem, inediam, & necessitatem sæpe maximam patiebatur.

Quare? quia non diligo vos? Deus scit. Quod autem facio, & faciam: vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos.

Quia alienationis animi ab amico, non obscurum esse indicium videtur, amicorum munera vltro respuere, nihil ab ijs velle, vel sperare, vel exspectare, officiosamq; mutuorum laborum compensationem negligere: (cum sicut author est Seneca, mel muscæ, lupi cadauera, prædam sequatur turba hominum; sed *occasionem quærat, qui vult ab amico recedere.*) Explicat Gentium Doctor, quo animo promiserit, se nihil Euangelicę prædicationis causa, ab Achaicis statuisse accipere; nempe ex amore, quo, nec illos in vllo læsos, nec illis esse offendiculo cuperet; Quo pacto, cap. 1. ad Philippens. dicit: *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes, in visceribus Iesu Christi esse.* Item, vt omnem occasionem detrahendi amputet ijs, qui quæstum, & pecuniam, ex Euangelij ministerio duntaxat quærunt: vt quia gloriabantur, de suo Apostolatu, etiam videant, anne ea ferre, quæ ipse Paulus ferebat, scilicet ita inculpate, imo gloriose coram Deo sese habere, & Euangelicam prædicationem honorare possent. (*vt in quo gloriantur*) Hoc tripliciter legit D. Thomas, vno modo sic, *vt inueniantur tales*; supple, sicut & nos, non accipiendo, sicut nec nos accipimus, & per consequens, à prædicatione cessando, *In quo*, se scilicet esse tales, sicut & nos, gloriantur: Contendebant enim

enim, se esse similes, si non similiores, veris Apostolis.

Secundo modo sic, vt in eo, *in quo gloriantur*, scilicet accipiendo, quia hoc solum quærebant, *inueniantur sicut & nos*, id est, similes nobis, cessando scilicet, & abstinendo ab acceptione, vt nobis assimilentur. Tertio modo sic, *In quo gloriantur*, scilicet in non accipiendo, dicunt enim se nihil accipere, *inueniantur sicut & nos*, id est, non meliores nobis, ne in hoc se nobis possint præferre.

Nam eiusmodi Pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.

Hypocritæ, iuxta suum nomen, dicuntur, quia alia persona cum sint; aliam tamen mentiuntur, &, fingunt, vt author est Augustinus; In quibus, veræ solidæque virtutis cum nihil sit, quicquid tamen agunt, simulationem, laruam, tragœdiamque venditant: Et magis spectari, dicique iusti, quam solidam sequi virtutem cupiunt, aliosque sui spectatores, magis, quam ipsum Deum desiderant; quod humanam duntaxat, non eam, *quæ à solo Deo est*, laudem aucupentur. Eiusmodi in sanctissimo DEI populo, Pauli tempore, iam succrescere cœperant simulatores, qui omnem mouebant lapidem, vt vel electos Dei, (si fieri posset,) tum euerterent, tum perderent: Ideo, toties ardentissimis verbis, fideles obtestabantur Christi imitatores, Apostoli, vt in sana doctrina, & in Christiana religione perseuerarent; *Erit enim tempus*, (scribebat Timotheo) 2. Tim. 4.

cum

cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt. &c. Sic in ea, quæ est ad Romanos cap. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab ijs, quia subdoli sunt* & fraudulenti, qui clam, perniciosas hæreses, sub pietatis specie, moliuntur introducere.

Quasi nimirum Christi gloriam, & vtilitatem quærant; cum interim proprium quæstum sectentur, & authore Apostolorum principe, *exercitatum cor auaritia*, hoc est, rapinis, imposturis, fraudibus, & furtis habentes, nihil non faciant dicantue, priuati compendij gratia, aduersus veritatem & Euangelium: Eius generis erant olim scribæ & Pharisæi, qui oratione longa, & simulatis ieiunijs facies suas exterminantes, *viduarum domos comedebant.* Ad quorum imitationem, simulatæ religionis aucupio, falsi prophetæ, simpliciorum captantque emunguntque opes, ac facultates; propter quod, suo tempore *amplius accepturi sunt*, ait Dominus, *iudicium*: Sic enim omnia in falsis Prophetis sunt composita, vt ex eorum fucatis operibus, non statim nosci possint eorum doctrina & incomparabilis cupiditas, cum opera interna, sub hominum aspectum non cadant, externa vero, probis & improbis hominibus sint communia: Quæ causa est, quod Pseudoapostolorum consilia atque opera, à Domino *vestimentis ouium* (quibus lupi rapaces quoque se contegunt) similia esse dicantur.

Math. 23.

Nam, cum ex operibus, doctrina decerni non possit, quod sæpe mali, bona doceant, (quia dum ex naturæ bono, peccator operatur, bonus videtur)

prop-

propterea monuit nos Dominus, *vt quæ dicũt, faciamus, secundum autem opera illorum, non faciamus:* Quanquam de fructibus doctrinæ falsorum Prophetarum, non semper sit difficile iudicium facere; quod sana doctrina, veritatem, obedientiam, virtutem, pacem, animorum concordiam pariat; Sectariorum verò, errorum dissensionum, pertinaciæ, impunitatis, maiorum contemptionis & hęreseõ sit mater; sicut post Lutheri mõstrum natum, Germania testis oculata esse potest, & tota fere Europa.

Et non mirum: ipse enim Sathanas transfigurat se, in Angelum lucis.

Hæreticos, Hypocritas, & Sectarios omnes, virosam esse Sathanæ progeniem, apertè testatum hic facit Apostolus, cum minimè mirandum esse ait, si Pseudoapostoli, malis artibus, incautos decipiant: hoc n., ait, à Sathana patre & magistro suo didicerunt, qui subinde angeli cœlestis speciem. siue spiritus boni figuram indutus, suas errorum tenebras, ementitis lucis coloribus, & fucatis veritatis imaginibus, adeo subtiliter exornat, ludificatq;, vt à putâ veritate, & simplici virtutis candore, nihil distare videatur; dum innocẽtes, & non satis circumspectos fallere, sagaci molimine, conatur.

Simulationis enim arte *homicida* dictus est à Domino, *fuisse ab initio,* ꝙ huius inuidiæ sensu, & fraude, *mors introierit in orbem terrarum.* Cum enim, à veritate, siue à veracitate, ad mendacium se conuertens, primos parentes laruatis verborum lenocinijs deciperet, diceretq; *nequaquam moriemini,* (quamuis mentem, dolis instructam gerens, aliter sentiret) recte dicit Dominus, in eo non esse, nec fuisse veritatem, quasi ꝑ hypo-

crisin, simulationem, mendacia, & summam nequitiã, agere omnia iam inde à principio mundi conditi, cõsueuerit: Qua de causa, in veteri scriptura, inter alia nomina, hoc etiam sortitus est, *ut spiritus mendax* vocaretur: *Cum enim loquitur mendacium*, ait Dominus, *ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius.* Nam sicut scriptoris est scribere, & Doctoris, docère: ita mendacis & vani loqui, est mentiri.

Ioan. 8.

Hæretici enim, cum mentiuntur, alieno vtuntur, nempe patris sui inuento, & dæmonis proprio: Ideò, ipse Diabolus, cum mentitur, ex proprijs loquitur, q̃a mendax est, propter consuetudinẽ & officium; pater verò propter inuentionem, & primam mendacij causam. Cum ergo, res ita se habeat, rectè probari iubet D. Ioannes spiritus, *an sint ex Deo*, omnemq́; spiritus mansuetudinem adhiberi prohibet à credẽtium multitudine, ne decipiantur, quando nouæ doctrinæ vẽditione, inusitati ritus, noua dogmata, peregrinæ traditiones, proponuntur, diuersaq́; viuendi agendique ratio, à maiorum institutis & legibus abhorrens introducitur, à priuatis hominibus, magistratus authoritatem nequiter aspernantibus. Quia Pseudoapostoli, Sathanâ magistro, *introducunt sectas, siue hæreses, perditionis*, ait D. Petrus, (clam scilicet & non palam) *sanæ doctrinæ immiscendo perniciosas hæreses, dogmata a veritate Canonica aliena* callidè persuadent. *Nam, si iniqui*, ait D. Gregorius, *apertè mali essent, à bonis recipi omninò non possent: sed sumunt aliquid de visione bonorum, vt dum boni recipiunt ex eis speciem, quam amant; permixtum sumant virus, quod vitant.* Nam, *quos perfectos*, ait mellifluus Bernardus, *boni amatores, etiam nouerit, malum eis sub*

ſpecie non mediocris, ſed perfecti boni, ſuadere conatur, vt dũ currit, incurrat.

Proponit enim laudabilia, vt ad illicita pertrahat, ſicut ipſi Chriſto, Sathanam propoſuiſſe, Matthæus, in tentationis ipſius hiſtoria, prolixè narrat; cum Eſſeni, ſiue religioſi cuiuſdam viri habitu, alba ſcilicet veſte, capillo & barba promiſſis, ſordibus oppletus, per modũ bene conſulentis, peramanter & blandè Chriſtum, ſicut olim per mulierem, Adamum, eſt aggreſſus. Quandoquidem, *filius Dei es*, ait, ne famem patiaris, ſed quia potes, & aliundè non ſuppetit cibus, *dic, vt lapides iſti panes fiant*: Suæ enim calliditati & verſutiæ, ſciebat conuenire, ita tentare, vt non tam tentare, quã bene conſulere penuriam & egeſtatem patienti videretur, quo deceptum illaquearet, virus mortiferum, pietatis ſpecie cooperiens, quemadmodum hypocritis, eſt familiare. *Matth. 4.*

Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur, velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis erit, ſecundum opera ipſorum.

Repetit, quod proximè dixerat, minimè mirandum eſſe, ſi Sectarij ſanctitatem ſimulent, cum ſceleratiſſimi ſint; ſi veritatem profiteantur, cum impiorum errorum denſa caligine ſint occæcati; ſi DEVM quærere, eiuſq; cauſa laborare, videantur, cum idola ſua, hoc eſt, diuitias, voluptates, & inanem gloriam ſectentur; quamuis veterum Patrum vitam & inſignẽ religionem venerari, eorumq; imitari videantur, tametſi nihil minus faciant.

Quæ enim orthodoxi, & iusti Dei ad cultum, ex animo faciebant, ipsi in idolorum venerationem faciunt; Et quidem hoc, sathanici spiritus impulsu comoti, cuius gloria, momentum durante, tandem eius impostura facilè nudata, pijs & probis Christianis, haud difficulter agnita, detegitur: Non enim diu viuunt, qui hæc quærunt, *cum mundus transeat, & concupiscentia eius*; pereatq; ille multorum annorum labos, quo in huiusmodi idolorum cultu adeo gnauiter, sed inaniter desudatum est; & mors imminens doceat, nullius omninò fuisse pretij, quæ tanta animi contentione, per simulationem, & varias artes, fraudesq; quærebantur, nihil enim proderunt Thesauri & honores, in die iræ & vindictæ: *Illis*, enim *iudicium*, ait D. Petrus, *iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat*, quia commeritas pœnas, suo tempore, daturi sunt, quod finis eorum secundum opera ipsorum: Licet enim, in hoc mundo ditescant, quiescant, & iuxta voluntatem suam, viuant hypocritæ: saginantur hic tm̃ ad interitũ et mactationẽ: *Opera*, n. *illorũ sequuntur illos*, cũ manifestabuntur ante tribunal Christi, *vt recipiant, quod in corpore gesserunt malum; eorum enim finis interitus & gloria in confusionem erit*, ait Apostolus: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit; multò minus falsis doctoribus*, Pseudoapostolis, & seductoribus, qui perituris & terrenis rebus tantopere insudãtes, ad imitationem Sathanæ, in perditionem, & interitum sempiternum se coniecerunt.

❧:(o):❧

Iterum

Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse, alioqui velut insipientem accipite me: vt & ego modicum quid glorier.)

Illi maximè insipientes, & grauiter sunt fatui, qui sanctitatis, doctrinæ & virtutis nomen duntaxat ab hominibus quærunt: Cuiusmodi sunt, qui non tam boni, docti, & virtute prędıti esse, quam tales ab hominibus reputari, haberiq; desiderant. Eiusmodi tunc erant Pseudoapostoli, & hodie sunt Lutherani, qui coram simplici plebecula, se magnificè & grauiter iactāt, vt se bonis operibus præferant, cùm tamen præter æs sonans, aut cymbalum tinniens, nihil sint, omnis virtutis nempe expertes, & solida veraq́; eruditione vacui. Hinc est, quod homines singulari probitate & iustitia prædití, nec molestè, nec grauiter ferunt, cùm ab improbis Sectarijs, apud diuersarum sectarum studiosos, in contemptionem adducuntur, modò veritas ipsa, Dei gloria, & proximi ædificatio, nullum detrimentum patiantur. Paulum siquidem imitantes, & insipientię, & audaciæ, & ignorantiæ, & temeritatis opinionem, apud iniquos iudices, non magnoperè curant; Ideo etiam calumnias & obiecta quædā mendacia, vanosq́; latratus sæpe dissimulant, modo syncera puritas Euangelij, Ecclesiæq́; authoritas, maneant incolumes: Non autem eo ipso, vel docti, vel boni, ab iniquis & inuidis rerum æstimatoribus (cuiusmodi sūt hodie V. G. Lutherani) volunt per iactantiam haberi, cum subinde boni nominis, & suæ existimationis rationem habentes, se dictis, factis, scriptisq́; defendunt catholici homines: Nec etiam magnoperè sunt soliciti, qua sint apud Sectarios, in opinione, Orthodoxi

Probi homines & orthodoxi nō curāt Lutheranorū calūnias.

Doctores; modo in conscientia, coram DEO, (qui de homine præclaram habet cognitionem) sint vero iusti, boni, docti, & virtute præditi.

Necessitate quidem sæpenumero, Catholici viri compelluntur res à se præclare gestas commemorare; vt commendare eruditionem, suas virtutes prodere: sed; ne, vel tacendo, vel dissimulando, tales apud bonos, non sine offendiculo, homines, habeantur; quales ab improbis Sectarijs, & impostoribus mendaciter confinguntur. Est quidem, ait Apostolus, certum stultitiæ, siue insipientiæ, siue vanitatis indicium, se, sine bona occasione, passim magnificè iactare: sed hoc casu, propria sui commendatio, boni vt consulatur, à Corinthijs, petit; eo quod, in aciem cum Pseudoapostolis descensurus; ijsdem, eos telis, quibus ab ijs fuerat impetitus, cogatur configere. Nec sibi hoc loco, aduersatur Apostolus, qui alibi docet, *ab omni specie mali esse abstinendum*, quia doctrinæ propriæ declaratio, & prudens authoritatis publicæ assertio, ex sua natura bona sunt, possuntq; absq; piaculo extensa, patefieri; modo aliqua mala circumstantia, non reddantur deteriora.

1. Thess. 5.

Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.

Si qua indulgentia, sibi vtendum esse animaduerteret in aliquo negotio Apostolus, quod vel carnem sapere, vel Christianæ perfectioni aduersari videretur;

deretur, mira excusatione, rem totam per anticipationem sese excusando, temperabat; ne cui esset offendiculo; quemadmodum prioris epistolę c. 7. coniugij vsũ pmissurus; *dico*, ait, *ego*, *nõ Dominus*. Item: Hoc autem dico, secundum indulgentiam, & non secundũ imperium. Item: in ea, quæ est ad Roman. c. 6. *Humanum, id est, more hominum*, vel humanè, dico, *propter infirmitatem carnis vestræ*. Sic hoc loco; Quod, inquit, in hac substantia, hoc est, materia & genere gloriationis, more carnalium hominum, vanitatem huius mundi de me metipso gloriãdo, alicui fortè videar imitari; Dominum, (sic enim Græci legunt) *qui se ipsum exinaniuit, formam serui accipiens*, sequor. Nullum enim locum habet heroica, apud Deum, generis nobilitas, rerumq; præclarè gestarum iactantia, & sui insignis, apud alios, opinio: Sed quia res & necessitas ita exigunt: Vestrũ in hac gloriandi parte, & necessitate (sed non in cæteris rebus) de meæ insipientiæ opinione, nulla deposita querela, iudicium patienter feram. *Quia Paulus, si se non defendisset*, ait D. Gregor. *errori locum dedisset*: Ideò Prouerb. c. 27. monet Sapiens, *vt stulto respondeatur secundum stultitiam suam, ne sibi sapiẽs videatur. Sed quia* (paulò infrà, ait idem S. Doctor) *ostendebat discipulis, quid humilitatis accepisset, ostendendum erat aduersarijs, quid sublimitatis. Paulus enim nouerat*, ait Bernar. *gloriam esse creatoris, non creaturæ: sed considerauit rationalem creaturam; adeò affectare gloriam, vt vix, aut nunquam possit, ex hoc desiderio compesci, quippe, quæ ad imaginem est facta sui creatoris, Quandoquidem verò, persuadebat nobis; non posse omnino se non gloriari, saltem, qui gloriatur, in Domino glorietur, quia tantum patrem)* Philippens. 2.

habemus,

habemus, quod tantæ maiestati cura est de nobis. S. Thomas adductæ, ex Seneca, contra Pauli æmulationem, (quâ iactantiam hominum superborum æmulari, se laudãdo, videbatur) sententiæ *summam scilicet malorum esse, quod ad exemplum viuitur malorum, respondet*, quod licet bonorum & malorum eadem esset gloriatio, diuersa tamen, esset gloriationis materia, & nec idem finis. Impostores enim priuatam duntaxat gloriam, authoritatem, & proprium quæstum quærebant. Paulus verò diuini verbi fructum, omnium salutem, & christiani nominis extensionem, atq; celebritatem sectabatur, in quo, sicut Exodi cap. 23. scriptum est, *nõ turbam ad faciendum malum sequebatur, nec in sapientia sua gloriabatur, licet vulgi errore, id videretur facere, cum tamen, nihil, quod suum esset, quæreret, sed tantum ea sectaretur, quæ sunt Iesu Christi.*

Libenter n. suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes.

Licet toto cœlo desiperent Corinthij, illos tamen per Sarcasmum, & antiphrasin quandam, vocat Apostolus *sapientes*, (nempe apud semetipsos) vt euincat sibi ꝑ eos, tanq̃ prudentes & circũspectos actionũ humanarum arbitros, licere inposterum, quos tanti faciebant, more; de se, rebusq; suis præclarius sentire; cùm hi, illo, maiori iure in hoc genere non gauderent: Nam, quibus Pseudoapostolorum stultitia, errores, iugumq; tanti erant ponderis, cur Paulum pro æquitate, se, tũm defendentem, tum commendantem, tum sua declarantem, æquanimiter non ferrent? *Magna virtus, patientia,* ait Bernardus, *sed interdum patientem esse, probabilius est, tu ne approbes illorum patientiam, quibus*

dicebat Paulus. libenter suffertis insipientes? nisi fallor, ironia erat; & non laus, sed sugillatio. Hinc subdit.

Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit.

Tale monstrum, est hæresis, vt cuius mentem semel hebetauit, eam, tanquam oculis captam, quocunq; volet, abripiens, profundam in errorum abyssum præcipitet, eademq; non aliter, ac iumento abutatur: Ideò Galatas, cũ primùm *veritati non obedire didicissent, fascinatos* esse dicebat, imò *stultos* appellabat Apostolus, quod, *cum spiritu cœpissent, carne iam seducti, consummari cogitassent.* Quo pacto, Corinthijs hoc loco, seruitutem exprobrat, quam, impostorũ fraudibus deceptos, seruire turpem dicit, posteaquam eorum imperatis morem gerere alacriter cæpissent, à quibus, se verberari, diripi, spoliariq; non aduertissent: Quasi dicere vellet. Durum esse vobis, non debet, pati meam insipientiam, qui seruitutis iugo, & iacturæ fortunarũ, iam assueuistis; vt, & stulta & pernitiosa docentibus (quæ veritati, & communi vestræ saluti aduersantur) ne dicam rem vestram familiarem attenuantibus hactenus obedistis: *Nolo seruitutem dissimules*, ait Bernard. ad Eugenium, *in quam certè dum nescis, redigeris. Hebetati cordis est indicium, propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, verum est; si non est nimia: alioqui non dat intellectum, sed contemptum.* Galat. 3.

Seruitutis illius hic meminisse videtur Apostolus, quæ Christianorum libertati aduersatur, qua credentes, à statu seruorum, in statum adoptionis filiorum vindicati liberantur: de qua, ad Galat. cap. 4. tractat Paulus: Hæc libertas, tres complectitur libertates, népe à

pè à legis veteris, peccati & corruptionis seruitute. Quæ causa est, quod vera Euangelij doctrina, *perfectæ libertatis lex*, vocetur Iacobi, c. 1. Nam in veteri lege, erat libertas à peccato, non quidem virtute legis, sed fide venturi tunc Christi, non tamen filiorum erat libertas, quam consecuti principio suæ conuersionis Corinthij, falsis impostorum persuasionibus delusi, amiserunt, ad legis seruitutem, non secus, ac Sus ad volutabrum reuersi: Et cum à Christo, cœlestis patris filio, veræ libertatis assertore liberati, verè liberi essent pronuntiati, Moysis tamen oneri, sese turpiter subiecerant, cui seruire, ad Gal. c. 5. interdicitur ab Apostolo dicente: *Nolite seruitutis iugo subijci.*

Si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

Deuorare & accipere, synonyma esse arbitratur Theophylactus, quasi eiusdem significationis verbis, vsus sit, vt insatiabilem impostorum ad Pharisæorum imitationem, habendi cupiditatem exaggeraret, quam licet vafrè dissimularent, fucatis tamen verborum lenocinijs, sub prætextu pietatis, bona ipsorum emungebant: Qui, licet Christi documento gratis omnia dare viderentur: omnia tamen apud eos, erant vænalia; licet interim summam, præ se ferrent animi submissionem. Hoc tamen hominum genere, nihil erat arrogantius, nihil superbius: Sic enim Sectarijs natura comparauit, vt cum auari & superbi maxime sint, demissionem tñ animi cũ liberalitate mentiãtur, vt & pecuniæ maximi contẽptores, cum aliquibus Philosophis videantur, & emẽtita animi demissione, sese apud incautos & imprudentiores, qua sunt malitia insinuẽt. Hi verò Pseudoapostoli, p̃ nimio fastu, Corinthios calumnijs & maximis opprobrijs one- ran-

rantes, ceu idololatras contemnere cœperant, sibi magno cum plausu blandientes, quod generis Abrahæ, seminis benedicti germen, populiq; felicissimi, nobilissimi essent posteri.

Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.

Quæ, ait, cõmemoro, & mihi pudorem, & vobis verecundiam attulisse debuerant: Vobis quidem, propter insignem contumeliam, qua vos, onerant impostores, generis obscuritatem, & alia vobis exprobrando: mihi verò, q, in certamen, cum hac infami hõium fæce, sit descendendũ; q̃bus; rixis, contentionibus, iurgijs, fraudibus, & mẽdacijs nihil est iucundius. Sed hęc, seruili humilitate patienter toleratis, quasi non abiecti, sordidi, & nullius authoritatis fuissemus: nec eodẽ, quo illi, imperio in vos vti potuissemus. Et est quasi diceret: Æquiore iure, quàm illi, in vos asperitate poteramus vti, atq; imperium austerius exercere, eaq; oĩa cõstanter audere, quæ illi magno vestro vituperio, dãno, & incom̃odo, sunt aggressi: sed hanc viam, non esse ingrediendam, tacitus apud me iudicaui, ne mea arrogantia, in seruitutem vos à me sensim redigi, possetis conqueri, cum tñ, ad libertatis vestræ vindicationem, oẽs meas cogitationes sẽp reuocàrim. Parenthsien (*in insipiẽtia dico*) inseruit, q̃ respõdet ei sentẽtię, qua paulò ante dixit: *Quod loquor, non loquor secundum Deũ*, vt absq; sum̃a necessitate, in aliqua re tẽporali, caduca, & externa, p superbiã, non esse gloriandũ, doceret. Ideò, tanto artificio, hunc locũ ab Apostolo fuisse scriptum, notauit August. l. 2. de doctr. Christ. c. 7. vt eum, inquit, *non cuiusuis sit ingenij explicare.*

Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego.

Sibi nihil eorum, in quibus Sectarij gloriantur, deesse, atq; adeò illis, se, in hoc esse parem, si non superiorem, probat. In tribus autem, maximum gloriæ suæ pondus reponebant. Primùm in lingua & natione, quod scilicet, ex Hebræis prognati, idioma Hebræum optimè callentes, loquerentur. Communis auté Doctorum sententia obtinuit, Hebrę os ab Heber originé duxisse, cuius caput 11. lib. Genes. meminit, cum, diuisis in terra Señaar linguis, vna familia Heber, integra dicitur permansisse, vt cuius à condito orbe vsus, vsq; ad illud tempus perseuerârat. Nec in altera gloriationis materia, se Pseudoapostolis inferiorem esse gloriatur, q; nempe non solú, ab Heber generis sui originem duxerit, à quo, diuersi ritus, variæ religionis, & prosapiæ hoíes descenderant, sed & Israëlitam se appellat, à cuius stemate, soli Iudæi genus suum reuocabant: *Non enim, qui in manifesto Iudæus est, neq;, quæ in manifesto est, in carne circumcisio, sed qui in manifesto Iudæus est, & circumcisio cordis non littera, sed spiritu*- Tertium, Abrahæ posterum se, non minus, ac aduersarios suos, esse gloriatur: Ex quo conficit, nihil excellentius, secundum carnis nobilitatem, proferre ipsos posse, quod ipse, p se, in medium adducere non possit. Hinc D. Augustin. ex verbis illis B. Pauli c. 3. epistolæ ad Philippens. *gloriamur*, inquit, *in Christo IESV, non in carne fiduciam habentes, quamquam & ego confidentiam habeam in carne*, colligit D. Paulum, nobilem fuisse. *Ne*, inquit, *arbitrarentur aliqui, ideò Paulum contemnere, quæ ad gloriam, secúdum carnem pertinebant, quòd ea ipse non haberet; neq; enim magnum est, si homo ignobilis & abiectus, contemnat nobilitatem,*

Roman. 2.

tatem, & exhibeat humilitatem: ob id Paulus continuò subiecit. *Quamquam, ego in carne confidentiam habeam, circumcisus octauo die, ex genere Israël de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem, Pharisæus. Erant autem viri primarij,* ait Augustin. *& quasi ex nobilitate Iudaica segregati, nec contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi: nam & ipsa vox apud Hebræos, segregationem significat, quemadmodum apud Latinos, egregius dicitur, quasi à grege separatus.* Huic Augustini fauere videntur opinioni, quæ sparsim in Actis, & maximè cap. 9. de Paulo leguntur. Neq; enim, si humilis & abiectæ sortis homo fuisset, tam ferox, minax, infestusq; Christianorum hostis in ciuitate Hierosolymitana, ausus esset ad necem, Christianæ fidei professores, quærereq;cui, nec sacerdotum Princeps, literas contra fidei Christianæ cultores credidisset.

Contrariæ sententiæ videtur fuisse Chrysost. qui eum inopem, & coriarium fuisse dicens, ex cap. 1. prioris epistolæ ad eosdem Corinthios, suam opinionem confirmat. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, quia non multi nobiles, non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEVS, vt confundat sapientes.*

Benedictus Pererius, Paulum more Romanorũ pro nobili non esse habitum arbitratur, apud quos, opificium & professio mechanicarum artium, nobilitatis rationem excludebat: Sed tamen apud Iudæos; res forte se aliter habebat; qui nobilitatem potissimũ metiebantur, claritate tribus, & antiqua familiæ dignitate; quemadmodum Ioseph, Deiparæ Virginis sponsus, artis erat fabrilis, sed quia erat de tribu Iuda,

& familia Dauid, sine dubio nobilissimus erat. Iam verò tribus Beniamin, ex qua Paulus erat, multis nominibus erat nobilis.

Ministri Christi sunt, & ego.

Hactenus in his, quæ secundum carnem sunt, aduersarijs, se parem, si non maiorem fuisse ostendit: hic, in his, quæ secundum DEVM, sunt, potiores à se partes teneri, confirmat: quemadmodum prioris epistolæ, capite quarto, *Sic nos existimet homo* (dicebat) *vt ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum DEI*: In quo ministerio, rerum suarum omnium summam contineri, & totius vitæ cardinem versari, sæpissimè contestatur: nam cùm de mundi, siue carnali gloria, verba facit, eam, vt stercora reputat, apertè clamans: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI.* Ideo adiũxit, *vt minus sapiens dico, plus ego*, quasi aduersarijs, si DEI dona spectes, & duros labores, pro Euangelio susceptos accuratiùs consideres, se longè improbis illis Sectarijs & impostoribus, superiorem ac iustiorem fuisse (pròtestando tamen id ex arrogantia se non facere) confirmet.

Galat 6.



In

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

Eorum itaq;, qui iactanter nimis, in magnũ veritatis religionisq; Christianæ p̃iudiciũ, aduersus ipsũ, se extollebant: q̃d Euangelij causa lubens, perpessus fuerit, ac intrepidè tolerarit, inuit⁹ tñ & quodã modo cõpuls⁹ aspicienda, illorũ ponere ob oculos aggredit̃. Ac primũ, *labores suos*, quos assiduè & duriter exantlabat, in genere cõmemorat, quibus adstruere legitimã ministerij sui, tũ vocationẽ, tum authoritatẽ, tum dignitatẽ nititur: Qui n. audebat dicere, xp̃i causa, se plus alijs Apostolis laborâsse, quomodo Pseudoapostolos, durorum laborum magnitudine, non superauit? cùm hoc vno symbolo, se dixisset Dñs ei esse ostensurum, ipsum esse in Apostolorũ ordinẽ legitimè cooptatum. *Ego*, inq̃t, *ostendã illi, quanta eũ oporteat pro nõie meo pati. Se carcerib⁹*, inprimis, frequentius mancipatum fuisse subijcit; in quibus ministerium suum constantius, quã Pseudoapostoli, defendebat: Pari modo, atrocia verbera, fortiter ferebat, quemadmodum narrat in Actis, Lucas, c. 16. *Cum multas plagas eis intulissent*, inquit, *miserunt eos in carcerem, &c. Misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.* Pari animi fortitudine creberrima crudelis mortis pericula adisse, facit ibidem Lucas testatum: *Lapidantes Paulum*, ait, *traxerunt eum extra ciuitatem, existimantes eum mortuũ*: Se n. ex eorum esse numero sciebat, qui, vt ouis occisionis, esset iã morti deputatus, licet innocens: De se n. ad Rom. c. 8. q̃, Psalmographo dictũ erat p̃nunciabat: *Quoniã p̃pter te mortificamur tota die,*) Act. 9.

æsti-

æstimati sumus sicut oues occisionis, & hoc propter acerbos mortis dolores, quos fidei, & iustitiæ causa, iugiter tolerabat: Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Vnde prioris ad Corinth. cap. 15. dicebat: *Quotidie morior propter vestram gloriam*, sicut & supra, cap. 4. *semper nos, qui viuimus, in mortem tradimur.*

A Iudæis, quinquies quadragenas, (vna minus) accepi, ter virgis cæsus sum.

Adiectiuo *Quadragenas*, respondet substantiuum *Plagas*. Quinq; vicibus, se à Iudæis vapulantem, singulis triginta nouem accepisse verbera, siue ictus recenset. Deuteronomij enim c. 25. postquam dixerat Dominus, *delicti mensuræ, plagarum respondere modum debere*, præcipit, *vt triginta nouem plagis emendarentur, qui commeruissent.* Nam, qui vltra quadragenas, vapulando accepisset, honorum & dignitatum erat in posterũ immunis. Licet porrò Iudæi, minus quadraginta verberibus, sæpe præter legis mentem, sontes onerarent, quia tamen Paulum oderant, ait D. Thomas, ad amussim, nihil ei remittendo diligenter exequebantur, q; lex præcipiebat. Virgis cæsum fuisse Philippis, Paulũ à gentilibus, narrat c. 16. Act. D. Lucas, sicut & lapidibus, in Lycaonia, ita fuisse obrutum commemorat, vt seminecem, vix ex suis manibus, ipsum dimitterent.

Quod verò attinet ad profundum maris, in quo se nocte ac die fuisse Apostolus tradit, cum multæ ea de re adferantur interpretationes, ait Cardinal. Baronius, haud displicet, quod apud Bedam, legitur ex Theodoro, fuisse teterrimũ oĩm eo nomine carcerem Cyzicenũ, q̃ ex eo, q; altissimus esset, adeoq; deorsũ depressus,

meritò

meritò profundum maris ſit dictus, illi ſimilis, qui erat Athenis famoſiſſimus carcer, Baratrum appellatus, vel qui Syracuſis, Latomiæ nominatus, & qui Romæ, nuncupatus Tullianus, aliqua ex parte prædictis comparandus, hi enim nominatiſſimi, omnium habebantur. At licet neq; in Actis, à Luca conſcriptis, nec in Epiſtolis Pauli, habeatur aliqua mentio de Pauli Cyzicum aduentu, tamen cũ conſtet illum veniſſe Troadem, Cyzicum itidem in Propontide ſitum cõſcendiſſe, par eſt credere: nam cum Strabonis ſententia, lib. 12. ea ciuitas, ob magnitudinem, pulchritudinem, & legum grauitatem, bello pacique accommodata comparari poſſet, cum principibus Aſiæ vrbibus, quæq; (vt idem ait) iiſdem prædita eſſet ornamentis: quibus Rhodiorum, Maſſilianenſium, & Carthaginenſium nobiliſſimæ ciuitates, à Paulo non fuiſſe neglectam, par eſt credere. Naufragij autem in tertium diem per peſſi, prorſus in ſuis Actis, Lucas, nihil meminit: Scitè tamen admodum animaduertit Dñ. Baronius, malè illos putare, qui naufragium apud Melitam, factum exiſtimant quod Lucas narret, vnum fuiſſe è tribus à Paulo numeratis, non animaduertentes, inquit, ſecundam epiſtolam ad Corinthios, longè ante naufragium, eſſe ſcriptam.

In itineribus ſæpe; periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, &c.

Licet iuxta Sapientem, prouerb. cap. 4. *Iuſtorum greſſus dirigat Deus, & eorum itinera in pace producantur;* Corporis tamen greſſus, ſæpenumero impediuntur, à mentis viâ, quæ ſecuram tranquillitatem ſæpenumero

corpore molestiam patiente experitur; Hinc est, quod in mortalis huius vitæ ad cœlum profectione, frequenter admodum deprecatur Deum, Regius vates, *vt dirigat in conspectu suo viam* suam, *deducatur in via Domini*. Inter cætera narrat Lucas Act. 24. insidias, quæ Paulo in quodam itinere acciderunt, in quo *Iudæi se deuouerant nihil gustaturos, donec Paulũ occidissent*. (*Periculis ex genere.*) Diuersa discriminum genera recẽset, quibus, se murũ pro Dei domo opposuisse, constanter & infracto animo gloriatur, enumerans, iuxta parœmiam, miles vulnera, sicut pastor oues: Ac inprimis, se iuxta Eccles. cap. 34. aliquoties, vsq; ad mortem periclitatum religionis causa, sed gratia Dei liberatum, fuisse dicit. *Spiritus enim timentium Deũ quæritur, & in respectu illius benedicetur: Spes n. illorum in saluantẽ illos, & occuli Dei in diligentes se.* Quasi diceret Apostolus, causa Corinthiorum, plurima discrimina sum perpessus, sed liberatus sum gratia Dei. Paulo n. sicut & aliis iustis, iuxta Esaię c. 32. promiserat Deus, *noli timere, cum pertransieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te*. Dicit etiam: *Se periculis ex genere* & *ex gentibus liberatum*, vt nec domi, nec foris, prædicati Euangelij causa, sibi tutum locum fuisse insinuet: Cum enim Christum crucifixum, *Iudæis* (quos genus suum appellat) *scandalum, gentibus verò stultitiã*, intrepide *annunciaret*, nil nisi à Crucis Christi hostibus, præter mortem poterat expectare; Nam, nec sibi in vrbibus muratis, in quibus asylum quæri debuerat, satis cautum fuisse subiungit, quemadmodum Acta Apostolica c. 19. de Epheso; & c. 15. de Cor. testant̃. Imò nec in solitudinibus, desertisq; locis, securitatẽ, aut refugiũ inueniebat, in quibus, ipsi vel belluę ipsę vel latrones, vel coniurati hostes insidiabãtur. Qua, periculorũ ampla enumeratione, se nusquam

Psal. 5. 85. 138.

1. Cor. 1.

nusquã, vel fidem, vel asylũ, vel amicitiã reperisse fidei causa, dicit, vt eò gloriosius, ministerij sui functionem amplificet. *Periculis in falsis fratribus.* Cum nec terra, nec mare, Paulum ferre possent, hæc vna consolationis humanę spes, afflictũ poterat erigere, quod extremi exitij solatium, apud amicos, eandẽ fidẽ & religionẽ profitentes, esset reperire: sed, & ibidẽ, longè falsus est opinione: Quæ causa est, quod hoc genus discriminis, vltimo loco, iuxta D. Thomam, tanquã acerbissimum & molestissimum posuit. Dicere n. Paulus cũ Christo post Psalmographum, Psalm. 40. poterat. *Qui manducat mecũ panem, leuauit calcaneum contra me*, hoc est, mei familiares quos amicissimos expectabã, me supplantabant, id est, in fraudẽ & ruinam impulere, quod antea Iudas, Christo fecerat, osculo pacis ipsum prodendo, & sub specie discipuli, magistrum occultè persecutoribus vendẽdo; à quibus, est morti traditus. Inde est, q, Dauid, ceu iustorum typus, de huiusmodi proditoribus conqueritur, Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;, &c. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Cum n. homo Apostolicus, consideret, non solũ ab extraneis & inimicis, sibi insidias & tribulationes imminere; verum etiã, à familiaribus & amicis, certam sibi securitatem nõ audere polliceri, hoc sanè hominẽ verè etiam sapientem excruciat, nimirum ab iis, quos habere coniunctissimos existimat, pati calumniam.

In labore, in ærumnis, in vigiliis multis, in fame, & siti: in ieiuniis, in frigore & nuditate.

Labos, ad manuales operas referri debet, quas se nocte dieq; exercuisse 2. ad Thessalonicenses cap. 3. affirmat. Vnde Haymo: *Apostolus à mane, vel pullorum cantu, vsque ad quintam horam, labori manuum insistebat, vnde victum acquireret, & exiens vsq; ad decimam, publicè disputabat, plerumq; tamẽ, & in noctem protrahebat sermonem.* Vox *ærumna*, deiecti corporis languorem ex diutinis laboribus, frequentibus exercitiis, morbis, & afflictionibus assiduis, vigiliis, profectum importat. Licet verò ipsius viscera, spiritu & cælesti consolatione reficerétur, secundum quod Prouerb. 10. scriptum est; *Non affliget fame Dominus animam iusti*, carnem tamen, siue corpus ipsius attenuatum fuisse extrinsecus inedia fameq́ue ac Psal. 108. siti certum est, quemadmodum, *genua sua infirmata à ieiunio fuisse, & carnem suam attenuatam ac immutatam, propter oleum*, ingemebat Regius vates.

Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.

Demptis ijs, ait, quæ corpori molestiam & cruciatum afferunt incredibilem, alia etiam sunt, quæ cordi, siue animo ægro & afflicto dolorem iugiter infligunt. Talia erant insidiæ, factiones & coniurationes contra se Iudæorum; &, quæ ab Ethnicorum flaminibus, siue sacerdotibus incessanter ipsi Paulo tendebantur: Item à populis, motæ contra eundem seditiones: præterea consilia & machinamenta contra eius doctrinam & Euangelij propagandi cupiditatem. *Dei* siquidem *verbum* (vt Timotheo suo præcipiebat) *cum opportunè prædicaret, & importunè* apud incredulos *instaret, iam docendo,*

cendo, iam monendo, iam adhortando, iam culpando, gregis etiam tibi commissi solicitudo, ipsum maximè anxium reddens, momentis propè singulis, discruciabat Apostolum, cùm eas maximè ab infidelibus diuexari, & inquietari Ecclesias audiret, quas Christo prædicatione sua, magnoq; labore, lucrifecerat. Non aliam enim, (si non maiorem) curam eorũ, quos Christo pepererat, gerebat, ac recenter primogeniti mater, & quã nutrix lactantis infantis, noctesq; diesq; habet. Quem vt, nam etiam hodie imitari disceremus, quotquot pastorum munere & officio in Ecclesia censemur. *Cor* siquidem, quemadmodum supra cap. 6. dixerat, *latissimum* habebat, cuius extensa & expansa amplitudo omnium Ecclesiarum solicitudinem, anxiè in se complectebatur. Cum enim, vt psalmo. 77. scriptum est, *deducere populum sibi creditum vellet, tanquam gregem in deserto,* è contrario rapaces feras, hoc est, Tyrannos, persecutores, Pseudoapostolos coadunatum fidelis populi cœtum, conari dispergere, ac perdere intelligens, maximo animi mœrore cruciatus premebatur, qui quasi constrictus coram ipsis, vt olim corã Labano Iacob; fidẽ quidem & diligentiam suam probans & conquerens, dicebat: *Ego omne damnum reddebam: quicquid furto peribat, à me exigebas, diu noctuq; æstu vrgebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Sed tamen, nec animi tranquillitatem, nec corporis solatium, vsq; inueniebat. Vnde subdit. Gen. 31.

Quis infirmatur, & ego non infirmor?

Vox *infirmari*, dolere & pati, phrasi Hebræa, significat; In qua significatione, Michęę 4. c. sumitur; Vbi n. dictum est: *Dole & satage filia Sion.* Hebraicẽ habetur, *infirmare, & satage.* Sic Hamos 1. Cap. 6. cum dici-

tur; *Et nihil patiebantur super contritionem Iosephi*: loco *patiebantur*, Hebraicè dicitur, *infirmabantur*. Dolorum acerbitatem, qua fideles affici percipiebat, suā esse Paulus existimans, non aliter affligebatur, quam cętera corporis membra, si quod eiusdem corporis membrū, dolere, siue languere contingat. Quod ipsum, prioris epistolæ cap. 9. insinuabat, cum diceret; se *infirmis factum esse infirmum, vt infirmos lucrifaceret*; eis nempe, condescendendo, quos vel animi, vel corporis ægritudine cognouisset laborare. Hæc enim boni pastoris obligatio, ex duplici charitate ortum trahens, non tantum in eo consistit, vt singulorum curam habeat diligentem, ouibus idonea pascua proponat, eas sana doctrina exhortetur, &, vt ante eas forma gregis factus, vadat; sed etiam, vt vbi res postulat, vitam ipsam, & sanguinem, pro salute gregis fundere nō dubitet. Hoc autem erga Christum, suam ipsius charitatem, à se sentiebat exigere, vt eum plus aliis diligens, oues, Christi personam indutus, sic pasceret, vt sola eius esset voluptas, facere voluntatē eius, qui eum misisset, nempe, *vt perficiat opus, eius*: Sicut de seipso Christus loquebatur; Ideò 1. Cor. c. 15: dicit Apostolus, *se quotidie mori pro Corinthiorum gloria*, quam habebat in Christo Iesu Domino nostro. Eandē n. ab iis, qui eius vicem in terris gerunt, videtur Dominus affectionē desiderare, quā Reges terrę, in suis gubernatoribus, & Rectoribus seligendis, habēt, nempe, quos sibi fidelissimos, & honoris regij studiosissimos fore arbitrantur.

Quis scandalizatur, & ego non vror?

Hoc etiam, ad intrinsecas extrinsecasq; tribulationes miram anxietatem adiungebat, si quos, vel aliorū etiam Christianorum perfidia, in errores labi, vel impiorum

piorum prauæ vitæ exemplo, in peccata ruere cognouisset. Adeo n. compatiebatur delinquentibus, vt se ex nimia charitate, alienis peccatis lancinari, sentiret, cũ eorum ruinam, defectus & perditionem, madentibus oculis deploraret; tanquam, si priuatum damnum, & propriam perditionem lugeret: Hæc est n. charitatis natura, vt omnia, tam fęlicia, quàm aduersa, communia bonis & probis hominibus faciat. Fortè quod verbum, *vri*, ad ignem referri possit indignationis, cum ita grauiter, & iniquo animo, eorum nequitiam ferret, qui fidelibus labẽdi in peccata, dedissent ansam & occasionem. Quoad primum, dicebat Regius vates: *Defectio tenuit me, pro peccatoribus delinquentibus legem tuam.* Quoad alterum, ibidem: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Nullus*, dicit Chrysosto. Homil. 2. de laudibus Pauli, *sic sua defleuit peccata, sicut Paulus aliena: Ideo optabat anathema esse, pro fratribus suis in carne.* Vnde acerbius tulit illos non saluari, quã seipsum perire. Cuius affectus, sunt etiam illa verba: *Quid eligam ignoro: Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius. Permanere autem in carne necessariũ propter vos. Et hoc confidens, scio, quia manebo, & permanebo ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Certè eos, in quibus sunt flagrantis charitatis indicia, Deum suo populo præficere solere, de Moyse, de Petro & nostro Paulo, his verbis notat S. Aug. *Petrus* ait, *post percussum gladio Malchũ, factus est Ecclesiæ pastor: Moyses post percussum AEgyptium, quem abscondit in sabulo, factus est Rector synagogæ. Pauli sæuitia, Ecclesiam persequentis, siluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis indicium, quemadmodũ ex ipsius charitatis visceribus, patet, vbi malorum, quæ fideles patiebãtur, se participem scribit.*

Psal. 118.

Philipp. 1.

Si

Si gloriari oportet; quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.

Cum, inquit, gloriari, me necessitas cogat, de doloribus, angustiis, & calamitatib⁹, quas Christi nomine sum passus, gloriam & claram famam, apud omnes, per piam ambitionem; sine tamen inani iactantia, sectabor. Quærant interim Pseudoapostoli, in Iudaicis cæremoniis nomen; in Moysis, & in veteris legis mirabilibus, & in suis meritis, supra seipsos, ambulent; ego illis omnibus iam crucifixus sum, & omnia mihi sunt,
1. Corinth. 9. præter crucem Christi, crucifixa. *Bonum enim magis est mihi mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.* Nam omnis actio, ad crucē relata, crucis gloria clara est; & quicquid in virtutibus dignum, à quolibet perpetrari potest, hoc fit, ob Domini passionem & crucem: Ideo in ea, quæ est ad Galatas, se Domini Iesu *stigmata*, hoc est, militiæ Christianæ insignia, crucifixiones scil. subiectiones &c. portare, & spiritus fructus, ex ijsdem producere, gloriatur; quæ non aliter, ac victor aliquis, de hoste triumphans, tanquam trophæa & gloriosæ victoriæ monumenta, iugiter pro Christi nominis honore, in corpore suo circumgestabat. Ex quibus, infirmus & abiectus externè, & ad oculorum sensum, passim iudicabatur, licet intrinsecus, ob securæ & integræ conscientiæ testimonium, ei omnia aduersa, essent tanquam iuge conuiuium.

Deus,

Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.

Quia plurimis, ad gloriæ suæ cumulum narratis, multa adhuc commemoranda restabant incredibilia & admiranda: ideo Deum, super omnia laudabilem & reuerendum, qui *& Domini nostri Iesu Christi pater est*, vocat in testem infallibilem, ne cui dubium esse possit, quin vera sint ea, quæ tum affirmauit, tum postea est commemoraturus: Neq; enim, vt aliqui opinantur, ad historiæ illius duntaxat, quæ Damasci contigit, confirmationem, hoc iusiurandum est interpositum, sed ad omnium, quæ toto hoc capite narrantur, stabiliendam veritatem, & sibi conciliandam fidem.

Damasci præpositus gentis Aretæ Regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestrã in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

Huius loci historia, ex Act. cap. 9. clara est, vbi cõtemptis Iudæorum, qui Damasci degebant, contra se insidiis, quibus ad necem quærebatur Apostolus, fuga sibi fratribus iuuantibus, consuluit. Damascenæ n. vrbis portas, noctes & dies custodientibus Præfecti ciuitatis iussu, ad Iudæorum instantiam, excubitoribus; ex mœnibus in sporta demissus, effugit præsens intentatæ mortis discrimen. Non q; mortẽ tantopere sibi formidandam statuerat, quasi degener Christi miles Apostolus, qui tot tantaq; de se gloriabundus iactârat: sed

quia propria fœlicitate fructũ Ecclesię, & proximi vtilitatẽ habebat antiquiorẽ, quemadmodũ de se, in ea, quę est ad Philip.c.1.dicit; *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Coarctor aũt. è duobus, desideriũ habens dissolui, & esse cũ Christo, multò magis melius, Permanere aũt. in carne necessariũ propter vos: Quasi diceret:* si darẽt optio, vtrũ mori, an viuere mallet, nõ facile sciret, quid respondẽdo, esset electurus, q. mori & esse cũ Christo, sibi meli⁹ foret; viuere aũt. magis necessariũ arbitrarẽt, ob fratrũ salutẽ & spirituale emolumentũ. Ex quibus, liquidũ fit, instante mortis periculo, nõ sem p diuinũ auxiliũ duntaxat esse quęrendũ, vbi humanę opis suppetunt p̃sentia presidia: Qui n. solius Dei pręsidio, humanis cõsiliis suffragantibus, nititur, Deũ videtur tentare: At cũ hæc deficiunt, *& ignoramus quid agere debeamus, hoc solũ habemus residui, vt oculos dirigamus ad te, dicebat Rex Iosaphat.2.*paralip.20.c. Sic etiã, fuga arrepta sibi, cõsulere, nõ sem pest timidi, infidi, & parũ constantis animi: nã fugiebat eorum hominũ fauorẽ Domi⁹, qui diadema eius capiti volebãt imponere Ioan.6. Sed ex laudabili animi demissione, sicut fugiebat domi Saul absonditus, cũ altera vice, iñ regẽ deberet vnctus proclamari, 1.Reg.c.10. Cum gerula Matre fugit Christ⁹ adhuc infans in Ægyptũ; & hoc Dei consilio, vt manus euaderet quęrentiã animã ipsius ad interitũ. Qua ratione; lapidantiũ Iudęorũ saxa deuitans, tẽplo secessit Dominus, irã & furorẽ declinans, ne ante mortis suę decretũ tẽpus, ab impiis interficeretur. Ioan.8. Eodẽ modo, Iesabelis minas & retia, sibi cauens, euasit Helias, cũ ab ea, caput suũ quęri cognouisset. 3.Reg.19. Quę fuga, Christi documẽto cõformis est. Matt.10. dicentis, *si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. Fugit* quidẽ *Ionas, à facie Domini,* sed malè, quia ex inobedientia & inani timore hãc fugam

Diuersi fugiẽdi modi.

ceperat. *Rapiente lupo, mercenarius,* Ioan. 10. *fugit,* sed nequiter, ĩpiter, & timidè, quia boni pastoris est, ad Christi imitationem, *animã p ouibus ponere,* sicut Dauid, & alij boni pastores fecerũt; fugiunt etiã, nemine persequente, impij, quia mundi terriculamentis decepti, formidant vmbras. Vbi aũt. singularis personę vita periclitaĩ, rectè eadẽ fuga cõseruatur, qua ratione Heliseus 4. Reg. 6. c. dicebat. *Nũquid scitis, q filius homicidæ, huc miserit, vt præcidatur caput meũ?* libenter n. occasione data fugisset, sicut Aretę (q Tetrarchę Herod. socer erat, & Arabię Petreę, vrbi Damascenę vicinioris dominabaĩ) tyrañidẽ euasit Apostolus, de qua euasione, propterea gloriatur, q, sagaciter, suo tẽpore, tẽdiculas & pericula prudẽter fugisse, sit aliquo modo vicisse. Hui⁹ porro veritatis assertionẽ, interposito iureiurãdo, in hũc locũ distulit, vt Corinthij inueteratũ Iudęorũ odiũ, cõtra Paulũ, peniti⁹ intelligentes, Pseudoapostolorũ authoritati, nõ tantũ deferrẽt: Cũ n. acre bellũ inter Romanos, & Aretã Regẽ conflatũ esset, ait Cardinalis Baronius, facilè fuit dicto Regi, ac ministris eius, à Iudæis Pauli hostibus suaderi, q ciuitatẽ ac regionem, prætextu alterius occasionis, idem venisset exploraturus: quippe, qui non tantũ Damascum, sed & Arabiã (in quã, vis belli videbatur conuerti) inuisere abiisset. Sicq; Regis ministros, in eum cõcitasse, vt omni studio inuigilarent, vt eum caperent atq; necarent.

CAPVT. XII.

Si gloriari oportet, (non expedit quidem.)

Posteriore vndecimi capitis parte, eorum, quæ gloriæ Christi causa, fortiter tolerauerat, prolixa cõmemoratione, gloriam captare visus est, heroica sua facta appellans, *infirmitatem*, quod hominum, qui directum miseriarum & laborum pro iustitia susceptorum, finem communiter ignorant, opinione, abiecta & contemptionis plena æstimentur, vt quæ magis per querimoniam, passim deplorari soleant, quàm per iactantiam, pubilcata laudibus

efferri: Quotus enim quisq; est, qui fælicem & beatum iudicet eum, quē calamitates, verbera, persecutiones, assidui cruciatus, paupertas, mortis pericula, continuo exercent? In iis tamen, iusti homines, magnum gloriæ suæ pondus & momentum esse positū arbitrantes, aduersa quæq; in lucro ponunt, & de his, nominis celebritatem apud Deū aucupantur, sed absq; superbię periculo, sine ambitionis discrimine, & remota omni virtutis & meritorum amittendorum iactura. Verum, vbi diuina in se dona & beneficia cōmendaturus est Apostolus, quia inanis iactantiæ suspicioni videri possent obnoxia, de se abiectè sentiens modestius loquitur. Ideo dixit, *non expedire* (quoad suas partes scilicet) de iis gloriari. Quasi diceret: Vobis quidem, ô Corinthij vtile est, quæ Dei sunt, in me beneficia, ex mea narratione cognoscere, vt vobis constet, quis tandem sit ille Apostolus, quē Pseudoapostolorum intuitu, iam cœpistis contem, tū despicere. Quæ dignitatis meæ sunt percensere, non quidem expedit, ne vel iactabundus videar, vel concepta de aliqua mea superbia opinio, sit aliis ruinæ & offensionis occasio. Hugo tres rationes affert, de donis, cur gloriari nō expediat, primū ne euanescant, vel in nihilū redigantur, iuxta Eccles. c. 43. *Aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebulæ, quasi aues*. 2. ne deuotio sicut pinguedo veniat ad os bullientis ollæ, & pereat. Tertiò quia qui gratiæ munera publicè iactat, prædę periculo se se exponit: *Deprædari n. desiderat*, ait Gregorius, *qui Thesaurum publicè in via portat*. In cuius typum, Ezechiæ dictum est, postquam nunciis Nabuchodonosor, suos thesauros ostendisset, *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt*, Esaiæ. cap. 39.

Veniam

Veniam autem ad visiones, & reuelationes Domini.

Necessitate coactus, Apostolus quæ licét, & proximis suis conducunt, tametsi autem non sibi semper expediant, inaudita Dei, in se, beneficia recensere aggreditur. Ac primũ, visiones & reuelationes, sibi à Deo factas commemorat quæ, tanquam certa diuini erga se fauoris indicia fuisse ostendit; Sub tertia tamen quasi persona loquitur, quod insignis modestię est inditium; Nam quæ suarum sunt laudum, sub tertia persona quasi de alio loquens, pronunciat, quæ autem vitæ suę anteactę contra fidem, & Christianismum facta dictaq; sunt, in prima persona eloqui sapienter consueuit. Vox n. eius est, scribentis ad Timotheum, *Prius blasphemus fui*; alibi; *audistis conuersationem meam in Iudaismo, quia supra multos coætaneos in genere meo persequebar Ecclesiam Dei &c.* Cũ enim, *iustus sui sit accusator*, tũ viros sanctissimos prętеritæ vitæ errores non diffiteri, sed publicare solere scriptura sacra comemorat, vt cæteris hoc facto, rectum ad pœnitentiam iter ostendat. Sic Matthęus se *publicanũ* fuisse narrat, Zacheus *se alios decipiendo peccasse* fatetur: Filius prodigus ita se Deum offendisse agnoscit, *vt cælum se indignum qui aspiciat* dicat. *Reuelatio*, à visione in hoc discrepat, quod ea videri dicantur, quę siue corporea, siue imaginaria visione, alicui ita repræsentantur, vt tamen intelligendi vis visa, quæq; repræsentata sunt, non comprehendat. Qua ratione, Balthasar, manum scribenté vidit, Dan. 5. & Pharao spicas, Gen. 41. ille vigilans, iste dormiens; quę tamẽ, quid portenderent, nõ capiebãt. Ioseph auté & Daniel, visionũ interpretes, reuelationé, dicũtur habuisse, alij visiones

tantũ: simul tamẽ aliquãdo coniungunt, quãdo scilicet, vtrũq; vni fit, Sicut Dan. c. 7. *vidit bestias ascendẽtes de mari, &* intellexit, quid significarent. Fiũt aũt. subinde, Dei permissu, eiusmodi visiones opera Dęmonis, sicut Prophetis Baal, vsu venisse narrat scriptura. Sãctis vero hominibus sp̃s sancti suggestione, atq; opera, sicut Petro Act. 10. Itẽ Paulo, Act. 22. & alibi, quib⁹ res non modò spectãdæ ꝓponebãtur, sed & ꝑspiciẽdę ac interp̃tandę, declarabãtur.

Scio hominẽ in Christo, ante annos 14. (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit) raptũ huiusmodi, vsq; ad tertiũ cœlũ.

Se hominẽ, in Christo (q̃ ei ꝑ sacramentũ fidei nẽpe Baptismũ insitus, & ꝑ gratię donum, eisdẽ esset conformis, & cõiunctus) dicit raptum, hoc est, supra naturę vires, eleuatũ, & in ecstasi positũ, diuinę illuminationis radio, à terra vsq; ad tertiũ cœlũ, in momẽto translatũ: Nescit n. tarda molimina, sp̃s sancti gratia, vt est apud S. Amb. Quomodo narrant Acta Apostolorũ, c. 8. *Spiritũ rapuisse Philippũ* & Paulus, prioris ad Thess. c. 4. nos cũ xp̃o, in aera rapiendos dicit. Hoc aũt. ante quatuordecim annos ait contigisse, vt ex tẽporis ratione, excessus huius certitudine cõprobata, gloriandi necessitatẽ manifestaret, vt q̃ integros años quatuordecim celauerat arcanũ, prodere eo demũ tẽpore fuerit coactus. Nõ tamẽ illo triduo cõuersionis Pauli, in q̊ nihil dicitur vidisse, nihil comedisse, vel bibisse, hic raptus cõtigit, quẽadmodũ grauissimi quidã authores sunt arbitrati, sed anno circiter octauo, à sua conuersione; q̊ tẽpore, cum Tharsi mansisse licet ex his coniicere, quę narrat Lucas in Actis Apostolicis, c. 9. & 11. D. Baronius Añaliũ tomo 1. Año Christi 45. hãc posteriorẽ ad Corinthios scriptã

facit,

facit, Anno secundo imperij Neronis. Ex quo, sequitur, duodecim forte annis, ante principium Neronis imperij, raptū illum Pauli esse factū: Id autē est, in principio imperij Claudij cęsaris, qui proximè ante Neronē, & per annos fermè quatuordecim, Romanū imperiū obtinuit: Paulus aūt. conuersus est ad Christū, anno secundo, post eius passionē, hoc est anno 20. imperij, Tiberij cæsaris; A quo anno, vsq; ad annū primū Claudij, numerantur octo añi. Tres scilicet, reliqui ipsius Tiberij, & quatuor fermè Caligulę. Imperauit n. annis tribus & 10. mensibus. Cui Claudius, in Romanorum Imperiū proxime successit. Hęc ferè, subducta tēporum ratione D. Baronius. Quęnā autē illa fuerint, q̃ audiuit & vidit, ne frustra laboraret, humana pręsumptio, ineffabilia esse dixit, adeo vt ea inuestigare, oleū sit & operā perdere. Si n. Paulus nescit, quę sensit, frustra argumentis adductis, ea scrutando, vel assequemur, vel comprehendemus. Nam quod aliqui in tertio cœlo, ea didicisse diuinant, quę ad gentium conuersionem, & ad constituendam Ecclesiam spectant, vero nō est simile. Hoc enim in illo triduo suæ conuersionis, per diuinam reuelationem, & ab ipso, ad se misso Anania, didicit nempe disciplinam Christanæ fidei & doctrinam Euangelicam, sicut ipse initio Epistolæ, ad Galatas, gloriatur, vocans se *Apostolum, non ab hominibus, neque per honem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem;* quemadmodum ipse Paulus manifestum eius dedit indicium. Statim enim post conuersionem suam, cœpit euangelizare fidem, & acriter disputare cū Iudęis, quos euidenter conuincebat ex scripturis, *demōstrans Iesum esse Christum.* Cardin. Baron.

stum. Quod auté; Paulus tũc didicerit à Deo euangelicã doctrinã, tradit Beda, in suis retractationibus, in librũ Lucę, de Actis Apostolicis, super c.9. & author historiæ scholasticę in c.46. historię suę sup eũdẽ lib. Luc. D. August. triplicis cœli nomine, tria genera visionũ videtur intelligere, vt primũ cœlũ, corporalis sit visio, cum Dei munere, quędã corporaliter vident, quę sensus feriũt, quemadmodũ Helis. 3. Reg. 6. vidit ignitos currus, cũ raperet Helias. Secundũ cœlũ, imaginariã spiritualem visioné interp̃tatur, cũ aliquis in extasi, vel somno, non corpora, sed Deo reuelante, rerũ imagines contuet, sicut Petrus linteũ in aêre, plenũ animalibus vidit. Tertiũ cœlum, visioné intellectualé exponit, quãdo scilicet nec corpora, nec corporũ imagines, sub alicui⁹ aspectũ cadũt, sed in incorporeis substantiis, intuitus mẽtis, diuina operante potẽtia, figitur. Atq; hoc tertio modo, videtur Augst. existimare, Paulũ fuisse raptum, ita, vt Deũ nõ in imagine, aut effigie aliqua, sed in se conspexerit. Dicit verò, se ignorare, an visionis tempore, anima ab ipsius corpore separata p morté ita fuerit, vt transeũte visione, anima rursus corpori diuinitus cęperit, vti antea, adhęrere; Quod ita exponi potest, vt si tũ corpori anima adhęserit, vsu suo corporis sensus planè iacẽtes, fuerint destituti, cũ anima (vt author est D. Aug. libro de quãtitate animę) in contẽplatione videat pulchritudiné per pulchritudiné, quia adhuc videt eã, per imaginationé, sed in tantũ, pulchritudini illi intẽta est, vt ei videatur, q eam nõ intueatur per imaginationé, de qua nõ cogitat, nec etiã de ipsa: Et tunc deficit in salutare suum anima, quę vehementi ac nimio desiderio, & prę expectatione, nimis in illa meditatione anxia veluti deficit, ad prosequendã beatitudiné suã, & summum bonũ suum siue fœlicitaté veram.

Quando Paulus didicerit fidei Christianæ doctrinam.

Triplex visionis genus.

Et

Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit.) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Licet, duos Apostoli raptus fuisse, doceant S. Epiphanius, & Methodius, vnum in tertium cælum, alterum in paradisum, verius tamen sentiunt, qui vnum duntaxat fuisse existimant. Atque id, quod paulo ante, *tertium cælum* vocauit Apostolus, nunc paradisum appellauit. Quod, vt facilius percipiatur, sciendum est, non esse eundem paradisum, ex quo eiectus est Adam, & in quem raptus fuit Apostolus; quemadmodum docet Commentarius Ambrosij, in cap. 6. prioris ad Corinth. Vox enim *Paradisus*, vt locum deliciarum & in scripturis, hortum significat, ita pro corporali paradiso sumitur, non solum Gen. 2. & 3. sed etiam Ecclesiastæ. 2.

Vbi n. latine legitur, *feci mihi hortos*, in Hebr. habetur; hortos & paradisos; sicut Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorū punicorum, cum pomorum fructibus*. Interdū autem pro spirituali paradiso accipitur, cuius ille corporalis, figura fuerat: vt Ezech. 28. *In delicijs paradisi fuisti*. Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*: vbi paradisi nomine, Maldonatus, quicquid alij dicant, scite admodum, Abrahæ sinum intelligit, vbi viri sancti interim, dum cæli aditus patefieret, detinebantur. Ille enim locus, pro Paradiso & requietis loco habebatur. In eum enim tanquam voluptatis locum, aut certe quietis, *mortuus Lazarus ab angelis dicitur esse deportatus Luc. 16*. Locus autem omnis, cum paradisus dicatur, vbicunque Chri-

Quid significet, & quot modis accipiatur paradisus.

ſtus eſt, & vbicunque Deus poteſt conſpici; ſequitur non in terreſtrem locum aliquem, euectum fuiſſe Apoſtolum, ſed ſpiritualiter intelligi debere paradiſi nomen, quaſi eximia, & cæleſti refocillatione delibutus, & recreatus fuerit, ſicut fuerat imbutus ſumma dulcedine in monte Thabor, Apoſtolorum princeps: qui dicebat, *Domine bonum eſt nos hic eſſe*, ſicut D. Ioannes Apoc. cap. 2. intellexit, *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*: vbi ſicut per lignum vitæ, beatificam fruitionem intelligit, ita per paradiſum; vel voluptatis locum, vel beatorum patriam, vel Eccleſiam triumphantem, poſſumus explicare: vt Pauli raptus, aliud nihil ſit, quam rerum diuinarum excellens cognitio, ſupra humanæ naturæ vires & conditionem. Cum enim naturaliter, in Deum anima feratur, dum tamen hic ſuperſtes eſt, ferri ſurſum non poteſt, niſi per ſenſibilium cognitionem, ſenſuum vtendo officijs, viribus & adminiculis: Et ideo, cum ad diuinorũ notitiam, à ſenſibus alienata rapitur, dicitur ſupra naturam cognoſcere, quod præter modum, ſibi innatũ, ad cognitionem talem euehatur: Ex quo, veriſimile fit, peracta reſurrectione, glorificati corporis, nullum raptum futurum, eius dotibus, nullum intellectui humano allaturis impedimentum. Dicitur autem *arcana verba*, hoc eſt, in effabiles res, & myſteria diuinitatis inuſitata, quæ humanæ intelligentiæ vim, & mentis cogitationes ſuperent, *audiſſe ſiue vidiſſe*: Idem enim viſio, & auditio ſunt, hoc loco, (vt author eſt Auguſtin9, ad Paulinũ, de Deo videndo) vel quia fas non eſt, lingua humana, (qua diuina potius prophananatur, quam proferantur, (vt eſt, apud Eſaiam, c. 1.) exprimi: quæ ibidem intuitus eſt Apoſtolus; vel quia ſermonis no-

Math. 17.

ſtri proprietatibus, ea facultas deeſt, qua cæleſtia myſteria pronunciari queant, ne dicam comprehenſa, alijs patefieri. Deumne, & qua ratione viderit Apoſtol⁹, hactenus ita diſputarunt ſancti Patres, vt adhuc ſub iudice, lis ſit.

Varios autẽ ſcriptura, modos diſiunctim recenſet, quibus videri Deus dicitur: Primus, quo non in ſe, ſed in ſuis operibus cernitur: Vt enim in opere artifex, aliquo modo videtur, quatenus in eo ars eius manifeſtatur, ſic in rebus creatis, multæ Dei perfectiones cognoſcuntur; vt ſunt eius ſapientia, virtus, iuſtitia: de quo videndi modo, loqui videtur Iob cap. 36. & Paul. ad Rom. cap. 1. cum dicit, inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, conſpiciuntur. Altera videndi ratio eſt, qua DEVS in aliqua ſpecie & figura corporeá, ſiue à ſenſu exteriori, ſiue ab imaginatione videtur. Deum enim in aliqua figura, vt angeli, ignis, ſiue alius corporis, viſum legimus; ideo à Prophetis, in ſcriptura fuiſſe viſus dicebatur, vt patet Eſa. 6. *Vidi Dominum ſedentem*, & Gen. 32. dicit Iacob, *ſe vidiſſe Dominum facie & faciem*, nempe in ijs ſpeciebus, quæ ipſum re præſentabant: & Apoſtolus, ad Hebræos cap. 1. *multifarie multiſque modis olim loquens Deus patribus*, in Prophetis. Tertia viſio eſt, qua Deus per fidem, vel aliquod lumen ſpirituale reuelatum, & per imaginem cernitur, ſicut dixit Apoſtolus, 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate*. Quarta eſt, qua videtur per humanitatem aſſumptam: Qui enim Chriſtum hominem videbant, DEVM dicebantur videre, qui illi humanitati erat vnitus, de qua viſione ſermo eſt Io. 14. *Qui videt me, videt & patrem meũ, quia Pater in me eſt*. Quinta viſio, eſt omnium ſuprema, qua Deus, non in imagine aliqua, nõ in humanitate aſſũpta, non in cre-

Varii modi videndi Deum, explicantur ex Card. Toleto.

atura, sed in suamet essentia, aperte & clare videtur; sicut homo, hominem videt. Et hæc intellectu fit, quia *Deus spiritus est*. Ioan. cap. 4. Et hæc visio est beatorum, de qua dictum est Math. 5. *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. 1. Cor. 13. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*: De hoc modo videndi Deum, sermo est, Ioan. cap. 3. vbi dicit, *quod Deum, hoc est, Trinitatem, siue Patrem & filium & spiritum sanctum, nemo vidit vnquam: Nemo enim nouit patrem, nisi filius, neque filium nisi pater, & cui voluerit filius reuelare*. Math. 11. Et hac visione, vel à Moyse, vel à Paulo, Deum non esse visum verisimile est, cum *Deus lucem inhabitet inaccessibilem*; nempe, ab homine, corporis nexibus, & carcere adhuc mancipato, cum *Deus in tenebris posuerit latibulum suum*. Ideo Moysi dicebat Deus, Exodi, cap. 33. *non videbit me homo, & viuet*, sed cuilibet in suo sensu, hac de re, per me, abundare licet.

Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.

Duo erant in Paulo, sicut in omni homine iusto; vnum, quod ex principijs naturæ profectum est, quod *ad malum ab adolescentia sua, procliue*, multarum miseriarum & calamitatum est causa: Iobi enim sententia hæc est, quod *homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repleatur miserijs*, hoc est, infirmitatibus, partim ex terreno principiorum genere, liberoque arbitrio, profectis; partim à fidei hostibus illatis, Christique causa susceptis, de quibus, se gloriam captaturum Apostolus fatetur; de donis autem diuinis, vt de reuelationibus, & visionibus, quibus abundabat, se potius Deo iugiter gratias acturum, quam per iactantiam, gloriaturum

turum, insinuat; cum ea non suo merito, labore, aut virtute, sed vna Dei gratia & misericordia, sibi contigissent. *Quid enim habet homo*, peccatis & defectibus exceptis, *quod non acceperit? quod si accepit, quam gloriandi occasionem habet?* Esto, raptus in paradisum, abdita & secretiora Dei consilia viderit Apostolus; sed totum id, Dei beneficio ascribendum, cum supra naturæ limites eleuatus, magis à Deo agi, quam agere sit homo existimandus, Ideo iactandi occasionem non habet, cum sui iuris, qui supra se rapitur, non semper sit, sed diuino nutu impellatur, cum contra, in calamitatibus & miserijs humanis, aliquid nostrum sit: Nam, etsi bonæ actiones, Dei gratia nitantur; nostræ tamen sunt, & dici debent: Ideo alibi dicit Augustinus, quod *Deus, cum merita nostra compensat, sua simul etiam dona coronet*, quamuis ex ipsa sui natura, gloriandi materia homini nulla suppetat. Oseæ enim cap. 13. sententia hæc est, *Perditio tua ex te Israel, solummodo in me auxilium tuum.*

Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam.

Laude sua non caret, de Dei beneficijs gloriari, & eius dona vbique magnifice prædicare, quemadmodum ab hominibus iustis, esse factum, frequenter scriptura facit testatum, quando syncere, & prout decet, ea commemorantur, prout ex veteris, & noui testamenti, diuersi generis canticis, hymnis psalmisq; enitescit. Sic vtrique Tobiæ dicebat occulte Angelus Raphael, *Benedicite Deum Cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei quia fecit vobiscum misericordiam suam.*

Luc. 1. Sic Deiparæ virginis *animus, Dominum magnificabat; quia fecit mihi magna*, inquit, *qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius*, &c. Eodem modo, gloriam apud homines, qua decet animi demissione, *Psalm. 4.* sectabatur Apostolus, sed parce admodum, ne *diligere vanitatem, & quærere mendacium videri posset*, ideo subijcit, quo animi ardore, Dei in se collata beneficia, deprædicabat Regius vates, & alij Prophetæ, viri sanctissimi:

Parco autem, ne quis me existimet, supra id, quod videt in me: aut aliquid audit ex me.

Veritus enim, ne si multa recenseret; sibi mirabilia arrogare ex superbia; (quam paulo ante, insipientiam appellauit) putaretur; ideo totum suum spiritum proferre (quod stultorum est, iuxta prouerb. cap. 29) noluit: Sed, vt sapiens, distulit, & in posterum reseruauit. Vnde B. Gregorius: *Habet adhuc aliquid de se dicere, qui parcit dicere.* Item, *loquendo, erudiuit vitam eruditorum: tacendo custodiuit suam:* Volebat enim de se potius cogitari minora, quam essent in veritate, & non maiora, ne, si ardua & inusitata ederet, ab alijs honores tacite videretur aucupari. Meminerat enim, quid Act. 28. sibi contigerat, cum ob edita diuinæ virtutis opera, diuinos ei honores deferre Lycaonij spectatores voluissent.

Et ne

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet.

Ea est naturæ humanæ imbecillitas, post editam primi parentis innocentiæ ruinam, vt nihil sit tam bonum, tam sanctum, & religiosum, quo abuti homo non possit, nisi gratiæ diuinæ præsidio fuerit adiutus: Ideo, ne reuelationum cælestium magnitudo, præberet Apostolo inanis arrogantiæ occasionem (sicut enim *scientia inflat*, ita consiliorum sapientiæ & scientiæ Dei cognitio, supra se hominem frequenter extollit) ideo permisit Deus, vt quoad corpus, varijs molestijs corriperetur, quo sibi semper similis, propriæ infirmitatis assidue recordaretur: Sicut enim remedia, ægris propinata, quo acerbiora, eo salubriora sunt; ita, vel aduersariorum iniurijs, vt ait Ambrosius, vel libidinis æstu, vt author est Hieronymus, vel continuo corporis dolore, vt vult Chrysostomus, vel iliaca siue lateris morbo, vt alij tradunt, DEO permittente, vexatus est, Hostes enim, & corporis ægritudines, non aliter hominem in officio retinent, ac equos indomitos iniecta fræna, & circuli, per nares traiecti vrsis; ac baculi canes, eorum collis alligati.

Neque enim tentationes, natura sua malæ sunt, quibus consensio non fuerit adhibita, licet easdem vtiliter Deus permittat, tanquam præsentem exercendæ virtutis materiam, hominibus iustis euenire. *Tentationũ est maxima vtilitas.*

Quæ

Quæ tamen, nequaquam expetendæ sunt, cum orare iubeamur. *Et ne nos inducas in tentationem.* Vnde Augustinus, lib. confession. cap. 28. docet, *nullas pœnas expetendas, sed omnes tolerandas. Non quod,* inquit *displicere debeat iudicium Dei, qui eas ad agonem, & exercitium virtutis remanere voluit, & Apostolo suo dixit. Sufficit tibi gratia mea. Cum autem cætera vitia, tantum in malefactis valeant, tum superbia in rectefactis, cauenda est tentatio. Nam cum quisque bene profecerit, superbia tentatur, vt perdat totum profectum, ideo ea comprimi debet ijs remedijs, quæ demissionem animi conseruent, & ad diuinum auxilium recurrendi præbeant occasionem, ne vel de se, vel de suis meritis glorientur. Initium enim omnis peccati, superbia, cuius frequenter est occasio virtutis, & dignitatum excellentia, quæ excellentia erat in Apostolo maxima, vt cuius menti eiusdem corporis dolor & acerbitas sanitatem afferebat.* Nã sicut, ne nimium obruantur viri iusti tribulationibus, per consolationes singulariter illis prouidet Deus, iuxta quod alibi est scriptum, *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, ita ne nimium efferantur, easdem impositis plagis & calamitatibus, attemperat. Per appositionem, stimulum, (qui græce Palum, & lignum acutum, ad pungendum denotat) carnis suæ explicuit quis scilicet esset, nempe diabolum & eius discipulos, quorum opera, Sathan in vexandis hominibus sanctis vtitur; tanquam lictoribus, aliquis ad torquendum Tyrannus.

Benedictus Pererius 22. disp. in 7. caput Epist. ad Rom. D. Aug. & Gregorij sententiam probat, dicentium, D. Paulum, graues carnis tentationes passum, atque per Angelum Sathanæ, carnem suam stimulantẽ,

carnis

carnis concupiscentiam, & ad libidinem concitationem intelligere voluisse: non quidem virtutis defectu, vel infirmitate spiritus, sed mirabili Dei consilio salubrique temperamento, ne tantarum virtutum, & donorum, quæ à Deo acceperat, in superbiam animo efferretur.

Hanc interpretationem & intelligentiam iuuat, inquit, quod ipsemet Apostolus alio loco, scribens dixit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Ad Romanos. 7. Sic prioris ad Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quæ verba commemorans B. Hieronymus in Epist. 22. quam de custodia virginitatis scripsit ad Eustochium, ita scribit: *Si Apostolus vas electionis & separatus in Euangelium Christi ob carnis aculeos, & incentiua viciorum, reprimit corpus suum, & seruituti subijcit, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur; Et tamen videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati; si post nuditatem, ieiunia, famem, carcerem, flagella, supplicia, in semetipsum reuersus, exclamat. In fœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tu te putas securum esse debere?* Hæc Hieronymus.

Graues autem, & frequentes carnis tentationes pati, non semper arguit virtutem imperfectam, atq; infirmum, ac tepidum spiritum. Viris etenim etiam sanctis & perfectis eiusmodi tentationes nonnunquam accidunt, vel ex suggestione diaboli, ad eos contristandos & confundendos, & tardiores ac languidiores in seruitio Dei reddendos: vel benigna Dei voluntate; salutarique consilio, ad conseruandum eos in humilita-

te, arcendamque superbiam: vel in exemplum, atque consolationem infirmorum, & imperfectorum hominum, ne in eiusmodi tentationibus ipsi desperent, vel ad heroicæ virtutis, sanctorum per eiusmodi tentationes, declarationem & testificationem, atque illustrationem; Atque hoc cernere licet, in grauissimis carnis tentationibus, quas passi sunt sanctissimi viri, Hieronymus, Benedictus, & Franciscus.

Propter quod, ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea.

Præsens malorum remedium, est ad Deum deuote & humiliter effusa oratio, sicut hic celebris Pauli locus testatur, qui se Dominum *ter rogasse dicit*, vel quod sæpius, vel quod tertio forte duntaxat, à dicto stimulo liberari cupierit; sed se non exauditum dicit, quia secundum D. Augustinum, tractatu 73. in Ioannem, *aliquando Deus exaudire petitiones nostras dicitur, dum negat, & renuit facere quod petimus, quod tunc fit, quando petimus ea, quæ putamus vtilia nobis futura, & reuera non sunt; sed potius noxia. Tunc concedere petita, est potius punire, & nostræ intentioni & desiderio repugnare: Nam desideramus, quod vtile non est. Dum igitur negat, nostræ consulit vtilitati, & reuera exaudit, non quidem voces, sed animum & intentionem, quod præcipuum est.* Exemplum sit 3. Reg. cap. 2. Access⁹ Bersabeæ ad Salomonem petentis Abisag Sunamitidem dari vxorem Adoniæ, arbitrantis ea ratione, regnum Salomonis, magis confirmari; at Sapiens Salomon, id potius in perniciem regni sui cognoscens, negauit dicens: *Da ei regnum*; ac si diceret, Mater hoc tu petis, vt in me regnum confirmetur: at, si fiat

ſi fiat, quod petis; potius eſt petere pro illo regnum, quod tu maxime auerſaris.

Quomodo Deus petenti aliqd in oratione, negando quod petitur, petita concedere videatur.

Matrem igitur exaudiuit Salomon, etiam negando petitum; quo pacto, ſe à Deo exauditum eſſe, hoc loco ſignificat Apoſtolus, etiamſi non impetrauerit quod petebat. Reſponſionis enim Chriſti, ſenſus hic eſt. O Paule tu petis ſtimulum carnis tibi auferri, propter meam gloriam, vt magis meum nomen extendas: Scito potius, hoc ſtimulo, nominis mei claritatem celebrari, & infirmitate tua durante: Nam virtus & potentia mea, plus declaratur, quanto per infirmiora inſtrumenta, maiora efficit. Contra vero, illud Numeri 11. cap. petijt populus, carnes, quas eis conceſſit Deus; ſed non fuit id eis vtile, imo pernicioſum; quia *adhuc erant carnes in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*. Quia ergo ignoramus; & quid oremus, neſcimus; non intelligimus ſæpe has Dei exauditiones. Nam petimus, ait D. Iacobus, *& non accipimus, eo quod male petamus*; Bona enim aliquando male petuntur.

Francis. Toletus in Ioanem

Gratiæ nomine, hoc loco, Dei beneficium ſupernaturale, ſiue gratis, abſque vllo debito, donum intellige, ad propriam vniuſcuiuſque ſpiritualem ſalutem datum, quod ſupra naturam, diuinitus conceditur: Quo homo iuſtus pronunciatus, Sathanæ & mundi machinamẽtis reſiſtere viriliter; & Dei imperatis morem gerere poteſt: Ea autem gratia, quæ alibi, iuſtitia vocatur, duas res complectitur, peccatorum ſcilicet remiſſionem, propter quæ, obnoxij erant homines iræ & vindictæ Dei, Itẽ rectitudinem animi continet dono S. ſpiritus in eo effectam, qua mens antea Deo inuiſa & exoſa, ei placet, bonaque poteſt opera exercere Deo accepta; quibus gratiæ, quam accepit, incrementum & vitæ æternæ præmium promeretur.

Nam virtus in infirmitate perficitur.

Benedictus Pererius in c. 1. ad Rom

Virtutis nomen, hoc loco, ſicut etiam apud Latinos ſcriptores elegantes, potentiam, ſignificat. In diuina autem ſcriptura, nomen hoc *virtutis*, complures ſignificationes habet, ex eadem tamen prima origine deriuatas, primo fortitudinem ſignificat, & potentiã, ſæpe n. in pſal. dicitur *Deus virtus noſtra*, & Act. 8. Simõ Magus, à ſuis dicebatur, *virtus Dei magna*. Interdũ vero ſignificat fiduciam, conſtantiã, & in agendo dicẽdoq; libertatem, qua ſignificatione vſus eſt S. Lucas, Act. 4. ſcribens, *virtute magna reddidiſſe Apoſtolos teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti*. Inde cæleſtes Angelorum exercitus, dicti virtutes: Adhæc, principes populorum & exercituum duces, appellantur, virtutes eorum: Sicut Iudith, c. 14. *Holofernes, Aſſyriorũ virtus* appellatur. Quoniam vero multo aliter diuina ſapientia de rebus iudicat, quam mundana, Dei virtutem, & maxima eiuſdẽ in homines beneficia, ex eo deriuari inſinuat Apoſtolus, quod Apoſtolos, & ſeruos ſuos, in morte ſubeunda, ferendis calamitatibus, & mundi contemptione, fortiores effecerit, quã ſi ea omnia impediuiſſet. Illud, xp̃i diſcipulos faciebat beatos, non hoc; quia illud, Reges terræ facere potuerunt, non autem iſtud. Plus enim ſpiritus S. virtus, in morte contemnenda ſplendeſcit, quam in impedienda; in ſuſtinendis læto animo, afflictionibus, quam in auertendis, maius beneficium illud eſt, quam hoc; diuinius opus fuit, per mortem & afflictiones, mundum conuertere, ſalutem adipiſci, quam per vitam temporalem; inducereque, vt crederent & ſequerentur eorũ doctrinam, qui ſic male habiti ſunt à mundo, quã ſi bene accepti eſſent & omnibus grati.

Mirabilis Dei ſapientia in eo eniteſcit, quod per aduerſitates & infirma mundi, non per gloriam, diuitias, &c ſuũ nomen extendi voluerit.

Libenter

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.

Quoniam boni, & iusti erant Apostoli; ideo mundani homines, eos odio prosequebantur. Sed, quia mundi odium, præstat cum iustitia & innocentia sustinere, quam eius potiri fauore, vario scilicet, inani & incerto, plenoq́; iniquitate & malitia, ideo magnum capiebant ex mundi odio, solatium, adeo vt, æquo cōstantiq́; animo, pſecutiones impiorum ferrent, & gaudio triumpharent incredibili, si quando *digni fuissent habite pro nomine Iesu, contumeliam pati.* Act. 5. Qua ratione, suis in afflictionibus vtitur Apostolus; qui eas, non solum se patienter ferre gloriatur, sed in eis etiam plurimū ponit p̄sidij. Causam, inq̄t, considerans, quia pro Christi iustitia patior contumelias, necessitates, persecutiones; libenter ex ijs gloriam quæro, vt me, Christi virtute inhabitante, ad fortiter aduersa ferenda erigar; Quo sensu, D. Ioan. 1. Canonicæ cap. 4. *Nolite mirari*, inquit, *fratres, si odit vos mundus; nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam*, quod longe satius, & optabilius sit, vitam habere perpetuam in nobis, etiam in his temporalibus afflictionibus, quam in æternam mortem, pro temporali quadam consolatione, prçcipitari. Ideo sibi iucundum, vtile & honorificum esse iudicabant Apostoli, si quando Christi, hoc est, iustitiæ & omnis

virtutis causa, incomoda plurima fuissent ppessi, quia, ex hoc sibi facile Christi assistentiam adesse cognoscebant. Ad hunc modum, D. Petrus, 1. Epist cap. 4. etiam docebat, consolabaturque Christianos. *Nemo, inquit, vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; Si autem, vt Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum, in hoc nomine.* Deum enim glorificat, qui eo quod Christianus est, persecutionem

Math. 5. sustinet. Ideo *beati* prædicantur à Domino, *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quæ* enim *est gratia*, ait D. Petrus, *si peccantes & colaphizati suffertis? sed si bene patientes suffertis, hæc est gratia, apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Et cap. 3. *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* Quia, sic patientibus, tanquam pugnantibus regnum ipsum pro quo pugnabant Apostoli, sibi esse promissum sciebant.

Communis hæc in scripturis, consolatio. Hierem. 31. *quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo* 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: de reliquo reposita est mihi corona, iustitiæ. Non autem*, inquit, *ego solus, sed gratia Dei mecum*, nempe Christi virtus, quæ scilicet, vt ad opus bonum erat incitamentum, ita inerti vigorem operi adiungebat Deus, qui iuxta Esaiam, cap. 40. *dat lasso virtutem*, hoc est, patientiam, misericordiam, mansuetudinem, quibus beatitudinem possit apprehendere.

Nam, sic arbitrij humani viribus opera bona nituntur, vt nisi Christi virtute fulciantur, momenti ad salutem sint exigui, & fere nullius cum *ex nobis, tanquam*

ex nobis, nihil poßimus, sed sufficientia nostra à Dei virtute, atque potentia dependeat. 2. Cor. 3.

Cum enim infirmor, tunc potens sum.

Calamitatibus & miserijs assueti homines iusti, summa animi moderatione, aduersa quæque sunt sẽper sustinere parati, cum his, ad perfectionis apicem, sic disponantur, vt propriæ fragilitatis conscij, peccata cautissime declinantes, in virtutum officijs, sese diligentissime exerceant: Ideo cum tribularetur Apostolus, fortior seipso effectus, triumphabat. Hoc enim fides, in hominis corde, per charitatem sese exercens potest, vt nullis Sathanæ fraudibus, nullis impiorum machinationibus, nullis mundi, aut carnis lenocinijs cedat. *Hac est* enim *victoria*, ait D. Ioan. 1. suæ Epistolæ cap. 5. *quæ vincit mundum, fides nostra.* Quæ causa est, quod cap. 1. eius quæ Romanis scripta est, dicebat, *se non erubescere Euangelium* Apostolus. Quid causæ? *Virtus enim Dei est*, dicebat, *in salutem omni credenti. Non* (inquit Theodoretus) *respiciebat Apostolus, quæ esse videbatur in Euangelio ignominia* (addo tribulationes, persecutiones, calumnias) *sed quod ex eo promanabat ad omnes, beneficium. Qui enim ei crediderunt, ex eo salutem æternam perceperunt. Sic profecto videre licet multa in sensibilibus habere virtutem & operationem suam occultam, nec extrinsecus tamẽ apparentem. Etenim piper extrinsecus quidem frigidum esse videtur, & ijs qui nesciunt, nihil caloris præfert, at qui dentibus ipsum comminuit, igni non dißimilis caloris sensum in se suscipit. Et ideo, hoc medici calidum, in potentia nominant, vt quod non videatur quidem tale, sed tamen tale cito reddi poßit. Similiter & frumentum poßit esse radix & culmus, & spica, non tamen videtur esse tale, priusquam in terræ sulcis fuerit seminatum.*

Margin notes: 2. Cor. 3. (beside "est, quod cap. 1."); Pulchra similitudo. (beside "nam perceperunt").

Iure

Iure igitur diuinus Apostolus, Euangelicam prædicationem, Dei salutarem potentiam appellauit; vt quæ, solis credentibus potentiam Dei aperiens, salutem largiatur: Hinc suscepti pro Euangelij prædicatione, labores & dissimulatæ iniuriæ, licet mundanis hominibus infirmitas, contemptio, stultitia & insania primo aspectu reputarentur; sibi tamen ipsis Apostoli & Martyres, delectationem, voluptatem & gloriam ista omnia reputabant, quod his omnibus immortalitaté, apud Deum & homines vitam comparari ꝓbe sciẽrent æternam: Nam qui Christo per gratiam adhærẽt, superiores omni potestate sunt facti, adeo, vt totius mundi potentiam, superare sibi non esse difficile existiment, quia tantas, per Christum, vires iam habent, vt si velint, Tyrannis, & omnibus malis possint præualere: Nec enim voluptates, nec bona vlla, quæ alliciunt, nec omnia mala, quæ terrent, nec Dæmon, qui per hæc pugnat, præualebunt in Christo manenti, si viribus datis à Deo vti velit. *Omne enim quod natum est ex Deo vincit mundum.*

Qui Christi nituntur promissis, facile omnia huius mundi machinamẽta tolerant.

1. Ioan. 5.

Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari: Nihil enim minus feci ab iis, qui sunt supra modum, Apostoli, tametsi nihil sum.

Subditi male affecti, temporis, & loci neglecta ratione, recte à superiorib⁹, vel dicta, vel facta, sæpe perperã interpretantur. Ideo qua intentione, quoue fine, rerũ suarũ prolixus Narrator Apostol⁹ extiterit, declarat Occasioné, inq̃t, huic meo facto attulistis, q. sciẽtes & prudentes,

dentes, silentio inuoluebatis, quæ ad dignitatis, & officij mei defensionem spectabant.

Cum enim vestri progenitoris, in Domino, doctrinã vituperarent impostores, cum ab eo diuinę virtutis edita opera extenuarent Pseudoapostoli, cum vitæ meæ seriem damnarent Sectarij: per ingratitudinẽ silebatis, nec quod filiorum esse debuerat, partes meas, prout pietatis officium requirebat, suscipiebatis: Mea verò, plurimum intererat, vt aduersarij scirent, quid Euangelij causa gessissem; ne fidei apud vos propagatæ veritas, detrimentum sentiret: Maximè, quod spiritus sancti charismata, quæ ipsum spiritum sanctũ, in me operatum fuisse videratis, iam ab aduersarijs decepti, ad mei cõtemptionem, studiosè dissimularetis.

Ingratitudo maxima Corinthiorum erga suum progenitorẽ Paulũ

Tametsi verò, nihil me, ex me, vel esse, vel habere perspectum habeam, mihi tamen optimè conscius sum, quod nihil minus, in Euangelij negotio præstiterim ijs, qui columnæ sunt, & primores prædicantur Apostolici muneris. Hæc ad veros Apostolos, aliq. referenda esse existimant, de quibus c. 2. ad Galatas, fit mentio.

Signa autem Apostolatus mei, facta sunt super vos, in omni patientia, in signis & prodigijs, & virtutibus.

Esto, sint Apostoli illi, quos tanti facitis, me, opinione tum mea, tum vestra, longis interuallis digniores, nunquid eadem, si non maiora, Apostolicæ functionis argumenta sunt à me, quæ ab ipsis edita? Si enim iuxta Sapientem, prouerb. c. 19. *doctrina viri, per patiẽtiam noscitur, sciens ego patientiam mihi esse necessariam, vt*

faciens Dei voluntatem, reportare promißionem possem, sanè in annunciando Euangelio, quàm patienter sustinuerim persecutiones, inediam, necessitates, & quasuis iniurias, ipsi scitis. Sciebam ego, iuxta Domini sententiam, *in patientia mea (quæ opus perfectum habet) mihi animam meam esse poßidendam*; ideò, si consuetudinis
Luc. 21. meæ vultis adhuc esse memores, scitis ad omnes miseriarum euentus, & omnia calamitatum tela, me semp fuisse Christi causa, tàm libenter expositum, quàm expeditè paratum: Et, si reliqua Apostolatus mei indicia commemoranda sunt hominibus, beneficiorum oblitis; naturæ meæ vires, exuberantibus signis & pdigiosis operibus, facilè potuistis cognoscere, gratiam à DEO, mihi ad hanc dignitatem, fuisse concessam: Vitæ porrò meæ rationem, si mihi reddendam esse existimatis, vos, ego testes oculatos appello, me nihil aliud fuisse, semper omni studio conatum, quàm ne, Euangelij cursus, vllo modo impediretur.

Contra ingratitudinem Germanorum Luther. in Pontif. Rom. Quales, hic contra Corinthios parum gratos, querelas deponit Apostolus, easdem contra diuersi ordinis, & dignitatis Germanos, hodierno die, posset deponere Romanus Pontifex, Christi Vicarius, & D. Petri successor. Quidni etenim is, à quo, Germani non modò fidem, & religionem, sed & sceptrum, & imperium acceperunt, iure cum Paulo queratur, de se dici, præcipuũ ex miraculis Antichristi, esse imperij à Græcis ad Germanos translatorũ: Et hoc, vt impostorib⁹,
Rom. 1. Apostatis, & Pseudoapostolis, *qui veritatem in iniustitia detinent*, neglecto verę fidei parente, obsequantur. Vestrũ erat ô Germani (ait vna cum Paulo sedes Apostolica) me, tũ cõmendare, tũ ptegere, tũ defendere, q vobis tradidi imperium, & legendi Imperatores aliundè potesta-

testatem, legesq; deriuaui: Nihil minus feci ab his, quos supra modũ, vocatis Apostolos, cum pditi hoies superioris potestatis, & iugi omnis expertes Apostatæ Pseudeuãgelij præcones sint; qui nec sign is, nec virtutibus, nec pdigijs, nec patientia, se, suamq; doctrinam pbarunt, quos tanti, spreto me, facitis, & extollitis, licet impios, iniquos & infames. Sed *aspidi surda, quæ obturat aures suas, ne vocẽ sapienter incantantis audiat*, frustra hæc & similia viri doctiss. iam sæpius occinuerunt dici. Pergamus in iustis querimonijs Apostoli. *Psalm. 57.*

Quid est n. q minus habuistis præ ceteris Ecclesijs, nisi q ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam,

Cupiditati & auaritiæ deditis Corinth. p mimesin videtur, mordendo ex pbrare ingrati & immemoris animi significationẽ, vt in aliquo saltẽ simul pbet, cæteris Apostolis, se non fuisse inferiorẽ: nẽpe, in gratuita fidei prædicatione; Qñ scilicet, nullis ad vitã (cum tñ id iure suo posset) ab ipsis, sumptib⁹ exactis, Ecclesiam Corinthi, plantauit manuario labore vlctitans: Et hoc quidem, vt eos lucraretur: *Ipsi verò intelligerent*, ait Ambros. *quod eos pecuniæ præponeret, & tandẽ, illius erga se affectum intelligerent. Non n.* ait August. *quærebat datum, sed fructũ, ne quasi venditor Euangelij putaretur. Et tamen verè mercator Domini sui: Nam prorsus vendidit: Dat n. spiritualia & non quærit carnalia, sed maius pretium, id est, hõies ipsos. Sicut Ioseph frumenta vendens in Aegypto, non argentum quærebat, sed ipsos ementes, seruos regios faciebat, & sic frumenta, quæ non vendidit, vendidit, venditionem ergo istam intellige gratuitam: Vnde & dictum est, sitientes venite ad aquas, & emite vobis sine argento.* *Pulchra similitudo.*

Ironico porrò sermone, huic suæ liberalitati & munificentiæ, sibi veniam sagaciter optat dari. Donate & ignoscite mihi, inquit, hanc iniuriam: quod sumptibus & stipendijs exigendis, molestiam vobis nullã attulerim, cum ipsius naturæ, & Domini legibus edocti cæteri Apostoli, (quos tanti facitis) ab alijs Ecclesijs, iure suo, eadem, quæ apud vos neglexi, exegerint. Sed, ne hæc ita à me dici existimetis, quasi in posteru, mait, hæc eadem, mihi suggeri tacitus cupiam, atq; arte quadam emungere ad vitam necessaria velim.

Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro, quæ vestra sunt: sed vos.

Sensus est: Quemadmodum iam inde ab initio, fidei doctrinam, absq; vlla lucri spe, & odore, vobis libentissimè impertij: Sic à vobis in posterum, nihil in hoc genere, mercedis exigam; qui non vestris opibus & fortunis, per auaritiam, inhio; sed potiorem vestri partem, hoc est, animam, eiusq; salutem æternam duntaxat, quæro. Est Ironici sermonis explicatio, qua paulò antè, liberalitati suæ, (quam appellat iniuriam) veniam dari petierat, & quam gratis, Euangelium illis prædicando, fuerat testatus ex eo, quod nihil petierat, vel receperat ab ijs, quos immortalibus officijs cumulauerat. In omnibus, se, vt Christi ministrum exhibebat Apostolus, ad cuius imitationem, laborãdo, *quærebat tantum, quod perierat*, salutis nempe viam errantibus, ostendendo, non sua curando; qui omnia, quæ huius mundi sunt, iam reputarat *vt stercora*, in vna scilicet, hominum conuersione, & communis felicitatis procuratione, lucrum suum ponens. Sibi siquidem, aliquo modo dictum à Domino sciuerat, *Pasce*

agnos meos, non te scilicet, sicut illi faciebant pastores, de quibus, Ezech. c. 34. dicitur, *væ pastoribus Israël, qui se ipsos pascebant:* Dicitur autem ille se ipsum pascere, qui propriam vtilitatem, gloriam, & commodum, non ipsorum fidelium, quos gubernandos suscepit, nec Dei gloriam, ex ipso regimine, quærit.

Vnde rectè Augustin. tract. 123. *Si me, inquit, diligis, non te pascere cogita, sed oues meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea non tua.* Quod idem, D. Petrus 1. Epistolæ c. 5. docuit. *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem DEI, prouidentes non coactè, sed spontaneè, neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè, neq; vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quam regulam, secutus Apostolus noster, non Corinthiorũ diuitias & facultates, sed salutẽ, se per omnia procurasse, hic dicit.

Nec enim debent filij parentibus thesaurizare: sed parentes filiis.

Corinthios, Christo, per Euangelij prædicationẽ, progignendo, se naturæ, & politicam legem imitatũ probat: Sicut enim, liberis vitam & naturam impertiti sunt parentes, ita vitæ & naturæ necessarium est, vt sint etiam diligentes tutores, sustentatores, custodes: Ac proinde, de his, quæ ad liberorum conseruationẽ pertinent, soliciti; cum ordinariè, parentib⁹ filij, non econtra, superuiuant: Quæ causa est, quod naturali quadam procliuitate, de filijs enutriendis & ditandis, satagant parentes, sicut in omnibus animalibus insitum esse, docet experentia. Non enim aliter, ac in palmites, humorem transfundit radix vitis, in filios parentes, quæ ad alimoniam & educationem spe-

ctant,debent transmittere: Qua ratione, Corinthijs, de spiritualibus alimentis, diligenter prouidit Apostolus, vt *de virtute, in virtutem*, facerent in Domino progressum, non autem ab ijs, quæ ad victum corporalem, necessaria sunt, exegit, multo minus ex subditorum substantia, thesauros collectos recondidit. Nō q. parētibus, exigente necessitate, necessaria ministrare non debeant filij, qui de eisdem, honore prosequendis, à Deo legem acceperunt. Honor n. hic, non tam in salutatione, officiorum, & reuerentiæ exhibitione: (Id n. aulicorum ferèest,) quā in eleemosynis, ac munerum delatione, consistit: Ideò singulariter, Iudæorum liberos reprehendebat Math. c. 5. Dn̄s, qui ex impia Scribarum & Pharisæorum traditione, parentes iubebant esse contentos, si pro se, & parente, Deo aliquod sacrificium obtulissent. Quo titulo, laborantes inedia, & egestate pressos suos progenitores, filij deserebant.

Ego autem libentißime impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens minus diligar,

Tantum, inquit, abest, vt vestra expetam, vt potius vestri causa, vitam, qua homini carius nihil esse potest (*quam enim commutationem dabit homo pro anima sua?* Matth. 16. sim paratus prodigere. *Maiorem*, autē, hac *dilectionem nemo habere potest, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; Cum porrò hoc modo, Christus nos dilexisset, eodem suis Apostolis præceperat, vt se inuicē
Ioan 15. amarent, hoc est, pro alterius salute tuenda & conseruanda (quando opus est) nullum periculum, nullam persecutionem, nullum temporale malum reformidarent;

darent: Quemadmodum D. Ioannes 1. Canonicæ capite tertio explicuit. *In hoc cognouimus charitatem DEI, quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere:* Quo amore, Corinthios, Apostolus prosequebatur, qui non modo res omnes temporales, sed & tam proprium honorem, quàm sanguinem, imò vitam, illis postponebat.

Boni siquidem parentis officium hoc est, non tã sibi, quàm filiis prodesse, sicut optimi pastoris est, nõ tam priuatæ vtilitati, quàm gregis saluti consulere. De eiusmodi scriptum reliquit Hierem. c. 30 *Dabo vobis pastores, iuxta cor meum,* qui scilicet, Christum, bonorũ pastorum principem (qui animam suam pro ouibus ponens, pro suo grege, mori non est dedignatus) imitati gregem pascant, sana doctrina, temporali subsidio atq; etiam vitæ suæ pretio. Hanc ex charitate, erga Christum & proximum, obligationem nasci, sæpe scriptura commemorat: De priori, dicit ad Petrum Dñs, *Diligis me plus his? pasce oues meas,* Fieri enim non potest, vt Christi officio bene fungatur, qui præ ceteris Christum non diligit. *Christus animarum medicus fuit, medicinæ autem, quam Christus attulit, ministri & cooperarij sumus,* (ait Gregorius Nazianzenus) *quotquot alijs præponimur. Quemadmodum autem familia ac ministri medicorum,* (ait Chrysostomus) *quo erga Dominos suos beneuolentia maiore afficiuntur, eo pluribus verbis in solandis agris, vtuntur: eo solicitius & curiosius circa agrum satagunt: Sic in animarum cura, pastores:* Quemadmodum 1. Corinth. 15. se testatur gessisse noster Apostolus. *Quotidie morior,* inquit, *propter gloriam vestram, quam habeo in Christo Iesu, Dn. nostro.* Qui pinde alijs dicere poterat, *Imitatores mei estote, sicut ego Christi:* quod talem affectum, ab eis

Similia SS. Patrum notanda.

ab eis desiderasse Christum sciret, vt qui eius vicem in terris gerunt, sese commissi gregis causa, in discrimen adducere, & impendere non dubitent.

Huius obligationis, alteram radicem, ex charitate erga Corinthios, natam fuisse, paulò ante est testatus Apostolus; cum viscera sua aperiens diceret: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Vnde Chrysost. homil. 2. de laudibus Pauli, *Nullus, sic sua defleuit peccata, sicut Paulus aliena. Ideo optat esse anathema pro fratribus suis in carne: Vnde etiam acerbius tulit, illos non saluari, quam seipsum perire. Et vt omnia, quæ ad hunc amoris Paulini sensum pertinent, in vnum fascem congeramus, vide, quid Philippensibus dicat c. 1. Quid eligã, ignoro, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius. Permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo ad profectum vestrum, & gaudium fidei.*

Licet plus vos diligens, minus diligar,

Magna profectò verba hæc (ait Catharinus) aduersus non ferendam filiorum ingratitudinem. Nihil enim (ait quidam) minus hominis est, quam in amore non respondere, à quibus prouoceris: & quam, obsecro, maiorem in præceptore ac patre, poterant desiderare erga se Charitatem, ingrati filij; quam illum esse paratum fundere sanguinem, pro eorum salute: Et tamen, potius adhærebãt quidam illis falsis Prophetis, qui nedum quicquam pro illis sufferre volebant; quin ex eorum facultatibus, otiosam vitam cum honore viuebant, & cum sectatorum multitudine. Miseranda homi-

hominum conditio, qui nec innumeris beneficiis prouocati, redamare saltem nolunt, & potius eos sequuntur, qui vel in faciem cedunt, deuorant, accipiunt. Si quis, hęc diligenter apud se ruminet, ingratis Lutheranis erga fidei authores, Pontifices, & sanctiss. Episcopos, Orthodoxos conuenire intelliget, quos cane peius & angue gratis oderunt, impij nempe & ingrati homines, omnem humanitatem exuti.

Sed esto, ego vos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo vos cepi.

Tacitè, contentiosorum hominum obiectioni occurrens, præoccupat, quod ab ijs per calumniam obijci poterat, nempe: quod etsi, per se ipsum, siue in sua persona, prędicando Euangelium, nulli vel grauis, vel onerosus fuisset, per alios tamen, astutè & calliditate quadam vsus, plurima ab ijs emunxisset: Sed calumniam remouens; suam prædicationem, non esse fallaciam aliquam & auditorum deceptionem dicit, cuiusmodi est Pseudoapostolorum, qui sua, auditores fallendo quærunt, vt eos sibi faciant obnoxios: Qui enim, alios circumuenire studet; non se ipsum, (vti Paulus faciebat) in pericula conijcit, sed delicijs potius indulget, suaq; dolosè & per hypocrisin, *non quæ Christi sunt*, quærit.

Quo pacto, 1. ad Thessal. cap. 2. dicit, *exhortationem suam, non de errore, neq; de immunditia neque de dolo fuisse, sed sicut probati sumus, inquit, à Deo.* Cum enim verè *Israëlita esset*, Paulus, *in quo dolus non est*, hoc est, qui non secundum carnem tantum, sed & secundum spiritum, qui Abrahæ, Isaac & Iacob, fidem viuam, & veram sequebatur nequaquam falsa simulatorum, me

diorum excogitatione, ad finem bonum vtebatur, quia vnicum Dei honorem, & proximi salutem suarum actionum scopum, constituerat.

Cum enim secundum Philosophum, calliditatis esse sciret, vt quæ ad suppositum scopum conducunt, agere possit & assequi, tamen *lingua sua*, vt est apud Psalmographum, *dolosè non agebat, nec dolos tota die meditabatur*, quasi animo simulato, varijs artibus, & technis excogitatis, aliorum facultates & fortunas, vel aucuparetur, vel captaret; qui sua, Christi causa, spôtaneè reliquerat, vt Euangelio, expeditius vacaret. Sicut autem astutiæ vocabulum, in bonam & malam partem propter similitudinem, quam cum prudentia habet, sumitur: Sic & dolus; quemadmodum Prouerb. c. 1. *vt detur paruulis astutia*: Et ibidem c. 13. *Astutus omnia agit cum consilio*. Ecclef. decimo oct. *Omnis astutus, agnoscit sapientiam*. Hinc D. Basilius. *Astutia est omnium operum artiumq; peritia. Operum autem cum quædam bona, quædam mala sint: Ideo, & in bono, & in malo sumitur vocabulum astutus.*

Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne ijsdem vestigijs?

Licet, Regis ad exemplum, totus componitur orbis, tametsi etiam, tales esse soleant ministri, qualis est princeps, aut paterfamilias, regum tamen, principumq; diligentiam ac probitatem, ministrorum sępè vincit

vincit im,pbitas & audacia. Sicut ſanctiſſ. Christi familiã maculabat improbi traditoris, auaritiæ coniuncta perfidia. Sic ab Heli parentis, (optimi alioquin ſacerdotis) bonitate & virtute filij, per ſacrilegium, & impia facinora, longis interuallis diſcrepabant: quo pacto, & Helizæi præceptoris imperata tranſgreſſus Giezi, nequiter à Naamano Syro, munera extorquebat.

Degenerorum filiorũ exempla

Tales, in ſua familia hactenus minimè repertos fuiſſe aſſerit Apoſtolus, qui, vel iuſſu ſuo, vel priuata fraude, Corinthiorum rebus circumueniendo inhiaſſent. Nominat autem, cum Tito, miſſum, ſiue Lucam, ſiue Barnabam, vt ipſorum integritatem & innocentiam in agendo defendat, quod ipſis, vnà cũ Paulo, vna eſſet voluntas, vna mens, vnus animus, nec in propaganda fidei Christianæ ratione, vnus ab alio, vel in minimo diſſentiret; quia pari paſſu, in via mandatorum Christi incedentes, vno eodemq; ſpiritus ſancti ductu, & ſuggeſtione agebantur. Vbi enim animorum vniformis eſt conſenſio, ibi veritas reperitur: Nam in vias diuerſas, error diſcindi ſolet.

Hinc Deut. cap. 28. ſcriptum eſt, *per vnam viam venient contra te, & per ſeptem, fugient à facie tua.* Quod Lutheranis vſu veniſſe, nouit Germania, quæ primo prodigioſæ hæreſeos exorto fœtu, nomen aliud, niſi *Lutheri* impij Apoſtatę nõ nouerat: at paulò poſt, tot ſectarum authores vidit, vt eos numerare, quis facilè non poſſit.

Vnitatis in fide & moribus cõmendatio.

❧:(o):❧

Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur. Omnia enim charissimi, propter ædificationem vestram.

Hęc, inquit, tanquam malè de nobis conscij, non scribimus, vt excusationis ansam quæramus? absit. Nã licet coactus, res à me in Euangelio gestas commemorauerim, id prætextu, vel auaritiæ, vel ambitionis, factum non est; sed ne veritati, aduersariorum excogitatæ malæ artes, aliquo modo officerent: Neq;, simulatione per hypocrisin, sed summa vobiscum agendo, synceritate sum vsus, sicut Deus (quem nihil latet, *cordaq; & renes scrutatur*) mihi testis esse potest: Cuius conspectus, mihi semper ob oculos versatur. Quicq̃d enim loquor, quicquid scribo, quicquid meditor, tanquam Christi, *(cuius oculis omnia nuda & aperta sunt,)* membrum, propter alia ipsius membra, nõ mea vnius causa, meditor, & ago. Ideo longè fallitur opinione, q̃ me reum in aliquo fateri arbitratur.

Omnia autem charissimi, propter ædificationem vestram.

Concludit repetendo, quod antea dixerat; se nihil aliud prorsus moliri aut quærere, quàm Corinthiorũ salutem, maioremq; in Christianissimo profectum, & perfectionem in charitatis radice accessionem, quę verbali nomine *ædificationis* continentur, quo alibi frequenter vtitur. 1. Cor. 14. *Omnia ad ædificationem fiant.* Rom. 14. *Quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus,* quasi ad proximi salutem omnia, tum quæ ad doctrinam, tum quæ, ad vitæ actiones spectant, dirigi velit, vt Dei

Quid sit ædificatio spiritualis.

gratia

gratia freti, ex suauissimis eius benedictionibus, continuum accipiant in spiritu incrementum, se ipsisq́; indies effecti in spiritu robustiores, & de fortitudine, in fortitudinem progressi, dilatato corde perambulent & percurrant, imò peruolent *viam mandatorum DEI*, donec illuc tandem pertingant, quo peruenire, omnes omnibus votis, desiderant; videlicet, ad videndum Deum. Quæ omnia, verbo (ædificationis) continentur.

Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis.

Quæ hactenus dixit Apostolus, fuère Corinthiorum negligentiæ, ex ingratitudine & peruersitate prouenientis supplementum. Cum enim, non, vt filij, ad defensionem parentis, eius laudes conticuissent, necessitas exegerat, vt quod ipsi fraudulenter omiserant, præter suum morem, ipse suppleret Apostolus. Hic verò, sibi authoritatem, rerum suarum commemoratione, ideò parasse insinuat, quod Pseudoapostolorum cõniuentia, in grauissimis peccatis vidisset ipsos volutari; ac proinde maxima eosdem animaduersione indigere; si, & vitæ periculum, & salutis discrimen vellent effugere.

Atq́; ideo, semet vere dicit, ne suo ad ipsos aduentu, parum gratus sit (qui terrori fortè vobis, inquit, futurus est, ad pœnas de peccatis & defectibus vestris, sumendas) futurus: Id enim est, quod timeo, ne ego parens vester, qui rectos simplices, puros, & ab omni scelere vos, vt filios, esse liberos vellem: èconta

tra corruptos,& deprauatos vos deprehendam: atque sic vlcisci, corrigere,& punire debeam: quod vobis o-diosum, alienum & inuisum erit, quãdo scilicet, *in virga ferrea*, ad filios venire pater solet. Talem enim secũ aduehit vitiorum sentinam, sectariç doctrinæ peruersitas, siue hæresis, vt omnis licentiæ, impunitatis, & malorum omnium mater dici possit. Quemadmodũ vniformis doctrinæ, loco, & mutuæ charitatis vice, nõ sine doloris sensu, sibi ait metuere Apostolus, ne contentiones, æmulationes, &c. inueniat castigatione, Corinthi, dignas, quas impostores, tanquam doctrinę & prædicationis suæ fœtus, ibidem reliquerant.

Omnium malorum causa, heresis.

Ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos.

En virosa discessionis à vera fide, progenies, en proles inobedientiæ, contra genuinos sacrorum Antistites, verosq; fidei authores, vel potius parentes: *Quia*, vt author est Theophylactus, *ab æmulatione & inuidia, omnia alia nascebantur, ac rursum, ab illis æmulatio accendebatur*, ab eo autem, quod commune est, vitia enumerare incipit, ne, quæ ad se pertinent, carpsisse, eaq; maximè videatur reprehendisse, quæ contra se suamq; dignitatem pugnabant. Octo superbiæ filias enumerat, quarum primo loco, *contentionem statuit*, de qua D. Iacob. c. 3. *vbi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauũ*. Quid enim boni esse potest, (sicut Apostol9, c. 2. eius quæ est ad Rom. *Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati*

Filia hæreseos recensentur multa.

quitati, ira & indignatio,) vbi alterum, ad litem, veritatis impugnandæ causa, cum clamoris confidentia, alterũ ad vindictam, prouocat? *Honorem ideo tribuit sapiens homini,* Prouerb. 20. *qui separat se à contentionibus*: Et quia concertatio, ab inuidia originem sumit, ideò *æmulationi*, secundum locum assignat, quæ diabolum patrem agnoscit, qui Deo, suam eminentiam inuidens, & hominis felicitatem non ferens, eundem de suo statu per fraudem, initio conditionis suę deiecit: Quæ causa est, quod à sapiente, Sap. c. 2. dictum est, *Inuidia diaboli, mortem in mundum fuisse ingressam. Animositas,* ex ęmulatione progenita, in ordine, tertia est, quam in vindictæ cupiditate, & nocumenti illatione, sitam esse dicit D. Thomas, quæ à temeritate & audacia nihil distat, cum præsentibus animi & corporis periculis, sine causa & cautela, aliquis se exponit: Ideo monet Eccl. cap. 5. *Ne temerè quid loquaris, neq; cor tuum sit velox, ad proferendum sermonem coram Deo.* Huius temeritatis parens, est *dissensio,* quæ in superba contradictione, sita, cum sit, alienationem animorum parit, amicitias dissoluit, rumpit fœdera, omniq; concordiæ aduersatur: Quæ causa est, q c. 16. Romanos iubeat Apostolus obseruare, & vitare eos, *qui dissensiones, pericula, & offendicula præter doctrinam, quam,* inquit, *didicistis, faciunt.* Et 1. Cor. 1. *Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata, neq; dissensiones. Ex dissensionibus;* mala, de proximi fama & æstimatione, dici, fingiq; contingit, quod quando fit, detractio, siue proximi bonæ famę, & existimationis denigratio dicitur: Vnde & odibiles dicuntur esse Deo, detractores, qui nullius famæ parcere didicerunt.

Quando

Quando porrò, contra proximi famam, aliquis in aurem obſtrepit, & occulta maledicentia, odium, aut diſſenſionem molitur, *Suſurro*, dicitur, vt qui, ceu pulex, ſub tegumento, non vt lupus, apertè mordere conſueuit.

Et hic, Eccleſ. 28. *Sicut biliguis, dicitur maledictus.* Ex ſeditionibus & occultis obtrectationibus, naſcuntur *inflationes* animorum, quibus ad conſerendas manus, incitantur ad pugnas ac diatribas, incitati armantur, ex quadam ſuperbia & tumore animi, dum vnus, altero ſe præſtantiorem in omni re, eſſe arbitratur. quia *inter ſuperbos, ſemper regnant iurgia*, Prouerb. 13. Propterea, inflationi *ſeditiones* ſubijcit, ſiue *ſchiſmata* tumultus & concertationes. Semper enim, iuxta prouerbium, c. 17. *per iurgia, quærit malus.*

Ne iterum cum venero, humiliet me Deus, apud vos, &c.

Sicut honori, gloriæ, & voluptati, ſuis parentibus ſunt liberi, qui ſunt officij memores, frugi, & virtutum ſtudijs dediti, (exultat *enim gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit, lætabitur in illo.*) Sic eiſdem, filij degeneres, dedecori & dolori ſunt: ſicut eſt apud Eccleſiaſticum, capite vigeſimo ſecundo. *Confuſio patris, de filio indiſciplinato*, & Prouerbior. capite decimo nono, *dolor patris, filius indiſciplinatus.* Item trigeſimo capite, *pro animabus filiorum, colligabat vulnera ſua, & ſuper vocē turbabuntur viſcera eius.*

Quo pacto, lugendo Saulem Samuel, & filium Abſolonem, Dauid animo erant admodum humili immò deiectiſſimo: Sicut enim ſobolis probitate erectus parens, de hæreditatis augendæ præmio, cũ lætitia

tiria cogitat, tanquam in ea, post mortem suam victurus: ita mærenti corde, de maleferiata prolis castigatione, sollicitus, angitur progenitor. Hinc D. Bernard. *Quid Dauide mansuetius, qui istius mortem lugebat, qui suam sitiebat: quid benignius, vt illius moleste ferret decessum, cui & succedebat in regnum, sed & de morte parricidæ filij, quam difficile consolationem accepit?* Eodem modo, Paulus vehementer ait se metuere, ne patris indignantis personam indutus, cum virga, ad Corinthios, mærens quidem, cogatur proficisci, quos de peccatis præteritis, nullam hactenus seriam pœnitudinem, & metanœam aduertisset fecisse: Cum enim non sufficiat, in melius morum commutatio, &, à pristina vita, improba, recessio, nisi etiam de malis admissis, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & contriti cordis sacrificium, satisfactio cooperantibus Eleemosynis, sequatur: tum qui emendatæ vitæ nulla signa extrinsecus ediderint, nec deiecti vultus significatione, internum doloris de peccatis, publice admissis, sensum testantur, vere dici pœnitentes non posse, nec recte, salutis perditæ iacturam recuperasse, videtur Apostolus existimare; Vnde hunc locum, ad publicos pœnitentes pertinere, dicit Augustinus, sicut hic obseruauit Catharinus. *Agunt*, inquit, *homines pœnitentiam, si post baptismum, ita peccauerunt, vt excommunicari, & post reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesijs illi, qui proprie pœnitentes appellantur.* De tali n. pœnitentia, ait Augustinus, locutus est Apostolus, vbi ait: *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos*; Sed de peccatis, quæ conscijs alijs, admissa sunt, sancto Doctori videtur sermo fuisse, quib⁹ olim & pœnitentia publica respondebat, quemadmodum

Parentum in [fi]lios morigeros affectus.

Signa extern[a] interioris seria pœnitentia sap[e] Stilia.

Publica pœnitentia.

dum, prioris Epiſtolæ, cap. 5. *Sathanæ, inceſtuoſum Corinthium tradendo, corpore vexandum, vt ſpiritus fieret, ſaluus*, teſtatus eſt Apoſtolus. Sed qui pœnitentiæ rationem, ad vnicam vitæ renouationem reuocarunt impij Lutherani, doloris ſenſum, & peccati deteſtationem non eſſe curandam cenſent, licet à Deo, nihil impune relinqui, habeant interim perſpectum. Etſi luctu digni ſunt, qui in vulnere nullam adhibentes medicinam, permanent, ait hoc loco Theophylactus: Eam enim ob rem, ait, & pœnitentiæ meminit, vt eam arripiant, ne vbi venerit, puniat eos, ac propterea lugeat, hoc eſt, ſummo mœrore conficiatur. Per *immunditiam*, hoc loco quoduis peccati genus, intelligit Theophilactus.

CAPVT XIII.

Ecce tertio hoc venio ad vos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

Secundo propoſuerat inuiſere Corinthios Apoſtolus, ſed impeditus fuerat: Quare iam tertio, certam eorundem viſitationem, & ſeueram quidem proponit, attamen rationi & legibus non repugnantem. Si quid enim ſceleris, animaduerſione dignum iſthic repperero, inquit, tum executioni non prius mandabitur emendatio, quam per duos, vel tres teſtes, fuerit confirmatum, quod eſt admiſſum. Licet n. in ſpiritu, haberet cognita, quæ Corinthi gerebantur Apoſtolꝰ, nec cuiuſquam teſtimonio indigeret; vt tamen calumniæ nullus eſſet relictus locus, ſe iuris diuini, Deuteron. 19. c. præſcripti, via, proceſſurum prædicit.

Nam

Nam, ibi sic constitutum est, *Non stabit testis vnus, contra aliquem, quicquid illud peccati, ac facinoris fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium, stabit omne verbum.* Stare verbum, ait Catharinus, significat efficaciam, & vim persuasionis, & probationis habere, ad mouendum iudicem. Si enim *verbum* sit in ore vnius tantum, non stat, id est, non viget, non eam vim habet, & efficaciam, vt conuincat, & faciat fidem. *Stabit* autem, hoc est, persuadebit, & obtinebit sententiam, cum steterit in ore, & testimonio duorum, aut trium. Quémadmodum legislator, Christus Dominus, apud Mathæum, cap. 18. confirmauit. Nota, hoc loco ad resipiscentiam, Corinthios prouocantem Apostolum, Domini præceptum Math. 18. sequi. Futuri siquidem ad eos aduentus sui propositio, vel promissio, siue minæ, ternæ monitionis speciem referũt, & ad emendationem, prouocationis vicem obtinet.

Quid sit omne Verbum stare in ore duorum aut trium.

Quæ si locum non habuerit, tum pœnas, sicut prioris Epistolæ cap. 4. fecerat, (vbi secum virga venturum minatur) intentat; sed tamen sine cuiusque præiudicio, (in alteram partem scilicet declinando) quemadmodum priori epistola sua, suum Timotheum c. 5. monebat, *vt in presbyterorum delationibus, & alijs causis, ac controuersijs vellet progredi.*

Prædixi enim, & prædico, vt præsens vobis, & nunc absens iis, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero, iterum non parcam.

Sicut, *non est voluntas, ante patrem nostrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis*, ita summa Apo-

stolo inerat cura, & sollicitudo, vt frequentibus monitis & precibus, errantes in viam reuocaret: Ideo autem hoc loco, prædixisse, & idem nunc repetere, imo promissam correctionem se executurum ait, nisi resipiscant. Quod ideo prudenter facit, ne vel acerbus, vel acris reprehensor, vel cupidus vindictæ obiurgator, fuisse videatur, qui *in spiritu lenitatis, infirmos esse monendos alibi volebat*, & paternis, hoc est, facilibus minis, filios esse officij memores, ac frugi, ad saniorem mentem redire, sine punitione aliqua cupierat. Nunc, quia hortationibus suis, aliquos non fuisse emendatos sciebat, seueram iudicis grauitatem indutus, pœnas de sceleribus admissis, se coram dignas sumpturum pollicetur; idque nullius personæ (hoc enim adiectiuum, *omnibus*, insinuat) sed admissi criminis attenta duntaxat ratione: quod cum pœnitentiæ locum, vt est apud Iob. cap. 24. magnum habuissent, à pristina sceleratæ vitæ consuetudine noluissent abstinere.

Mos Pauli quē delinquentes emendaturus seruabat.

Sicut enim, *qui virgæ parcit, odit filium*, Prouerb. 13 *ita qui filium diligit, assiduat ei flagella.* Nisi enim relabenti, correctio adhibeatur, veniæ facilitas, incentiuum præbebit delinquendi. Sicut enim, *quem diligit Dominus, castigat: & flagellat omnem filium, quem recipit*, (*quis enim filius, quem non corripit Pater?*) ita Apostoli, quos Domino genuerant, docebant non negligere domini disciplinam, monentes, ne fatigarentur, si quando fuissent correpti & rèdarguti, eo quod, *qui extra disciplinam sunt, adulteri sint, & non filij*: Cum enim Deus permittit homines exequi peccata, & suas explere cupiditates, non propitij, & benefici, sed offensi atque irati, & eo ipso vindicantis argumentum est; sicut ex aduerso prohibere, & auertere aliquem, ab exequendo

do suas cupiditates, magnum est diuinæ beneuolentiæ & benignitatis beneficium.

Peccatores qui non flectuntur ad pænitētiam grauiter à Deo puniuntur.

Vnde, quantolibet corporali supplicio seuerior est Dei vindicta in peccatores, sinere eos obsequi & seruire turpissimis cupiditatibus, & ruere in turpissima flagitia, sicut declarat Apostolus, 1. cap. eius, quæ est ad Romanos, vbi dicit, quod *tradidit illos*, (Philosophos) *Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficerent corpora sua, in semetipsis.* De quibus, per Esaiam cap. 19. dicitur *Deus, traditurus AEgyptum in manus Dominorum crudelium*, quemadmodum Hebræis contigisse narrat psalmista, psal. 77. *vbi dum concupiscentibus carnes, largitus fuisset maximam conturnicum copiam* dicit, *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos.* Ideo virgam minatur Corinthijs, ad suum aduentum, Apostolus, nisi vitam aliam fuerint ingressi.

Rom. 1.

An experimentum quaritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?

Experimentum quærere, idem est, ac *tentare*, inquirere, & de re aliqua, periculum facere: Cum autem in se, Christum dicit Apostolus loqui, dupliciter potest intelligi; vel quod ipsi Paulo loqueretur, sicut Zachariæ cap. 1. *Et dixit Angelus, qui loquebatur in me, Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Item Hoseæ cap. 1. *principium loquendi Domino, in Hosea*; Septuaginta Interpretes, ita verterunt. Initium sermonis Domini ad Hoseam, vel quod per Hoseam, sit locutus alijs. Nam, *In* pro *Per*, *frequentissime* ponitur in scriptura, more Hebræorum,

vt psal. 62. *laudabuntur omnes, qui iurant in eo*, id est, per eum. Math. 23. *Qui autem iurauerit in auro templi*, id est, per aurum templi. Sic Math. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. In qua significatione, hoc loco, Christum in se, id est, per se, loqui dicit Apostolus, quasi diceret; Cum experientiam habere, & periculum facere velitis, an ego vel priuata, vel Christi authoritate vsurus sim, animaduertendo in delinquentes, cum ad vos ego venero; dabo operam, vt vestræ exspectationi, abunde faciam satis: Tum facillime percipietis, Christum per me, suam prouidentiam & potentiam declarantem, & per edita miracula, suam virtutem commonstrantem. Quasi diceret: vultisne experiri animaduersionem Christi, qui per me, tradat aliquos vestrum Sathanæ, *in interitum carnis*? Nam etsi Christus, secundum infirmitatem carnis, crucifixus fuit, tamen nunc immortalis, regnat, per potentiam Dei: & quos vult punire, potest. Non est autem dubium, quin plurima diuinæ virtutis opera, per Paulum Christus ediderit, quæ scripta non sunt: Nam si tanto tempore, sibi factas reuelationes conticuit, & tam difficulter adductus est, vt de suis rebus gestis gloriaretur, quæ ad sui laudem, & gloriam pertinebant: verisimile est ipsum silentio plurima alia signa, & prodigia inuoluisse. Narrat inter cætera D. Lucas, Act. 13. præsente proconsule Paulo, magum quendam, ab eo repente percussum cæcitate, &c. sicut & à vipera, aliquem sine vlla læsione, morsum fuisse.

Multa miracula fecit Paulus, quæ nusquam sunt scripta.

Nam

Nam etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.

Duo sibi repugnantia, Christo tribuit Apostolus, infirmitatem scilicet, & virtutem. Infirmitas autem, secundum Chrysostomum, pro corporis aduersa valetudine, subinde sumitur, vt Ioannis, 11. *Infirmitas hæc, non est ad mortem*: subinde pro eo, quod ita firmum, & in fide solidum non est, sicut ad Rom. cap. 14. *Infirmum autem in fide suscipite*; subinde pro persecutionibus, molestijs, periculis, morte, &c. Quo pacto, Christum, & se, infirmos hac Epistola, sæpenumero appellat: Christum quidem, eo, quod secundum humanitatem, eas assumpserit infirmitates, quibus tanquam *medicus*, nos ægros curaret: Quæ causa est, quod ad Hebræ. cap. 2. dicitur, *per omnia fratribus similiari debuisse, vt misericors fieret, & per omnia tentatum, pro similitudine, absque tamen peccato.* Sed hæ, quæ Christi humanitati tribuuntur, infirmitates, *fortiores hominibus sunt*, 1. Cor. 1. Nam, quæ homines, de Christo & Deo, debilia, & ridicula sunt arbitrati: fortiora, & sapientiora fuere, quam homines essent, & viderent: Christus siquidem cruci affixus, licet mundi sapientibus, ridiculus & imbecillis reputaretur: fortior tamen, & potentior erat hominibus, vt qui mortem, sua morte, destruebat, dæmonis comprimebat audaciam, mortuos suscitabat: Nam etsi secundum naturam assumptam (quæ infirmitati obnoxia fuit) reipsa exhiberet certa infirmitatis argumẽta; persona tamen diuina, quæ naturam illam sustentabat, virtutem suam, cum opus esset, exercebat, cum eadem semper manens, expugnari non posset:

Nam

Christus diuersa ratione dicitur a Paulo & virtute, & infirmitate simul praeditus.

Nam cum maxime imbecillis, infirmus, & abiectus esse Christus putaretur, hoc ipso, maxime potens esse conuincebatur, qui talia patiendo, eiusmodi virtutem, & potentiam ex natura diuinitatis declararet, quæ vnita infirmitati, eum non permitteret in morte detineri, iuxta quod prædixerat, vates Regius psal. 11. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, & postea Apostolorum princeps, Act. cap. 2. *non potuit detineri vinculis mortis*; nam ijs disruptis, propria virtute, ad vitam ipsemet sese suscitauit.

Nam & nos infirmi sumus in illo, sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

Et nos, ait Paulus, in vtroque, in *infirmitate* scilicet, & in *potentia*, Christo similes sumus, vel ipsum potius imitari nitimur, & ideo secundum infirmitatem, multa quoque quotidie patimur; iuxta potentiam autem, signa & prodigia facimus, & ex authoritate xpi, omnem inobedientiam castigare parati sumus. Tales Ecclesiæ concionatores, & pastores esse debent, qui nempe aduersa, ouium Christi causa sustinere, & rite suo munere nihilominus fungendo, nullius furori propter iustitiam, debent cedere, dum improborum vitam carpunt, vitia reprehendunt, peccata spiritualibus correctionibus & pœnis puniunt atque castigant; quemadmodum Prophetæ, Martyres, & sancti Dei homines, acerrime semper fecere, cum *se muros, pro Dei domo opponentes, persecutionem patiebantur. Sed licet coram hominibus tormenta patiebantur: spes tamen illorum erat immortalis*, *Sap. 3. mortui quidem erant mundo, sed vita eorum abscondita erat cum Christo, in Deo.* Colos. 3. c.

Qualesoportet esse Euangelij prædicatores

Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.

Sensus est, si ipsi vos, & ea quæ apud vos facta sunt, consideretis, si quid fidei, in vobis est, & non estis traditi in reprobum sensum, facile cognoscetis, Christũ in vobis esse, qui per ministerium nostrum, tradit inobedientes Sathanæ: *in interitum carnis*. Quæ expositio Lutheranorum errori, fideique non fauet, quo gratiæ certitudinem, indubitatam in aliquo, probari posse, huius loci præsidio freti, nituntur. Nam ex eo, quod hortatur Corinthios, vt animaduertant & considerent, an Christus sit in ipsis, ab eis duntaxat quærit, an puram & synceram fidei doctrinam retineant, quam primitus, ab ipso Paulo acceperant; an vero, tanquam reprobi, eam perdiderint, & noxijs erroribus, prauisque moribus contaminauerint, atque corruperint. Quod autem, aiunt, Sectarij, iussisse Paulum Corinthios, vt se diligenter explorantes dispicerent, an essent, in gratia Christi, nec ne, id ad certam cognitionem reuocare non est necesse, qualis nempe, ex certitudine fidei proficiscitur, sed ad cognitionem, quæ per humanas, & probabiles coniecturas, vel etiam per certitudinem moralem, haberi potest. *Contra Lutheranam gratiæ certitudinem.*

Igitur esto, voluit vndequaque examinarent Corinthij, an secundum charitatem & gratiam, Christus quoque esset in ipsis, non voluit tamen, vt hoc sine vlla formidine dijudicarent; sed tantum coniectura facta, ex propria fide, & obedientia mandatorum, & cognitione certa morali; alias non opus fuisset illos hortari, vt sese tentarent & probarent, sed necesse erat, ipsos sine vlla probatione propriæ conscientiæ, id sibi

certo certius persuadere, sicut iam sectarij dicunt esse faciendum.

An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.

Vox, *reprobus*, prædestinato, non opponitur, sed pro malicioso, inconstanti & improbo sumenda est, quemadmodũ, ex radice dictiõis Græcæ deducitur. Monere autem Corinthios pergit Apostolus, vt diligenter dispiciant, num omnia credant, quæ sunt credenda; atq; adeo videant, quantum est ex parte eius fidei, num Christus sit in ipsis, an vero propter infidelitatem, sint reprobi; qui postquam *miserunt manum ad aratrũ, respexerint retro*. Lucæ. 9. Tales enim, qui relicta veritate, in infidelitatis tenebras, & ad peccatorum cœnum redeunt, canum instar, resorpta sua sorde, fiunt putidiores nõ multum suibus, siue porcis dissimiles, quæ luti volutabro sordidiores redduntur.

Dicitur autem aliquis esse in fide, propter fidei habitum, mentem ipsam hominis occupantem, & ad credendum, procliuem reddentem; quemadmodum, & apud D. Ioan. dicuntur ij in charitate manere, quorum voluntates, Charitatis dono sunt præditæ. Fideles siquidem, per Spiritus sancti charismata, & virtutum dona, Deus inhabitat, sicut de fide, facit testatum Apostolus noster, cum ait, ad Ephes. cap. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus nostris*, sicut & in ea, quæ Romanis scripta est, cap. 5. dicit, *charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris*, & S. Ioannes, in Epistola prima, cap. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet*. Licet verò, diuinis

uinis habitibus & donis præditi, ijs vti, dum volunt, homines poſſint: præterea tamen diuina actuali cooperatione, directione, protectione, ſæpe etiam noua inſpiratione, nouoque indigent impulſu: ideoque periculum facere iubet Corinthios, an adhuc in ſe Chriſtum eſſe ſentiant, qui in operibus gratiæ, ita voluntatem ipſorum dirigat, atque inflectat, *vt ambulent in lege Domini.*

Auxiliorum Dei actu alium ad perſeuerantiam in iuſtitia, neceſſitas.

Non tamen, ita à Corinthijs tale examen, ſiue probationem exigere cenſendus eſt Apoſtolus, vt certo ſibi certius, gratiæ certitudinem poſſint, aut debeant polliceri, quemadmodum à ſuis ſequacibus Lutherani requirunt: Talem enim, ſine diuina reuelatione, nemo habere poteſt, licet ad Deum conuerſus aliquis, & peccatorum agens ſeriam pœnitentiam, moraliter ſibi quandam ſecuritatem & indulgentiam ſperare queat. *Eſt enim tam prauum cor hominis, & inſcrutabile*, ait Hierem. cap. 17. vt nemo ſit, qui poſſit illud cognoſcere.

Hinc plurimi, ſeipſos fallentes, id ſe habere ſæpe exiſtimant, quod minime poſſident. Si enim D. Petrus, *ſe paratum pro Chriſto mori* dicebat, cum tamen *non eſſet*, & D. Paulus, *ſe flagrare charitate exiſtimabat, cum in Chriſti Eccleſiam fureret*, qui tamen grauiſſime ex ignorantia peccabat, ecquis erit, qui ſe, de Dei gratia certum eſſe, & non aliqua laborare ignorantia affirmabit? Si charitatis certiſſimum indicium eſt; mortis, ob fidei confeſſionem oppetitio, ſicut qui animam pro Chriſto ponunt Martyres, & hoc ipſum, fallax ſignum eſſe poſſit, cum priore, ad Corinth. c. 13. dicat Apoſtolus, poſſe hominem ſine vera charitate, conſumere *in cibos pauperũ, omnes ſuas facultates, & tradere corpus*

Nemo certus de ſua gratia & iuſtitia ordinarie eſſe poteſt, niſi per reuelationem, & ſtatim poſt baptiſmum rite ſuſceptum.

pus suum, ita vt ardeat: sicut sectarios, interdum pro sua hæresi, reipsa sæpe videmus facere, omnimodam sane certitudinem, an in se Christus per fidem, & gratiam habitet, habere nullus poterit, nisi moralem quãdam & verisimilem; quæ tamen formidinem adiunctam habeat: Quo pacto, prioris ad Corinthios cap. 11. iubet homini communicaturo, Apostolus, *vt seipsum probet, ac sic de pane illo edat, & de calice bibat*: Hæc enim, *probatio*, in eo minime consistit, vt se iustum certo esse
Eccl. 9. existimet (*nescit enim homo vtrum amore, vel odio dignus sit: omnia in futurum* iuxta Ecclesiasten, *seruantur incerta*) sed ne peccatorum mortiferorum, sibi non sit conscius, qui ad Eucharistiæ sacramentum accedit

Ea enim vitæ humanæ miseria est, vt homines etiam iusti, semper metuant, ne vere iusti sint, cum ab Ecclesiastico moneantur, *de propitiato peccato, ne sint sine metu*. Soli Caluinistæ & Lutherani, illi sunt impij, quos Ecclesiastes, cap. 8. depingens, *ita securos dicit, quasi iustorum facta habeant*; *sed hoc* ait, *vanissimum iudico*.
1. Cor. 4. Si enim Apostolus *nihil sibi conscius, se iustum esse non audebat iudicare*, quis tandem sibi de sanctitate audebit, & iustitia blandiri? sunt autem quædam indicia, quibus bene sperare homo iubetur, de Dei gratia, vt, si de proximi bono, non aliter, ac de proprio gaudeat; doleat vero, de eius malo, & maxime spirituali incommodo, sicut de suo priuato: Si Deo expedite, libere, ac sponte seruit; si eum diligit, eiusque mandata & sermones diligenter custodit: *cum probatio dilectionis*, iuxta D. Gregorium, *sit exhibitio operis*: si experitur ea quæ beatum hominem facere veritas dicit, sermone illo, ad suos discipulos, in monte habito, Math. 5. cap.

Spero

Spero autem, quod cognoscitis, quia nos non sumus reprobi.

Carere debet omni Vitio, ait ille, qui in alium paratus est dicere. Turpe enim est Doctori, cum culpa redarguit ipsum, ideo se ita hactenus inter Corinthios, ait vixisse, Apostolus, vt non aliud, illos de se, iudicium facturos speret, quam quod honeste, pieque in fidei negotio, se gesserit: Cum enim, *ex visu* iuxta Ecclesiasticum cap. 19. *vir cognoscatur: & ab occursu faciei, sensatus*; tum recte sperat, in se nihil ab ijs desideratum iri, atque adeo, quæ digna correctione fuerint, apud ipsos reperta, posse rite, & sine offensione corrigere, maxime quod authoritati suæ, diuinæ virtutis operibus editis, comprobatæ, integritatem vitæ, atq; innocentiam semper adiunxerit: Nam indecorum, turpe, & repræhensione dignum est, à legis præuaricatore, in peccatorem sententiam dici. *In quo enim alium iudicat, seipsum*, iuxta Apostolum, ad Rom. cap. 2. *condemnat, quod eadem agat, quæ iudicat. Existimas autem ô homo, ait, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Eiusmodi, de suo iudicio, non esse Corinthijs opinionem, se dicit sperare Apostolus, suam innocentiam, & purum à malefactis, quæ damnaturus est, animum tacite commendans. Nam iudex, eadem faciens, quæ reus à se iudicatus facit, sententia contra reum pronunciata, suam ipsius condemnationem & pœnam continet.

Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos autem vt reprobi simus.

Cum legitimorum iudicum conditiones sint, probitas, & puritas ab ijs malefactis, de quibus ab, alijs pœnas exigunt, item, vt potestate sint in reos præditi, quos iudicant, neutrum horum se dicit Apostolus expetere, hoc est, Corinthiorum peccata castigando, suam non cupere ait, vel innocentiam probare, vel ostentare potentiam, siue authoritatem: quemadmodum, iudices quosdam reperire est, qui de subditorũ malefactis, vel propter quæstum, vel propter vindictæ cupiditatem, vel propter potentiæ ostentationem, gaudent.

Ab iniquorum iudicum temeritate & malitia remotiss. erat Apostolus.

Adiectiuum, *probatus*, integritatem & innocentiam complectitur, quam præsumitur præferre, & testificari, qui confidenter in alium sententiam, potestatem iudiciariam exercendo, pronunciat: Quasi dicat: Tantum abest, vt occasionem quæram, ex vestra maleacta vita, vel vlciscendi, vel pœnas exposcendo, meam potestatem exercendi, vt Deo potius assidue supplicem, quo recte agatis, vitamque eiusmodi instituatis, quæ laude potius, quam vituperio aut castigationẽ sit digna. Immo si sic fieri oporteret, vestroque spirituali profectui conduceret, nos ipsi, mundo improbi, non reformidamus iudicari, qui gloriam hominum non quærimus, & parui ducimus, si de nobis abiectè & contemptim homines iudicent, modo vos virtutum exercitijs operam dantes, vitam fidei Christianæ

stianæ conformem ducatis: sicque potestatis nostræ exercendæ, nulla sese exhibeant argumenta. Pastorum siquidem *pascere* est, non punire, nisi necessitas, ad commune & priuatum bonum, aliud exigat. Ideo Gregorius, *vbi non delinquimus*, ait, *pares sumus. Fatuus est, qui probare velit vires suas contra festucam, & qui extrahit gladium contra muscam*, sicut Iob, cap. 13. conqueritur, *contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis contra me amaritudines, &c.*

Vera pastorum Ecclesiæ munus

Piam, cautam, & salutarem alios iudicandi, ac reprehendendi rationem, præscribit Augustinus, cap. 30. libri secundi de sermone Domini in monte, his verbis: *Pie cauteque inuigilandum est*, ait, *vt cum aliquem reprehendere, vel obiurgare necessitas nos coegerit, primum cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod nos, nunquam habuimus, vel quo iam caremus: Si nunquam habuimus, cogitemus, & nos homines esse, & habere potuisse: Si vero habuimus, & nunc non habemus, tangat memoriam, communis fragilitas, vt illam reprehensionem, aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat: vt siue ad correctionem eius, propter quem, id facimus, siue ad peruersionem valuerit, (nam incertus est exitus) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos, inuenerimus, nos in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus. Raro ergo, & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt: ita tamen, vt etiam in ijs ipsis, non nobis, sed Domino, vt seruiatur, instemus.*

Quomodo iudicando alios se iudices habere debeant.

Ipse enim est finis, vt nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro, inuidentiæ, vel malitiæ, vel simulationis, vt videamus eiicere festucam de oculo fratris. Videamus eum oculis columbæ, quales in sponsa Christi prædicantur, quam sibi elegit Deus, gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, id est, mundam, & simplicem. Hactenus ex Augustino.

Non enim possumus aliquid aduersus veritatem: sed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis.

Quid significet veritas, facere veritatem in scriptura.

Veritas, in scriptura, iustitiæ & rectitudinis legem, non nunquam significat, sicut Ioan, cap. 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem*: Lex enim recta & iusta, veritas dicitur psal. 118. *lex tua veritas, & omnia mandata tua veritas.* Hinc facere veritatem, est secundum iustitiæ, rectitudinis, & honestatis legem operari: diuinæ nempe voluntati, & legi conformia. Qui enim bene agere student, libenter veritatis doctrinam amplectuntur, per quam, intelligant, se recte & secundum Deum, operari: Christi autem doctrina, quæ mala, quæue bona sint, perfecte tradit: Ideo Paulus, hoc loco, dicit se contra veritatem, hoc est, contra Dei legem, nihil audere moliri. Lex autem Dei, bene operantibus præmia, demerentibus, supplicia decernit. Quare, si qui delinquentium & nocentium correctione delectantur, ait Paulus, potestatem suam ostentantes, gentium Reges imitantur, quos imperare, reprehendere, corripere, & dominari sæpe delectat.

Nos

Nos *autem non sic*: Nam, etsi quidam corripiendi sunt, nõ sine compassione, & quasi renitentes, imò doloris & misericordiæ exquisito sensu commoti, id facimus. Si quis grauiter deliquisse fuerit compertus, castigatur à nobis, ait, quia iustitiæ partes sunt defendendę: at paterno id animo fit, non ad potestatis ostentationem, sed ad Christianæ legis & perfectionis excercitiũ, & defensionem. Ideò subditur.

Quomodo delinquẽtes sint à suis superiorib. corripiendi.

Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus: vos autem potentes estis. Hoc & oramus, vestram consummationem.

Sicut multi homines, propter Dei patientiam seducti (quia scilicet, non statim peccatores punit) eum res humanas non curare putant, aut culpas indulgere, quia differt vlcisci, & sic vel impotentem, vel non satis iustum (absit blasphemia) eum esse iudicant: Ita propter defectum occasionis castigandi Corinthios, se vocat infirmum, abiectum, quasi nullius authoritatis hominem, qui propter bonam ipsorum vitam, non possit exercere suam potestaté, atq; adeo, iudiciariam suam potentiam ostendere, de quo vehementer gaudet: sicut aliquis parens, qui filij nimia & exquisita virtute adductus, se virgæ & disciplinæ vsu ac correptione, esse destitutum, lætatur: Qui hac ratione dici, posset infirmari, quod à filio, nihil tale designetur, quod paterno iure possit puniri; vt qui, contra innoxium, & nihil designantem mali, nihil possit, aut valeat. Innocentes autem, hoc est, virtute præditos, & morem diuinæ legi gerentes, appellat potentes, sed in Christo, vt cuius gratia adiuti, vitiis, tanquam robusti bellatores, viriliter resistunt

Rom. 2.

Quid plerumq; que D. Paulo, sit infirmarj, & infirmitas.

resistunt

resistunt, pœnasque,& supplicia bene viuendo, à se procul arcent, &amoliuntur. Ideo illos orat & precatur, vt sint irrepræhensibiles, integri, nullamque causam, siue occasionem exhibeant iustæ repræhensionis;sed contra,ad perfectionis culmen, summó studio contendant; donec beatitudinem consequantur, in qua,totum hominis desiderium consummatur.

Ideò enim hæc absens scribo, vt non præsens durius agam.

Mirus patientiæ,& diuinæ longanimitatis imitator Paulus, minatur absens, ne feriat præsens. *Dei hoc est*, ait D.Gregrorius, *ad misericordiam relaxare: Sed cum eius gratiæ patientiam, nos in augmentum vertimus culpæ: hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit: Vt quia reuerti quis etiam spatio temporis accepto noluit, per hoc mala sua, ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset.* Vnde cap.2.ad Rom. scriptum est, *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram*, videtur hic repetendo inculcare Apostolus, quod cap.11.dixerat, à se absente, de eorum emendatione, spem fuisse conceptam, quod licet Dei iudicium, bonis amandum sit propter coronam, formidandum tamen sit, propter pœnam. Sed plurimum vtique decipitur ille, qui ait, Bonus est Deus, & misericors: faciam quodcunque mihi placet, laxabo habenas cupiditatibus meis, explebo desideria animæ meæ. Quare hoc? quia bonus,

bonus, misericors & mansuetus est Deus, & tales nimia spe ac fiducia periclitantur, ait D. Augustinus sicut è contra, *alij desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Quemadmodum ergo, Deus erga peccatores benignitate vtitur, beneficia, quæ ad vitam sustinendam pertinent, non denegans eis, faciens *oriri solem suum, & pluere super bonos & malos: Sic Apostoli, nihil non tentabant, quo in viam veritatis reducerent* errantes, & ad vitæ nouitatem, per pœnitentiam, reuocarent, iam blandimentis, iam minis, iam mercedis pollicitatione, iam suppliciorum crudelitate propositis, officij cunctos monentes.

Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

Contra blasphemam, Caluini sententiam, pugnat hic Apostol⁹, dicentis, hinc, & ex aliis locis, (vt ad Rom. 13. cap.) Catholicos, sacrilegam suam Tyrannidem, frustra stabilire, qui dominatum in conscientias quærunt; cum emendationem hic à Corinthiis exposcat Apostolus, nisi durius à se tractari (cum ad eos venerit) velint: Et hoc, *secundum potestatem*, inquit, *sibi datam a Domino, qui sicut ementes, & vendentes è templo eijciebat, sic publicos peccatores, puniendi potestatem Apostolis eo ipso dabat*, quod sicut ad hoc, à Patre in mundũ missus fuisset (vt quæ salutis sunt, dirigèret) ita Apostolos, eàdem amandārit authoritate præditos (qui sicut olim Hieremiæ fuerat imperatum) *euellerent, de-*

struerent, disperderent, dissiparent, deq; grauioribus sceleribus, debitas pœnas exigerent. Ideo *præpositis* alibi, & Rectorib⁹ Ecclesiarũ, necessitate subditos esse, cupit, imo *imperat*, fideles, nõ solũ, ob vindictę, & supplicij formidinẽ, sed etiamne, eorum conscientia polluatur inobedientiæ peccato, & rea fiat apud Deum. Ne scilicet, admissi criminis inobedientię sibi conscij, animo angantur & crucientur, quia scire debebant, id Deum velle & iussisse; atq; ea re, gratiam ac gloriam promereri. Omnis autẽ potestatis scopum esse dicit, commune bonum, tã spirituale quã corporale, adhoc scilicet, vt Dei cultus, Religio, pax, & concordia conseruentur. Potestatis n. vsus, executio, & excercitiũ, finem alium Apostolus non respicit, nisi Dei honorem, & animorum in omni negotio, concordiam ac pacem, ęternęq; beatitatis, per mandatorum Dei obseruantiam, adeptionem.

Humana potestatis à Deo hominibus concessa, scopus.

De cætero fratres, gaudete: perfecti estote, exhortamini, idipsum sapite.

Prouocatis ad omnem æquitatem Corinthiis, peroraturus, eosdem gaudere iubet, hoc est, modum ostendit, quo iustitię opera exequi debeãt, promptè scilicet cum voluptate, & cum gaudio. Nullus est enim iustus, iuxta philosophum, qui iustitiæ operatione non gaudeat: Et sicut vmbra sequitur corpus, in luce positum: ita voluptas & gaudium, hominis actionem cum virtute siue Iustitia, (qua redditur vnicuiq; quod suum est,) perfectam comitatur. Est autem gaudij huius radix, charitas, de quo Dominus dixit Ioann. 14. gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, Hinc, prioris ad Corinth. cap. 13. dicitur, charitatem *non gaudere super iniquitate, congaudere autem æquitati:* quę

Quid sit gaudium animi in scriptura cõmendatur.

quæ causa est, quod hoc gaudium, cap. 5. Epist. ad Gal. inter *fructus spiritus*, vnus numeretur; quia qui charitate afficitur, in Domino semper lætior euadit, cuius gratia, omnia exequitur & tolerat lætus, etiam in camino tribulationũ & aduersitatum constitutus. Hinc est, quod 14. cap. ad Rom. dicat idem Apostolus, *regnum Dei* (quo scilicet per fidem, spem & charitatem in spiritu hominis, Deus regnat *esse iustitiam, pacem, & gaudium in spiritu sancto*) tanquam efficientem causam iustitiæ, pacis, & gaudij, quæ corporalia non sunt. Tametsi enim, imperfectè in hac vita, possint ea haberi; in cœlis tamen, plenè atque perfectè possidebuntur. Ibi enim gaudium erit perfectum, sicut Isaias dixit, cap. 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.* *Perfectio*, quam à Corinthijs exigit, hoc loco, Paulus ea non est, cuius ad Philipp. cap. 3. meminit, *non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si comprehendam*: ea enim beatorum est, qui quicquid operãtur, ad Deum actu semper reuocant: Nec etiam ea est, quam Deo sese consecrantes, profitentur, omnia per religionis & votorum professionem deserentes, vt Deo placeant, cuius apud Matth. cap. 19. Dominus meminit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: Hoc enim perfectionis genus, præcipi non solet, sed consuli: sed eam ab omnibus Christi cultoribus, perfectionem requirit, quà Deum, eo affectu super omnia diligant, vt rerum omnium temporalium facere potius iacturam velint, quàm Dei gratiam, & amicitiam amittere. Talem ab omnibus perfectioné, Math. 5. requirebat Saluator, dicens *Estote perfecti.* Sic Gen. 6. Noè *vir iustus, atque perfectus. Et* cap. 17. *Ambula corã me, & esto perfectus*, Deut: 17. Et hoc genus perfectionis,

Triplex Christianorum Perfectio.


nis, in mandatorum Dei obseruatione situm est, dum nihil, qui perfecti sunt, admittunt, quod Charitati, *quæ finis est præcepti*, repugnet. Non quod subinde non peccent iusti homines, sed ita peccant, vt charitati non aduersentur. Nam licet *perfecti essent Apostoli, qui sapientiam loquebantur inter perfectos*, dicebant tamẽ. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. & in multis offendimus omnes.* Idipsum autem *sapere*, est vnanimes, & in fide, pacificoq; conuictu, esse concordes, ita vt nõ sint monéte Paulo, priorisEpist. ad Cor. c. 1. *inter eos schismata, & dissensiones, sed perfecti sint, in eodẽ sensu, & in eadem sententia;* quasi velit, inter diuersas manus & membra diuersa, vnum animum, vnam voluntatem, & vnũ esse consensum, per charitatis nexũ constricta, & arctius colligata. Et sicut membrum, membro per cohærentiã naturæ, obsequitur; ita vnũ alterius monitioni morẽ gerere desiderat Apostolus, vt consuetudo bona, & amicabilis per affabilitatem, facilitatem, benignitatemque seruetur.

Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

Paulò ante commendauerat gaudium, hic verò pacem inter Corinthios, regnare cupit, vt scilicet, in spirituali suscepta lætitia conquiescentes, nullis animi cogitationibus obturbentur. Qui enim per charitatem, cum Deo amicitiam fouent, animorum tranquillitatem sentiunt, & perfectam omnis desiderij humani expletionem, immò in ipsis etiã aduersitatib⁹, spiritus serenitatẽ experiuntur; necnõ mutuam cum cęteris hominibus, cõcordiam seruant, quâ, omnibus in periculis & molestiis, fortiores effecti, consolationum dulcedine

cedine delectati mirificè recreatur. Ea causa est, quod hanc *Dei pacem, omnem sensum exuperare* dicat alibi Apostolus, quam suis discipulis Dominus, ad mortem iturus, hæreditate legabat, non diuitias, aut temporales possessiones, quod omnibus seculi, dignitatibus, opibusq; & blanditijs, hæc vna pax supereemineat, & longis interuallis ab ea pace discrepet, quam mundus, fictis nudisq; verbis, aliquando pollicetur, licet eam, nunquã exhibeat, vt cuius author, nisi Deus esse non potest. Ideo veram pacem, Christus Dominus impertiens, dicebat, *non quomodo mundus dat, ego do vobis*: Se, ipso effectu, experientia, authoritateq; propria, illam elargiri significans, quæ tranquillitatis & securitatis pulchritudinem ac suauitatem, reipsa declarat, cuius posterioris ad Thessalonic. cap. 3. meminit Apostolus dicens. *Ipse Deus pacis, det vobis pacem sempiternã, in omni loco; & est illa*, referente Prospero, iuxta D. Augustinum, *quæ finem temporis non habet, & ipsa est omnis piæ intentionis actionisque perfectio. Propter hanc, sacramentis imbuimur; propter hanc, mirabilibus eius operibus & sermonibus erudimur; propter hanc, spiritũ sanctum eiusq; pignus accipimus; propter hanc, in eum credimus, & speramus, & amore ipsius quantum ipse donat, accendimur: Propter hanc deniq;, omnem tribulationem fortiter toleramus, vt in illa fæliciter sine vlla tribulatione, regnemus. Hæc enim pax, vnitatem facit*, (inter Deum, & homines.) *Qui enim adhæret Domino, vnus est spiritus*. Hęc Prosper.

Vera & cœlestis pacis fructus & effecta.



Salutate

Salutate inuicem, in osculo sancto.

Erant eiusmodi *oscula*, ait, Cardinalis Baronius, pacis & amoris symbola, quæ non tollenda, sed moderanda inter Christianos, curarunt Apostoli, dum eos se inuicem, salutare, debere *osculo sancto* sæpe admonuerunt. Illa planè, ait, *oscula, sancta* esse dicta reperiuntur, quæ in sacris conuentibus, illorum verborum adiuncta salutatione, *Pax tecum* adhiberi consueuerunt; de quibus agens Iustinus Martyr: *precibus* ait, *functis, mutui nos inuicem osculo salutamus*: post osculum, sequi administrationem Eucharistiæ, fusius tradit Origines, in Epistolæ ad Rom. cap. 16. Tam verò accuratè osculum, seu potius adorationem, salutationemque, oportuisse dixit libare Athenagoras, ne si, quomodo, pauxillum mens fuerit polluta, ab æterna vita, ait, proscribat vos verbum. Atquoniam, eà nihilominus adhibita cautela, ad inter se inuicem osculantes siue viros, siue fœminas, aliqua diaboli irrepsisse arte aliquando videretur, non nullæ Ecclesiæ, sacram osculandi consuetudinem, in tabellæ exosculationem sicut & rejpsa, in Ecclesiis, osculis illis sanctis, honestum complexum, successisse videmus, in sacris, & diuinis officiis.

Quid sit osculũ sanctum eiusq; vsus.

Salutant vos omnes sancti.

Salutare, apud Christianos, nihil est aliud, quam salutem precari, quæ hac in vita, peccatorum remissionem & gratiæ infusionem, in futura, gloriam sempiternam complectitur. Qua ratione, D. Petrus, initio & fine suæ Epistolæ prioris, *salutat*, posteaquam gratiam est imprecatus: Et D. Paulus 2 ad Thessal. cap. vlt.

Sancti

Sancti, dicuntur regenerati, qui vitæ sanctitatem profitentur, & diabolo abrenunciauerunt per Baptismum.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.


Huius loci præsidio, vtebantur SS. Patres, contra Sabellianos, & Praxeam hæreticos, qui Filium, & Spiritum sanctum, eandē illam esse personam asserebant, quæ est Pater: Cum tamē Orthodoxa fides, manifestis scripturis, semper docuisset, trium personarum, in vna essentia, distinctionē. Quid enim aliud Ioan. 14. Christus insinuauit, cum dixit: *Ego rogabo patrem, & aliū paracletum dabit vobis, spiritū veritatis*. Item Matth. 28. *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Si etenim, in diuinitate, quidā verus est pater, & quidā verus patris filius, igitur distinctæ personæ sunt, cum necessaria penitus, sit distinctio, inter patrem & filium. Quia enim pater, verè genuit filium, ait Tertullianus, ergo duæ personę sunt: alioqui eadem res, ait Athanasius, erit genitus & genitum: Quæ absurditas, ait, in Sabellianis residet. His autem verbis, Apostolus imprecatur, ait Theophylactus, *consueto sibi more, gratiam filij, per quam, seruauit nos, non ex operibus nostris, sed ex gratia mactatus ipse pro nobis: ac dilectione patris, qua dilexit nos, dans vnigenitum pro nobis*. Tanquam autem interrogatus, vndenā filij gratia adueniat, ex patris, inquit, dilectione. Quid verò effecit? cōmunionē sancti Spiritus, hoc est, participationē & assumptionē, qua sanctificamur, aduentu Spiritus paracleti in nos, participes ipsius facti. Imò, & ipsi in spiritum permutamur, non essentia, sed

[De]i dona spiri-[tu]alia, fere gra-[ti]æ nomine, à [P]aulo semper [e]xprimuntur.

participatione. *Gratiæ, charitatis & communicationis* nominibus, rem vnam, vel potius singulare quoddam Dei donum, significare voluit Apostolus, quod Corinthiorum Ecclesiæ exoptabat, atq; imprecabatur, quod esse existimo illud, cuius Apostolorum princeps, posterioris Epistolæ, cap. 1. meminit, cum dixit: *Maxima & pretiosa nobis promissa esse donata, vt diuinæ consortes naturæ efficeremur.* Hoc autem donum, generali nomine acceptum, *gratia est, quæ per Christum,* vt ait Ioannes, *facta,* remissionem afferens peccatorum, à diaboli liberat potestate, & à mortis, sicut & inferni timore, eripiens, immortalitatem, vitamq; æternam impertitur: Cum enim, Deus suapte natura, incorruptibilis, immortalis, atq; æternus sit, eádem gloria donat omnes, qui Christo, (qui in ipsum credunt, perseuerantes in fide, & vitæ puritate) dant nomina. Hinc primæ suæ Canonicæ cap. 3. ait D. Ioannes: *Charissimi nunc filij* DEI *sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est; & omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Rursus 1. Ioan. 1. *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt vos societatem habeatis nobiscum: & societas vestra, sit cum patre, & cum filio eius Iesu Christo.* Vel *gratiam,* Christo Iesu asscripsit, quod omne donum spirituale, fidelibus datum, à Christo, *(de cuius plenitudine omnes accepimus,)* vt à quodam fonte, dimanarit: postquam humanitati diuinitas vnita est; *in qua, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ex vnione siquidem diuinitatis, in humanitatem, gratia deriuata est, quæ, vt fons quidam in ea residet: Vnde, in membra, (quorum Christus est caput) diffunditur: propterea, in Christo, est plenitudo redundans in alios, soli Christo pro-

sto propria: Cuius videtur, cap. 1. ad Ephesios, meminisse Apostolus dicens: *Qui benedixit nos*, inquit, *omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo.* Quasi diceret; Deum, in gratia filij sui, nos omnes gratos effecisse. Patri verò *charitatem*, siue dilectionem tribuit, quod in hominum genus, ita affectus est & exarsit amore, vt filium suum daret, ad hoc, *vt qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: Neque enim dilectio communis hæc fuit, qua alias creaturas omnes prosequitur, (secundum quod, à sapiente, dictum est, *diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.*) Sed qua, ad supernaturale bonum, ordinat, & ad se gratis pertrahit hominem, vt eum beatum faciat. Spiritui deniq; sancto, *communicationem* asscripsit, qui sicut Patris & Filij vnio est; sic nos, tanquam Christi membra, ad inuicem coniungens, vni capiti Christo, simul vnit: Cui laus & gloria in secula seculorum. Amen. *Ioan. 3. cap.*





INDEX VERBORVM, ET RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC, POSTERIORIS D. Pauli ad Corinthios epistolæ, Commentario, continentur.

A

Aposto-

Corin-

E

F

Iob.

M

Moisis

Spiritus

INDICIS FINIS.

Laus æterna DEO, MARIÆ Matriq; sacrata.





ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Pag. 11. verſ. 10. lege remedia. pag. 26. verſ. 1. lege iugiter. pag. 39. v. 4. ſiquidem. 40. 24. multarum in idem concurſum. 42. 9. referantur. Eadem 18, ſancto. 48. 16. deſertos. 50. 7. mærore. Eadem 8. mærorem. Eadem, 15. fructus. 51. 13. aliquando. 55. 16. declarationem. 70. 20. rationem. 87. 7. Pſalmographus. Eadem 28. deponit. 91. penult. impoſſibile. 109. 7. euacuatur. 120. 22. dele atq;. 121. 16. ſeniores. 123. 3. poteſt. Eadem. 23. rectè. 128. 13. infidelium. 134. ad marg. Eccleſiaſtici. Eadem. 20. tantum. 145. vlt. venerit. 146. 18. vt. 147. 6. nouitate. 148. 16. exuberantibus. 150. 3. dele non. 152. 16. noſtra. 155. 4. indicium. Eadem 22. peregrinemur. 179. penult. coram. 180. penult. ſit à. Eadem. vlt. id. 182. 22. maximo. 190. ad marg. homo. 200. 14. Adiuuantes. Eadem ad marg. Dei. 215. 14. veritatis. 121. 14. dele qui. 232. in marg. vocentur. 231. 12. ab. 236. 1. cum. 238. 5. anguſta. 241. 9. curas. 244. 15. conſolatur. 272. 12. liberalitatem laudaſſet. 276. 26. eſt. 281. antepenult. Euangelicæ. 291. 10. quemlibet. 310. 3. pariant. 312. 1. carnalia. 317. 12. Magnam. Ead. 15. annuntiatorem. 320. ad marg. Pauli. 323. 21. conſcendiſſe. 330. 4. eadem. 356. penult. vitant. 365. 24. Parentheſin. 366. 20. in abſcondito. 372. 15. oculi. 375. 2. ſibi. Ead. 10. vtinam. 328. 21. abſconditus. Eadem. 24. quærentium. 381. vlt. publicata. 389. 21. ad. 329. 12. aliis. 404. 5. patientia. 406. 8. impoſterum ait.




IHS